BIBLIOTECA NAZ
113
D
92
NAPOLI

BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
113
D
92
NAPOLI

VIII. O. 6

113
2
92

115 (30



JACOBI, SIVE
ACTII SYNCERI
SANNAZARII,
NEAPOLITANI, VIRI PATRICII,
POEMATA

Ex antiquis Editionibus accuratiſſime deſcripta.

Acceſſit ejuſdem Vita, Jo. ANTONIO VULPIO Auctore;

ITEM

GABRIELIS ALTILII

ET

HONORATI FASCITELLI

CARMINA QUÆ EXSTANT.

Quid præterea in hac III. Patavina Editione acceſſerit, ſequens indicat inſignis Præfatio, nullo modo Lectoribus negligenda.

PATAVII. CIↃ IↃ CC LI.
EXCUDEBAT JOSEPHUS COMINUS.
SUPERIORUM PERMISSU.

LATINORUM CARMINUM

JACOBI SANNAZARII

STUDIOSÆ JUVENTUTI.

MULTAS vobis utilitates rem poëticam afferre posse, ingenui adolescentes, optimorumque poëtarum quum veterum tum recentiorum lectionem & imitationem, nemo sanus diffitebitur; nos autem edito hujus argumenti libello, ante aliquot annos copiose ostendimus ac luculente. Hoc tamen ita demum verum fuerit, si delectum adhibueritis, & quosdam quasi scopulos & Sirenas in legendo vitetis, ad quos innocentia morumque integritas naufragium facere consuevit. No-

ta est antiquorum in hoc genere licentia, quam si non excusatione at saltem miseratione dignam efficit crassa illa superstitio, & absurdæ illæ de natura deorum opiniones, quæ olim vitiis hominum & cupiditatibus frena laxabant: neque ignota est novorum quorumdam perversitas, qui in tanta luce religionis, non satis elegantes se habitum iri putaverunt, nisi nequam etiam ac dissolutos se præbuissent. id scilicet ad absolutam veterum imitationem pertinere ipsis visum est. Quamobrem, ut apes in prato florum omnium varietate distincto, iis potissimum insident, & succum ex iis eliciunt, quos ad mellificia magis idoneos natura ipsa monstrante cognoverint; sic vos decet ex poëtarum carminibus ea quæ profutura creditis, in usus vestros decerpere, noxia vero & venenis malis imbuta vel præterire, vel abjicere. SANNAZARIUS, quem jure ac merito diligitis & probatis, ingenii quidem magnitudine, judicii gravitate, bonarum artium apparatu, Latini sermonis elegantia & nitore, ceteris denique omnibus quæ in summo poëta requiruntur, adeo excellit, ut vix ullum ei conferendum, his postremis temporibus,

ribus, Italia protulerit: nihilominus homo fuit, & humanis vitiis obnoxius. In libris de Partu Virginis & in Eclogis Piscatoriis Æneidem & Bucolica Virgilii non imitari solum, sed æmulari præterea voluit; quod illi ex sententia succesſit: ejusdem Elegiæ Tibullum ac Propertium exprimunt, Catullum Hendecasyllabi, Martialem (pace dixerim Andreæ Naugerii, quem Hispano poëtæ tantopere infensum atque inimicum fuisse legimus) pleraque Epigrammata: quum tamen verum decus in virtute positum sit, nonnulla in ejus poëmatis idemtidem occurrunt, quæ laudare nullo modo possis;

-- -- -- -- -- -- *velut si*

Egregio inspersos reprendas corpore nævos.

Ac primum quidem SANNAZARIO diem dixerunt, nec sine causſa, viri docti & pietate præstantes, quod in poëmate suo de Virginis Partu obsoletas veterum fabulas sanctissimis Christianæ religionis mysteriis admiscere non dubitaverit; quum tamen JESU CHRISTO Servatori vel in primis propositum fuerit, ea quæ antiquam superstitionem redolerent, omnia in perpetuum evertere atque delere. quid enim Protei vatici-

niis, quid Nymphis, aliisque dæmonibus; cum orbe terrarum & humano genere ab eorum servitute liberato? hoc certe illud est quod vulgo ajunt, *miscere sacra profanis*. Non defuerunt, scimus, æque docti, sed fortasse non æque de rerum divinarum dignitate solliciti, qui amicitia & studiorum similitudine permoti, argumentis quibusdam & coloribus veri speciem præferentibus poëtam defenderent: quorum opera factum est, ut controversia illa sub judice relinqueretur, neve auctor & poëma de gloriæ possessione deturbarentur. Si quis tamen olim poëta exsisteret, cujus ea esset in scribendo elegantia quam in SANNAZARIO admiramur, & qui simul de incorrupta religionis castitate majorem curam adhiberet, is tandem & officio suo, & proborum hominum desiderio quam cumulatissime satisfaceret. Duo ista conjungere voluit SCIPIO CAPICIUS, vir pius & primaria nobilitate, in libris de Vate Maximo, quos longo situ sepultos Editio hæc nostra in lucem revocat: vitium enim SANNAZARII homo acutus animadvertit, notavitque non obscure initio libri II.: sed scilicet nervi animique hominem defecerunt,

runt, neque is uberem & beatam SYNCERI venam, exquisitam numerorum rationem, Virgiliani carminis majestatem, purissimum Latinitatis nitorem ullo modo assequi potuit; incœptis enim gravibus & magna professis purpureum unum & alterum pannum adsuit, quod ait Horatius, infelix autem fuit operis summa, quia ponere totum nescivit. Hirta enim pleraque sunt in ejus versibus, non elaborata, minus emendata, aspera, incondita, hiulca, fluctuantia, sumta e Scholasticorum spinetis, prosæ orationi similiora quam carmini; ut recte de illo judicasse nobis videatur Lilius Gyraldus, quum dixit, eum in aliquo poëtarum numero haberi posse. Quamobrem CAPICIUM non ob perfectionem Christiani poëmatis, sed ob conatum tamen & adumbrationem laudari oportet. Ceterum SANNAZARIO pietatem, ac divinarum rerum scientiam summi quidam viri tribuerunt: libenter fatemur, neque scriptori nobilissimo detractum aliquid volumus; institutus enim nobis sermo est non de hominis moribus, verum de carminis virtutibus & vitiis. Quod si nonnulli eruditorum poëma illud pietatis nomine laudave-

davere, id ſæculi quo vixit conſuetudini dandum eſt; tunc enim rem Chriſtianam profano ſcribendi genere tractare nefas non habebatur. Nonne Jovianus Pontanus, poëta celeberrimus, eo ineptiarum progreſſus eſt, ut D. MARTINUM, præſulem illum Turonenſem ſanctiſſimum, inter ſcyphos & epulas, tamquam Bacchum aliquem temulentiæ deum, ad potandum invitaret? Scriptis autem facta ipſa perbelle reſpondebant. Huic rei teſtimonium eſt SANNAZARII ſepulcrum, quod viſitur in templo Deiparæ Virgini a poëta dicato in ſcopulis Mergillinæ: id nempe Satyrorum chorus exornat, Apollinis præterea & Minervæ marmorea ſimulacra: quæ poſtea piis quibuſdam hominibus in Davidem ac Juditham, detractis lyra & haſta, non ſatis feliciter vertere placuit. Qua ſcribendi & agendi ratione pluribus Judæorum regibus poëtam noſtrum quodammodo ſimilem dixeris, qui quum rebus geſtis egregiis de veri Dei cultu optime promeriti eſſent, in divinis litteris ita laudantur, ut *tamen* dicantur *excelſa non abſtuliſſe*. Laus vero perfecta & abſoluta Ezechiæ (1) ac Jo-

(1) IV. Reg. 18.

Josiæ (1) demum tribuitur, qui quum ipsi sanctissimis essent moribus, nullum præterea in ditione sua vetustæ superstitionis vestigium diutius manere passi sunt, fanis deorum & lucis penitus eversis atque exstirpatis.

Alterum quod SANNAZARIO vitio versum est, fuerunt Epigrammata nonnulla sale nigro consperſa, quæ ipse inter amicos recitavit, vel etiam litteris mandavit, adversus quosdam Ecclesiæ ac Reipublicæ proceres: oculorum enim fastidio laborabat, ut probi solent, in hominum insolentium potentia, neque factorum aliquorum atrocitatem aut indignitatem æquo animo ferre poterat. Hujusmodi Epigrammata, summorum Pontificum decretis obtemperans, primus omnium sustulit e SANNAZARII carminibus Paullus Manutius; quem Patres Concilii Tridentini pluribus libris prælo excudendis, purgandis, & castigandis præfecerant: quod ipse diligenter præstitit Romæ, dum typographiam in Ædibus Populi Romani institutam curaret. Nos vero a disertissimi viri Editione, ut par erat, ne transversum quidem

(1) II. Paralip. 34. 33.

dem unguem diſceſſimus. Neque tamen exiſtimamus, poëtam illuſtrem, qua fuit moderatione animi, ea carmina cognoſci ab omnibus & legi voluiſſe: exſtat enim adhuc ejus Epiſtola, in qua ipſe aperte profitetur, ſe neminem umquam in vita contumelia laceſſiviſſe, vel injuria affeciſſe: quanto itaque minus homines in rerum faſtigio collocatos? neque enim ſcribendum eſt in eos qui proſcribere poſſunt. Sapientes & conſiderati ab hujuſmodi conviciis abſtinent, neque Chami illius audaciam & impudentiam imitantur, qui parentem ſuum turpiter nudatum, ac temere in tentorio jacentem, ſumto videlicet vino meraciore, cujus vim ignorabat, fratribus oſtendit, ac deridendum propoſuit. Satius enim eſſe putant, principes viros flagitiis & ſceleribus coopertos, ſuis ipſorum moribus, & hiſtoriarum etiam monumentis puniendos relinquere. Fortaſſe autem quum SANNAZARIUS poëmata illa minus caute familiaribus legiſſet, eorumque copiam petentibus feciſſet, amici noluerunt ea ſemper apud ſe continere, & auctore inconſulto in apricum protulerunt. Hæc porro curioſitas & præpoſtera ſedulitas, qua non-

nonnulli excitantur ad arcana quæque ſcripta, nimis libera, moribus noxia, plena periculi e ſeriniis promenda, & publica lucæ donanda, monere ſcriptores poteſt, ne quemquam figant maledictis, & id fore clam poſtea confidant: meminiſſe enim debent, quid acciderit Midæ regis tonſori. Hic videlicet quum inter tondendum, auriculas aſini regem habere deprehendiſſet, faciliuſque accenſos ore carbones retinere, quam ſecretum illud celare poſſet, ſcrobem effodit, cui quod deprehenderat inſuſurravit, ac terra ſuper ingeſta diſceſſit. Non ita multo poſt ex ea ſcrobe natæ ſunt arundines, quæ dum vento agitarentur, ipſo ſibilo & ſono commiſſum telluri arcanum omnibus eloquebantur. Amicorum vitia plerique ad virtutem detorquent: & quod inſaniæ, vel ſaltem imprudentiæ tribuendum eſſet, fortitudinis, animique magnitudinis eſſe ajunt.

Præterea, neſcio quo malo fato, bonis viris dolentibus & indignantibus, inter poëmata SANNAZARII locum obtinuere non pauca laſciva, obſcœna etiam ac diſſoluta; quæ ſi oblivioni tradita, & penitus deleta fuiſſent, iccirco neque ullum optimæ litteræ

detri-

detrimentum accepiſſent, & melius profecto exiſtimationi SANNAZARII conſultum foret. Ut nunc ſilentio prætereamus quæ in Angelum Politianum, doctiſſimum hominem, de ſtudiis elegantioribus optime meritum, & ipſo vitæ inſtituto ſacris etiam addictum, ſcribere non dubitavit (1) poëta noſter, adverſariis fortaſſe illius, quibuſcum amicitia junctus erat, nimium obſecutus. In hoc quoque SANNAZARII modeſtiam & judicium deſideramus. Luſerat illa, ut credibile eſt, juvenis nobiliſſimus in prima ætate, quæ libidinum & perturbationum imperio maxime ſubjecta eſt; aut in argumenti varietate ingenii vires experiebatur, aut denique antiquorum licentiam, haud minus quam elegantiam, exprimere ſtudebat, ut ipſis quamſimillimus videretur. Sed tamen probabile non eſt, eo conſilio eximium poëtam, hunc ætati dediſſe ludum, ut quæ adoleſcens privatim chartis illeverat vel mordacia, vel tur-

(1) De hac Sannazarii in Politianum dicacitate vide Caſparis Scioppii cenſuram in Paradoxis pag. 34. & in Prolegomenis libelli cui titulus: *Le Stanze di M. Angelo Poliziano*, nunc a Comino noſtro recuſi.

turpia, in manus olim & ora hominum pervenirent. Certiſſimum hujus rei teſtimonium eſt prima ejus verſuum Editio Neapolitana, quos ipſe Caſſandræ Marcheſiæ divulgandos permiſit. Hæc Editio a muliere illa nobili procurata eſt anno 1526. continet autem libros de Partu Virginis, Eclogas Piſcatorias, Salices, & Lamentationem de Morte CHRISTI; neque aliud præterea quidquam. Ex illa facile colligi poteſt, virum judicio ſingulari, ea tantum poëmata edere voluiſſe, quæ codex ille complectitur; reliqua vero, quamvis acri limâ polita, & elegantiæ veterum proxima, Elegias puta (ex quibus tamen aliquas & pudicas, & graves, & heroicas eſſe non diffitemur) item libellos Epigrammatum, ſupprimere, ac domi continere, ne vel moribus aliorum, vel exiſtimationi ſuæ, ſi divulgarentur, nocerent. Et ſane in Epiſtola quadam queri videtur, quod ipſius injuſſu nonnulla ejus generis, ab amicis edita, circumferrentur: quamvis non defuerint qui putarent, de Arcadia ſua Italico ſermone ſcripta, quam ætate provectus minus probaret, SANNAZARIUM fuiſſe conqueſtum.

Edi-

Editionis illius, paucis notæ, a paucioribus viſæ, nos exemplum feliciter adepti ſumus: de quo pag. 193. hujus noſtræ, ac ſequentibus, harum elegantiarum ſtudioſos copioſe ac diligenter docemus. Ab ejus porro veſtigiis numquam aberravimus, & quæ in ea continentur, omnia cum fide repræſentavimus. Quum igitur poëta noſter carmina quæ aut non ſcribenda, aut certe occultanda fuerant, cum amicis communicaſſet, neque ſcrinia ſua & arculas a vetitis hujuſmodi mercibus purgare curaviſſet, vel potius oblitus eſſet, vivunt ea hodie, ac porro vivent, non ſine opinionis ac exiſtimationis detrimento, quam ſibi virtutibus & dignis homine Chriſtiano moribus peperiſſet. In quo ſane amicorum ejus nimium officioſa ſedulitas, & prava quædam humanitas (1) (ut ſacrorum librorum verbis utamur) culpa non caret, qui hanc nebulam tantæ luci offundere non dubitaverint. Id nimirum evenire ſolet noxia furtim ſcribentibus quod ceteris omnibus qui ſpe celandi ſuadente mala facinora ſuſcipiunt: Dei ultoris providentia

(1) II. Machabæorum, cap. 6. v. 21. 22.

tia fit, ut quæ aliquamdiu latuerant, subito manifesta & in medio posita & aperta sint; quod improbis non semel minantur divina oracula (1). Dixerit hic aliquis fortasse: Cur hujusmodi poëmatum lectio auctoritate nutuque legum interdicta non fuit? cur notam censoriæ severitatis SANNAZARIUS effugit, quæ pluribus aliis paria peccantibus inusta est? Indignabantur scilicet excellentis poëtæ amatores, & qui magnorum virorum nævis etiam & vitiis blandiri solent, aculeata illa Epigrammata & veneni plena ex ejus carminibus, Pontificum decreto, sublata esse: quid si voluptaria etiam, delicata, mollia simili falce recidi jussissent Christianæ Reipublicæ Præsides? vix unus aut alter maximo poëtæ manum admoveret; umbram enim SANNAZARII solam relictam dicerent, SANNAZARIUM ipsum evanuisse. Jam Editiones Manutianâ priores, vel transalpinæ tantum, a perduellibus procuratæ, cupidissime conquirerentur. Satius propterea visum est ζιζάνια (2) tolerare, ne *triticum simul*

b *tra-*

(1) II. Reg. 12. 12. Nahum 3. 4, 5, 6. Matth. 10. 26.

(2) Matth. 13. 29.

eradicaretur. Iccirco neque Romani vetitorum librorum Indices, neque Hiſpani, ſeveritate inſignes, teneriora hujuſmodi carmina poëtæ noſtri, ſtigmate ullo compunxerunt. Quid igitur eſt? nos quoque non omittenda cenſuimus, ne ſapientiſſimis viris ſapientiores haberi velle videremur. Ceterum, ſi auctorem ipſum, concilio beatorum, ut ſperamus, adſcriptum, interrogare liceret, atque ex eo ſciſcitari, num divino poëmati de Partu Virginis tot profanis & laſcivis in eodem volumine conjungendis, decorum ſervetur, & rerum cæleſtium majeſtas nullo pacto lædatur; ſatis ſcimus, & cordati nobiſcum omnes facile intelligunt, quid ille reſponſurus eſſet. Enimvero minus aliquanto deformitas appareret, ſi ordo & collocatio poëmatum inverteretur: oportebat enim juvenilia præcedere ac liberiora, carmen vero ſublimis argumenti ſubſequi deinceps, ac poſtremum locum occupare: id enim ſignificaret, mentem poëtæ, vivendi termino appropinquante, a terrenis ad cæleſtia, ab humanis ad divina, (quod antea contigerat Franciſco Petrarchæ, & Chriſtianum hominem decet) fuiſſe converſam: ſic fieret illud Horatii:

Non

Non fumum ex fulgore, ſed ex fumo dare lucem.

Hæc autem omnia dicere voluimus, optimi adoleſcentes, non ut viri poëticis laudibus abundantis, quem & nos merito ſuſpicimus, diligimus, admiramur, pretium apud vos & æſtimationem ulla ex parte minueremus; ſed ut conſilium noſtrum & inſtitutum in hujuſmodi edendis penitus perciperetis: atque ut illuſtri exemplo propoſito, cognoſceretis quid vobis tandem ſentiendum & ſtatuendum ſit de minoribus quibuſdam poëtis, in quos aptius iſta conveniunt: qui nimirum quum elegantia ſuperentur, vincunt obſcœnitate.

Veniet fortaſſe tempus quum aliquis pietate excitatus, & injuſtas hominum reprehenſiones nihil veritus, e SANNAZARII carminibus ea ſeligat, & ſola edere ſtatuat, quæ ſanctitatis & caſtitatis nomine ſe Catonibus ipſis probare poſſint. Hanc fortitudinem animi, hoc juvandæ reipublicæ ſtudium, hunc rumuſculorum contemtum, optimo iſti, quiſquis tandem futurus eſt, jam nunc adeo non invidemus, ut etiam gratulemur. Caveat ille tantummodo, ne in vi-

tium incidat quo nonnulli pravorum poëmatum pravi correctores, aut corruptores potius, laborant. Idem enim præstare conatus fuerat nescio quis Romæ anno 1590. sed frustra; qui non Principis jussu, verum privato studio, & viribus omnino imparibus pleraque SANNAZARII, & selecta aliorum celebrium poëtarum Italorum carmina edidit apud Jacobum Tornerium. Libellus est minimâ formâ, nullius pretii. nam in eo diligentiam, æquitatem, candorem, acumen & intelligentiam desideres. Diligentem se certe non præbuit qui ejusmodi Editionem procuravit; ea enim fœdis & frequentibus operarum erroribus inquinata est: loci nonnulli moribus inutiles tolluntur, alii similimi relinquuntur. exempli causâ primum Hendecasyllabum in PULICIANUM expungitur: alterum exhibetur, cum lemmate: *De eodem*; in quem autem scriptum sit, lectores ignorare necesse est: quod ineptum sane ac ridiculum. Neque diligentiam æquitas vincit; quum plures joci liberales & innoxii duriore censura damnentur; non aliter ac si quis malus medicus & imperitus, ad carcinoma exstirpandum vocatus, integram

gram etiam carnem, & acerrimo ſenſu præditam crudeliter abſcindat. Quod ſi facere licitum fuit, poterant etiam Eclogæ omnes Piſcatoriæ penitus auferri: quibus tamen ille ſic pepercit, ut ferme trecentos ex reliquis poëmatis non æque fortunatis verſus exemerit. Candoris vero ac ſynceri animi hoc ſpecimen accipite. SANNAZARIUM vita functum ad uxorem ſcribentem bis inducit, quæ ab illo dum viveret numquam ducta eſt: quum tamen in altera illa vita beatiſſima nullæ nuptiæ celebrentur (1). Quod ſi tempus nobis ſuppeditaſſet ad ſingula examinanda, & accuratius perpendenda, non pauca fortaſſe inveniſſemus pro arbitrio mutata, interpolata, corrupta. nonne audaces iſti emendatores atque inepti hoc in antiquis etiam poëtis & claſſicis ſibi licere voluerunt? nonne ferrum ſuum, plumbum, ac lutum pro defæcato ac puriſſimo veterum auro non ſemel ſuppoſuerunt? neque juventuti credulæ fucum facere, poſteroſque in errorem inducere, religioni habuerunt? Mirum poſtremo acumen, & ſagax intelligentia

(1) Matth. 22. 30. Lucæ 20. 35.

tia in Editione illa elucet. Tria Epigrammata adverſus Pontifices, quæ deleri omnino oportuiſſet, loco mota non ſunt: nam eorum ſententiam, ut videtur, vir emunctæ naris minus perceperat. Quatuor præterea verſus *De Venere & Priapo*, quibus in toto SANNAZARII volumine nihil obſcœnius, ſublati non fuerunt; quod homo vecors, & fatuæ cujuſdam probitatis caſtos & ſeveros exiſtimaverit. Niſi forte (quid enim jocari vetat in re jocoſa?) priſcum illum Antiſtitem imitatus eſt, qui quum falſorum deorum ſimulacra omnia undique ſuſtuliſſet, ab enormi quadam ſtatua turpiſſimi hortorum dei conſulto manus abſtinuit, eamque perpetuum ſtultiſſimæ ſuperſtitionis monumentum exſtare voluit.

Quæ quamvis ita ſint ut oſtendimus, dum tamen tempora illa exſpectamus quæ pudicis Muſis tantùm & gravibus honorem habeant, tertiam hanc interea SANNAZARII poëmatum Editionem accipite, primæ atque alteri Cominianæ omnino ſimilem; iis concedentibus ad quos pertinet providere, ne quid Chriſtiana Reſpublica detrimenti capiat. Eam vero contulimus cum veteri Neapoli-

politana, de qua ſuperius locuti ſumus, & pag. 193. monemus Lectorem. Addidimus etiam, ob cognationem quamdam cum poëmate de Partu Virginis, communemque ſcriptoris cum SANNAZARIO patriam, paremque nobilitatem, SCIPIONIS CAPICII libros tres de Vate Maximo longe emendatiores quam eos olim protulerit Manutiorum typographia. Hos antecedunt breves Commentarii de vita, doctrina, ſcriptis ejuſdem, collecti a Viro nobili, humaniſſimo, & infinitæ propemodum lectionis, Comite Joanne Maria Mazzuchellio, ex generoſa Brixiana familia orto: cujus locupletiſſimi theſauri ad Italicos quoſque ſcriptores illuſtrandos, maximo litterarum bono, novum in dies incrementum ſumunt: & cui ob eximium donum ac ſingulare tantam habemus gratiam, quantam animi noſtri capere poſſunt. Nonnulla etiam teſtimonia doctorum virorum de SANNAZARIO, & FASCITELLO adjicere viſum eſt: hujus præterea Italicum Epigramma. Denique volumini coronidem imponit Ode quadringentorum verſuum pulcherrima & nobiliſſima BENEDICTI LAMPRIDII, Pindarico dicendi charactere compoſita, quo ille

cete-

ceteris omnibus qui Thebanum poëtam Latino carmine umquam ſecuti ſunt, palmam facile præripuit. Eam diu ineditam Ludovici Beccatellii Archiepiſcopi Raguſini bibliotheca ſervabat: quod autographum acceſſit ad librariam ſupellectilem copioſiſſimam Patricii Veneti cujuſdam primarii: nos ejus deſcribendæ poteſtatem nacti, tam inſigni munere vos fraudare noluimus. Reliquum eſt, ut vos, lectiſſimi juvenes, quorum præcipue cauſſa laboravimus, induſtriam noſtram probetis: quod ſi aſſecuti fuerimus, vehementer gaudebimus. Valete, ac bene rem gerite.

DE-

DEDICATIO I. NOSTRÆ EDITIONIS.

Illustrissimis atque Excellentissimis Viris,

ALOYSIO PISANO

Equiti, ac Ædis D. Marci Procuratori,

JOANNI PASCHALICO

MICHAELI MAUROCENO,

REI LITERARIÆ MODERATORIBUS

Joannes Antonius Vulpius S. P. D.

I quis est, cui mirum forte videatur, ACTII SYNCERI SANNAZARII, *elegantissimi hominis, poëmata, sublatis mea cura librariorum erroribus, in lucem rursus prodeuntia, a me* VOBIS *offerri,* VIRI AMPLISSIMI; *is profecto aut ea numquam legit, aut oscitanter, minimeque intento animo legit. Quum enim poëta ille recti amantissimus, de immortali* VENETORUM REPUBLICA *omnia egregia & præclara sentiret, diligenter providit, ne sententia hæc*

ſua paucis tantummodo familiaribus nota eſſet, ac deinde oblivione deleretur. Splendidis itaque magnificiſque carminibus, audiente atque invidente reliquo terrarum orbe, admirandæ URBIS VESTRÆ *dignitatem,* VESTRORUM*que clariſſimorum* CIVIUM *libertatem ornavit. quæ carmina quanto in pretio habenda ſint, & inſigni liberalitatis exemplo* SENATUS *eo tempore declarare voluit, & ex ipſius poëtæ natura facile colligi poteſt: non enim is erat* SANNAZARIUS, *qui libenter aſſentaretur, ſed potius, qui hominum vitia acerrime exagitaret, neque illos quidem intactos abire ſineret, quibus opes & potentia, ſcelerum impunitatem quodammodo peperiſſe videbantur. Hæc eſt demum vera laus, quæ a magni & excelſi animi viro proficiſcitur, neque ſpe, neque metu extorta: ad hanc improbis, & puſillis hominibus omnino aſpirare non licet. Quapropter ad neminem alium, niſi ad* VOS *hujuſmodi ſcripta deferenda erant,* VIRI AMPLISSIMI, *qui publico* VENETORUM PATRUM *decreto, graviſſimæ ſtudiorum procurationi præfecti eſtis, diſciplinas autem quæ ab humanitate nomen habent, præcipuoque urbibus ornamento ſunt, vel in primis diligitis, & coli gaudetis.* POETAM *igitur* VESTRUM *benigne atque hilare excipite, ejuſque carminibus legendis,* MAJORUM *gloriam agnoſcite, quæ tamquam hereditate ad* VOS *uſque pervenit. ſtat enim,* DEI OPT. MAX. *beneficio,* RESPUBLICA VESTRA, *ac tamdiu ſtabit, quamdiu genus ipſum hominum permanebit. Utinam vero aliquid non contemnendum ipſe ingenii mei viribus, præſtare poſſem, nec ſemper, ad meam erga* VOS *obſervantiam ſignificandam, alieno admi-*

niculo

niculo indigerem ; nemo profecto esset , qui Virtutes VESTRAS *majore studio atque alacritate celebraret : At quoniam eloquentia excellere , perpaucorum est , neque id mihi natura concessit ; hoc qualecumque munusculum æqui bonique consulite ,* VIRI AMPLISSIMI , *meosque conatus, quæso , patrocinio ac benevolentia* VESTRA *prosequimini . Valete .*

Patavii. Idibus Novembris. cIↃ IↃccxviii.

ERUDITO LECTORI

PRIMÆ NOSTRÆ EDITIONIS

S.

QUOD polliciti ſumus anno ſuperiore, nos videlicet daturos operam, ut cultiſſimi quique probatiſſimique Scriptores, qui ſæculo poſt CHRISTUM ortum decimoſexto Latinas literas a barbarie vindicavere, novo quaſi lumine illuſtrati, in manus hominum pervenirent, id ſedulo præſtare pergimus, erudite Lector. Ecce tibi ACTIUS SYNCERUS SANNAZARIUS, poëta merito ſuo ab omnibus fere celebratus, atque illis tantummodo ignotus, quibus vita elabitur dormitantibus, & quos nulla de rebus optimis cura umquam attingit. Ex hujus carminibus, antiquarum editionum ope, menda typographica paſſim ſuſtulimus; quæ res ad inſtitutum hoc noſtrum potiſſimum ſpectat. Quidquid autem de clariſſimo genere, de fortuna, de ſtudiis, de amicitiis, ceteriſque caſibus tanti viri, memoriæ proditum eſt, non mediocri labore ac diligentia ex variis libris collegimus, perpetuaque narratione contexuimus; eſt enim doctis hominibus jucunditati, quorum ingenium admirentur, eorum eventus moreſque cognoſcere. Graviſſimos etiam laudatores excitavimus, qui SANNAZARIO ſingularis eruditionis doctrinæque teſtimonium tribuerent; ut ſcilicet auctoritatem, qua ipſi caremus, ex aliorum ſententiis mutuaremur. Indicem quoque rerum memorabilium adjunximus, iis qui totum volumen perlegere noluerint, prope neceſſarium. Denique GABRIELIS ALTILII EPITHALAMIUM, exquiſitæ venuſtatis poëma, ſed in quibuſdam libris fœde corruptum, emendatius mul-

to exhibemus ; nonnulla item Honorati Fascitelli carmina, Catulli elegantiis affluentia, excudenda curavimus: quos poëtas Actio Syncero adjicere, non abs re visum est ; ambos enim regio Neapoli finitima protulit, Altilius vero Sannazario sodalitate etiam conjunctus fuit. Hæc volebamus, ne ignorares, amice Lector. Vale, fruere, ac fave.

ALTERIUS NOSTRÆ EDITIONIS LECTORIBUS.

JACOBI SANNAZARII, GABRIELIS ALTILII, & HONORATI FASCITELLI *poëmata, quæ ante hoſce XII. annos typis deſcribi curavimus, cupide adeo elegantiores homines exceperunt, ut hodie apud bibliopolas vix aliquod eorum exemplar inveniatur. Ne igitur ea diutius deſiderarentur, gratum facturi ſtudioſis adoleſcentibus, huic novæ editioni manum libenter admovimus; quæ quum omnia priore editione comprehenſa, rurſus exhibet, tum* ALTILII, & FASCITELLI *pluribus, iiſque ſane non contemnendis, carminibus aucta eſt, vel ad hanc diem ineditis, vel e rarioribus libris depromtis. horum autem pleraque debemus Viro Celeberrimo humaniſſimoque,* APOSTOLO ZENO, CAROLI CÆSARIS *Poëtæ atque Hiſtoriarum ſcriptori. Adjecta præterea ſunt doctorum virorum, aliquot de his poëtis teſtimonia; quæ ſingula hoc ſigno † notata invenietis. Indicem etiam in* SANNAZARII *poëmata non uno loco emendavimus, novaque cura perpolivimus. Porro multorum querelis commoti, quibus diphthongi ſolutæ moleſtiam afferebant, eas in unum contraximus, magiſque uſitatam orthographiæ rationem eo in genere ſecuti ſumus. Quod vero ad nitorem typorum atque chartarum attinet, nihil eſt quod illum oratione commendemus; res enim lucet ipſa per ſe. Favete, ut ſoliti, candidi Lectores, & bene rem gerite.*

JA-

JACOBI, SIVE ACTII SYNCERI SANNAZARII *NEAPOLITANI, V. P.*

I. VITA, A JOANNE ANTONIO VULPIO CONSCRIPTA.

(*Editio Quinta.*)

LÆUMELLINA Ciſalpinæ Galliæ regio eſt, in Ducis Mediolanenſis ditione. Ejus fines ab Oriente, Ticino flumine; a Meridie atque ab Occaſu Solis, Pado & 2. Seſſite; a Septemtrionibus, Novarienſi agro terminantur. Ea quum pluribus caſtellis & vicis diſtincta eſt, tum pagum continet nobiliſſimum, foſſis, aggeribus, portiſque munitum, opibus vero frequentiaque incolarum cum paucis conferendum, ut omnino urbis inſtar eſſe videatur: SANCTUM NAZARIUM ap-

1. Petrus Vlamingius Belga in Epiſtola ad Lectorem præfixa

pellant. Nomen invenit (nisi conjectura fallor) e viro fortissimo, qui patre Africano natus, Neronis Cæsaris temporibus maximos cruciatus toleravit, seque acriter morti obtulit, ut pro CHRISTI doctrina, quæ tum primum proferebatur, contra veterem gentium superstitionem propugnaret. Hujus reliquiæ corporis, quum diutius ignoratæ latuissent, Mediolani tandem a Divo Ambrosio, illius civitatis Antistite, repertæ sunt, statimque a populo summa religione coli cœptæ: qui cultus adhuc non in urbe solum, sed etiam in finitimis locis, festis institutis diebus, constantissime retinetur. In eo pago, stirpis antiquitate, divitiarum splendore, rerumque gestarum gloria ceteris longe præstitit SANNAZARIORUM familia; quæ ab ultimis Hispaniæ regionibus illuc profecta, eas copias paullatim eamque amplitudinem consecuta fuerat, ut immoderatæ Vicecomitum potentiæ so-

la

---

fixa Editioni suæ poëmatum SANNAZARII Amstelædamensi, anni 1728. ita de lucubratione hac nostra: *Vitam* ACTII SYNCERI, *quam Jo. Ant. Vulpius ex Crispo, qui Italo sermone, ad Aldum Manutium, hanc telam erat exorsus, & aliis scriptoribus, accurate sane & non ineleganter congessit, hic lubenter admisi, quamquam ipse, ante sexdecim, & quod excurrit, annos, laborem illum mihi sumseram (quum Arcadiam Sannazarianam, Belgice ligato & soluto sermone redderem, quæ brevi lucem adspiciet) præsertim, quum ex iisdem fontibus haustæ forent, & inter meam Vulpianamque de Sannazariana vita commentatiunculam nihil fere esset discriminis*.

Idem Vlamingius eadem Epistola vocat priorem nostram SANNAZARII editionem *nitidam, & perpuleram*: eoque nos honore dignatus est, ut testimonia omnia doctorum virorum de summo poëta a nobis olim collecta, in sua præclara editione iterum legi voluerit.

2. *Sessite*) Ita Plinius appellare videtur l. 3. c. 16. flumen quod a recentioribus *Sesia*, vel *Sicida* vocari consuevit.

la obſiſtere poſſe videretur. Hoc genere procreatus NICOLAUS SANNAZARIUS, Carolum III. Dyrrhachinum, ex Andegavenſibus principibus, qui anno poſt CHRISTUM ortum CIↃCCCLXXX. ab Urbano Pontifice evocatus, eo conſilio in Italiam venerat, ut regno Neapolitano potiretur, tribunus militum ſecutus eſt; pulſiſque demum hoſtibus, ob ſingularem virtutem, præclaraque in eo bello edita facinora, nonnulla in Lucanis caſtella a Rege victore, beneficii loco accepit. JACOBUS vero NICOLAI F. Ladislao Caroli F., ſtrenuo adoleſcenti, cui patris morte regnum obvenerat, triſtiſſimo ac difficillimo ejus tempore, utilem adeo operam præbuit, eique ad fugandum Ludovicum Andegavenſem ita præſto fuit, ut Petrinum, ſeu Montis Draconis Rupem, apud quam olim Sinueſſa ſita erat, bonam item Falerni agri partem, Maſſicos montes, oppidulumque ad Vulturni oſtia, prope Linternum illud vetus, P. Cornelii Scipionis Africani ſeceſſu & ſepultura nobilitatum, amiciſſimi Regis voluntate poſſidere cœperit, remque paternam æque, ac veterem avorum gloriam, mirum in modum amplificaverit. Sed, ut rerum quæ ex fortuna pendent, varia commutabiliſque ratio ſolet eſſe, paucis poſt annis Ladislaus, vigenti admodum ætate, nullis relictis liberis, exceſſit e vita. quo defuncto, Joanna ſoror ejus, impotenti animo mulier, & cujus mores plurimum a fraternis abeſſent, regni adminiſtrationem ſuſcepit. Hæc, quum ſentiret, ſe odioſam eſſe illis qui, vivo fratre, honoribus & gratia in aula floruiſſent, eos inſectari numquam deſtitit, donec dignitate omni per ſummam injuriam ſpoliatos, bonis avitis & patriis funditus everteret. JACOBUS igitur ex beato repente miſer, tenuiſſimum patrimonium JACOBO NICOLAO filio reliquit, quo vix principis civis perſonam, ampliſſimæque familiæ nobilitatem tueri poſſet.

set. Is tamen, casus adversos, ut poterat, sapienter modestequè ferens, uxorem duxit MASELLAM A SANCTO MANGO, civem Salernitanam, vetusto & nobili genere ortam, ex qua JACOBUM, cujus potissimum caussa hæc omnis mihi instituta narratio est, ac MARCUM ANTONIUM liberos procreavit. Natus est JACOBUS hic noster Neapoli, anno a CHRISTI adventu CIↃ CCCC LVIII. I. festo die SANCTI NAZARII, V. Kal. Sextilis: quod ipse clarissimis carmi-

---

1. *Festo die Sancti Nazarii*) A quo Martyre generis ipse originem sese traxisse non obscure innuit SANNAZARIUS, quando hæc canit in Ode de fonte Mergillines, quæ extat Lib. Epig. 2.

Namque ab extremo properans Eoo,
Hac die primum mihi vagienti
Phœbus illuxit; pariterque dias
Hausimus auras.
Hac & insigni peragenda ritu
Sacra solennes veniunt ad aras,
Nazari, unde omnes tituli, meæque
Nomina gentis, *&c.*
Si mihi primos generis parentes,
Si mihi lucem pariter dedisti,
Huc age, & fontem tibi dedicatum
Sæpe revise.

& iterum, eodem Epigr. libro in Hymno ad D. Nazarium.

O mihi semper geniale cæli
Sidus, o famæ decus omne nostræ,
Auctor o idem mihi gentis & spirabilis auræ,
Se tibi debet proavorum origo, *&*
Sanguinis si sunt decora ulla nostri:
Debet & præsens genus, & futurum,
Debet & hæc lux
Sacra, quæ magnum mihi prima Solem
Obtulit nascenti &c. — —

Petrus Vlamingius.

minum ſuorum monumentis non ſemel teſtatum eſſe voluit. Per id tempus Alfonſus Aragonius, Rex Neapolitanus, cognomento Victor, qui a Joanna Regina adoptatus fuerat, vir bellica laude maxime præſtans, paciſque artibus ornatiſſimus, mortem obiturus, Ferdinando filio ex nobili concubina ſuſcepto regnum tradidit. Tum & ſtellæ crinitæ, quas Græci cometas appellant, & prodigia multa in cælo viſa; quæ tamquam futurarum ſigna calamitatum vulgi animos perterrebant. Bellorum deinde motus tota Italia excitati ſunt: quibus privatorum bona direpta, liberi homines in ſervitutem abducti, exercitus ſæpe magni occidione occiſi. Multa præterea oppida terræmotibus corruére, florentiſſimiſque urbibus peſtilentiæ vi ſolitudo & vaſtitas illata eſt. SANNAZARIUS igitur peſſimis auſpiciis vitam exorſus, quum per ætatem nondum ipſe ſibi proſpicere poſſet, patrem amiſit; matrique in tutelam traditus una cum fratre natu minore, fortunæ iniquitatem experiri cœpit. Mater ejus, virilis animi femina, quum ſe in tantas rei familiaris anguſtias adductam videret, neque haberet, unde ſibi ſuæque familiæ ſumtus liberales ſuppeditarentur, maxime pro urbis Neapolis opulentia & dignitate, extrema filiorum pueritia in Picentinos conceſſit, Nuceriæque Paganorum domicilio collocato, ibi parce admodum continenterque vivebat. Eo in oppido JACOBUS, ut erat eximio ingenio, & ad colendam poëſim aptiſſimo, librum illum ſuum vernaculo ſermone fertur inchoaſſe, quem paſtorum luſibus amoribuſque refertum, ARCADIAM inſcripſit. Antequam vero Neapoli excederet, Juniani Maji, celebris eo tempore ludimagiſtri, domum frequentaverat, a quo Latinis Græciſque literis diligenter imbutus eſt. Is porro quanto in honore ſemper fuerit apud gratum memoremque beneficii diſcipulum, SANNAZARII carmina paſſim declarant, in quibus Majus

do-

doctiſſimis hominibus annumeratur, & ob ſingularem prudentiam, rerumque uſum, miris laudibus in cælum tollitur. Dolebat ſane optimo præceptori ſummam vim ingenii, qualem ſcilicet in puero perſpexerat, ſitu veluti quodam ac pædore obſoleſcere, neque in principum virorum conſpectu, pulcherrimæque urbis luce poſitam eſſe; iccirco MASELLÆ 1. auctor fuit, ne tam egregiæ indolis filium in abdito diutius manere pateretur; ſed potius, copiolis omnibus quæ illi reliquæ eſſent, contractis, JACOBUM Neapoli ingenue liberaliterque educandum curaret. Brevi enim fore ajebat, ut ſumtus in ea re facti, amplioribus longe commodis, quæ plerumque ſtudioſorum adoleſcentium induſtriam conſequi ſolent, abunde compenſarentur. Paruit fideli conſilio materfamilias, & primo quoque tempore cum liberis Neapolim venit. Florebat ea tempeſtate in celeberrima urbe Joannes Pontanus, vir diſciplinis omnibus, & præcipue illis quibus juvenum animi ad humanitatem informantur, præter ceteros excultus atque expolitus. Ad hujus domum, tamquam ad certiſſimum Mu-

---

1. *auctor fuit, ne..... pateretur*) Hæc loquendi ratio minus Latina ſit oportet, ſi Paullo Manutio auſcultare velimus, qui Comment. in Epiſt. 1. lib. 1. M. Tullii Ciceronis, pag. 6. ita ſcriptum reliquit: *Addo illud* auctorem *dici, non qui hortatur ne quid fiat, ſed qui hortatur ut fiat. Itaque* auctor, *&* diſſuaſor *Cicero opponit: cæteraque ejuſdem, atque etiam aliorum exempla ad affirmationem ſemper, numquam ad negationem ſpectant.* Quæ tamen regula maxime luculento Bruti ad Ciceronem exemplo falſa eſſe deprehenditur, qui Epiſt. 15. lib. Epiſt. Ciceronis ad Brutum, hoc pacto ſcribit: *Nam illi* (Antiſtio) *ita ſentienti de republica magnopere* AUCTOR *fui* NE *differret tempus petitionis ſuæ.* Ipſique M. Tullio Epiſt. 27. l. 11. ad Famil. Matius dicitur NON *ſuſcipiendi belli civilis graviſſimus* AUCTOR.

Muſarum & Sapientiæ templum, flos nobilitatis & juventutis Neapolitanæ undique confluebat : & cuicumque adoleſcenti bona de ingenio ſuo ſpes eſſet, is neminem alium, niſi Pontanum, ſtudiorum ſuorum hortatorem quærebat. Quapropter non defuerunt, qui Pontani Academiam (ſic enim ipſe lectiſſimorum ingeniorum concilium illud cœtumque appellabat) equi Trojani ſimillimam fuiſſe dicerent ; ex qua ſcilicet non quidem belli duces, urbiumqne expugnatores, at egregii poëtæ, ſummique oratores plurimi in apertum prodierint. Conſuetudo autem erat, ut quicumque bonarum artium cupiditate inflammatus ad maximum virum ſe applicuiſſet, 1. novum ſibi nomen imponeret, ex antiquitate deprompтum. putabant etenim, ejuſmodi nomina & plus dignitatis in ſe continere, & blandius quodammodo jucundiuſque in aures influere poſſe. Quo tamen facto nonnulli cenſoriæ gravitatis homines vehementer offenſi ſunt; quibus nimirum Chriſtiana lædi pietas, & majorum inſtituta convelli videbantur, ſi, nominibus quæ ſanctiſſimorum virorum olim fuiſſent, penitus abjectis, in eorum locum alia ſupponerentur, quæ

1. *novum ſibi nomen imponeret*) Etiam Ludovicum Arioſtum hic mos nominis mutandi adverſarium habuit in ſexta Satyrarum ad Petrum Bembum :

Il nome che d' Apoſtolo ti denno,
O d' alcun minor Santo, i padri ....
. . . . . .
In Coſmico, in Pomponio vai mutando.
Altri Pietro in Pierio, altri Giovanni
In Jano, e in Jovian van racconciando:
Quaſi ch' il nome il buon giudicio inganni:
E che quel meglio t' abbia a far poeta
Che non farà lo ſtudio di molt' anni.

Petrus Vlamingius.

quæ profanarum gentium memoriam renovarent. Sed pleræque res in hominum vita, quæ neque ſummam honeſtatem, neque rurſus inſignem turpitudinem adjunctam habent, perinde ſunt ut accipiuntur; nec quidquam adhuc in eo genere vel a ſapientiſſimis excogitari potuit ita elegans atque perfectum, ut nullos omnino reprehenſores invenerit. Pontanus igitur, quo reliquos exemplo excitaret, Jovianus appellari voluit: SANNAZARIUM vero jam pridem in familiaritatem receptum, ACTIUM SYNCERUM ex eo nominavit, quod ille princeps ex Latinis bucolico poëmate piſcatores de amoribus ſuis in *acta* colloquentes induxiſſet, & quod ſine fuco & fallaciis vitam ageret, nec aliud clauſum in pectore, aliud in lingua promtum haberet; amaretque puram & ſimplicem dicendi formam, in qua ſcilicet ipſius ingenium & mores apertiſſime elucebant. Quæ vero argumenta impulerint Paullum Jovium, ut monumentis traderet literarum, a SANNAZARIO avitum gentilitiumque nomen repudiatum fuiſſe, equidem ignorare me fateor. Nam tametſi JACOBUS, ubi conventus amicorum iiſdem ſtudiis gaudentium, aut feſtiva aliqua ſcriptio hilaritatem & jocos poſtulare videbatur, illo altero nomine ſæpius uteretur, non tamen ad eas ineptias umquam deſcendit, ut proprium clariſſimæ familiæ vocabulum aſpernaretur. immo vero, id ſibi magno ornamento eſſe, & apud poſteros fore, exiſtimans, optimis verſibus commemorare ac celebrare non deſtitit. Quum igitur ad eximiam ingenii ſuavitatem eas artes adjunxiſſet adoleſcens quæ duros etiam & agreſtes homines mollire ac mitigare conſueverunt, incidit in amorem formoſiſſimæ puellæ, nobili genere ortæ, quam 1. Carmoſi-

1. *Carmoſinam Bonifaciam*) Ipſe vero SANNAZARIUS, aliique ejus temporis poëtæ *Harmoſynen* vocant.

mosinam Bonifaciam appellabant. SANNAZARII autem, & 1. Bonifacii, quod ejusdem vicinitatis essent, in idem quoque concilium Portæ Novæ adscripti erant. Hujusmodi concilia Neapolitani *sedes* vocant. quum enim propter urbis magnitudinem cives nobiles domiciliis inter se distantes, vix unum in locum convenire possent, de republica consulturi, urbs in quinque regiones distributa est, quarum singulis suam veluti curiam esse voluerunt, in qua viri primarii proxima loca incolentes, sententiam dicerent, & suffragia ferrent. Ut autem omnis ejusmodi amor anxius & sollicitus est, variasque animis perturbationes afferre solet, SANNAZARIUS noctes atque dies miserrime afflictabatur; non enim illi puella mutuam voluntatem tribuebat, sive id pudicitiæ custodiendæ causa faceret, sive quod ad formosam pertinere arbitraretur, amatorem sævitia excruciare. In tanta igitur acerbitate postremum illud adolescenti perfugium relinquebatur, plenis querelarum carminibus modo levitatem suam, modo puellæ crudelitatem, modo fortunæ vim atque imperium accusare; quod quidem egregie præstitit magno breviorum poëmatum numero, hac recentiori Italica lingua scriptorum, quæ maxime omnium Latino epigrammati respondere existimantur. Aliud etiam genus frequentavit, argutis concinnisque sententiis cum superiore fere conveniens,

---

1. *Bonifacii*) Memorabile, & rarum est quod scribit Ludovicus Dulcius in Epistola ad Joannem Bernardinum Bonifacium, qua ei mittit Ludovici Pascalis, Julii Camilli, Molsæ, & aliorum Illustrium Poëtarum Carmina typis excusa Venetiis apud Gabr. Jolitum 1551. in 8. *Quid doctissimo fratre tuo* DRAGONETO *elegantius, cultius, aut expolitius antiquitas habuit? nonne illud* SANNAZARII *obstupescentis dictum, Palmam sibi a* DRAGONETO *ereptam videri? &c.*

domum rediiſſent, ipſe ab ejus latere numquam diſceſſit, cumque eo tamdiu fuit, dum ille curis ac mœrore confectus, mortem oppeteret. Quodque incredibile multis videri poſſit, antequam iter ingrederetur, quum oppidula duo, & portorium, quod ſexto ab urbe lapide collocatum incolæ Gandellum appellabant, vendidiſſet, quadringenta viginti ſeſtertia ex venditione collecta, libentiſſime Regi obtulit, vix exigua tantæ pecuniæ parte ad vitæ neceſſitates ſibi reſervata. Neque vero exſtincti memoriam colere umquam deſtitit, ſed & in ejus funere 1. ingentem lacrimarum vim profudit, & qui in eo perdendo operam ſuam omnem ſtudiumque poſuerant, in hoſtium numero habuit, apertiſſimoque odio ſemper proſecutus eſt. Veriſimile autem videtur, Elegiam illam tertii libri, quam ipſe tamquam ad Federicum miſſam in vulgus edidit, poſt Regis mortem conſcriptam fuiſſe; in ea enim de ejus exſilio ac ſepultura mentio fit. ſed fortaſſis poëta ideo ſimulatione uſus eſt, ut ſcilicet Cajetæ vaticinium majorem iis qui legiſſent, admirationem moveret. Jam omnibus pietatis officiis diligentiſſime perſolutis, quum patriæ deſiderio teneretur, Neapolim rediit, anno poſt CHRISTUM ortum cIↃ IↃv. Non eſt autem ſilentio prætereundum, vetuſtiſſimos codices, multiſque antea ſæculis inviſos, a SYNCERO e Gallia in Italiam fuiſſe allatos; particulam videlicet Ovidiani poëmatis de piſcibus, Gratii Faliſci, & Olympii Nemeſiani carmina de venatione, Rutilii Numatiani Itinerarium; necnon Valerii Martialis, Auſonii, & Solini ſcripta, iis quæ vulgo circumferri ſolerent, emendatiora. Neapoli porro (ut erat inſigni morum elegantia, quam ex principum virorum familiaritatibus hauſerat) Joannam Reginam præcipue coluit atque obſervavit. Quum autem

1. Vide Elegiam 2. l. 3. a v. 79.

tem regia in domo assidue versaretur, Cassandræ Marchesiæ, ingenio ac forma præcellentis puellæ, e comitatu nobilium mulierum quæ circum Reginam erant, amore captus est. Hæc sibi Joannæ voluntatem pudoris ac modestiæ significatione præ ceteris conciliaverat. Non tamen, ut sæpius fit, fœdis perturbationibus agitabatur SANNAZARIUS, ætatem illam jam prætergressus quæ maxime libidinum imperio subjecta est, at veterum Platonicorum more, occultam animi pulchritudinem ex corporis dignitate conjiciens, in ejus potissimum contemplatione mentis oculos defigebat. Igitur omni dictorum factorumque turpitudine procul amota, ea tantummodo puellæ præstabat officia quæ virtuti nihil officere posse viderentur. Nec rivales moleste tulit. quum enim Alfonsus Castriota, vir primaria nobilitate, eodem tempore Cassandram amaret, & ut firmius puellæ animum sibi adjungeret, pollicitus ei esset, se illam uxorem ducturum, ipsumque postea promissi pœnituisset; omnes nervos contendit SANNAZARIUS, ut LEO X. Pontifex Maximus, matrimonium ratum haberet, neque Alfonsum juramento solveret; ususque in eo est auctoritate Petri Bembi, qui tum Pontifici ab epistolis erat. sed quum ob nimiam adversariorum potentiam, optata impetrare non potuisset, iniquiore in LEONEM animo postea fuit. Quemadmodum vero iis iratum se præbuit quorum consilia & mores plurimum a suis distare cognovisset, ita multorum amicitiis floruit qui eodem studio literarum, veritatis, & constantiæ tenebantur. Caros ideo in primis habuit e Neapolitanis civibus, Franciscum Pudericum, acerrimo judicio virum, qui quamquam oculis captus, quid pulchrum, quid rectum esset in scriptis poëtarum oratorumque, egregie dijudicare poterat: Lucium Crassum, antiquitatis studiosissimum: Petrum Compatrem, Hieronymum Carbonem,

nem, Thomam Fuſcum, Rutilium Zenonem, Joannem Franciſcum, & Marinum Caracciolos, Joannem Sangrium, Antonium Garlonium Allifarum Ducem, Trajanum Cabanilium Trojæ ac Montellæ Dominum, Chariteum, Andream Matthæum, & Beliſarium Aquivivos, alterum Hadriæ, alterum Neritinorum Ducem; qui omnes elegantioribus Muſis mirifice dediti erant: Petrum item Summontium, qui res Neapolitanorum literis mandavit, Alexandrum ab Alexandro, Juriſconſultum, hominem liberalibus doctrinis politiſſimum, Hieronymum Seripandum Cardinalem, Ferdinandum Havalum, Piſcariæ Ducem, imperatoremque fortiſſimum; a quibus contra impenſe diligebatur, maximique fiebat. Summa etiam illi neceſſitudo fuit cum Joanne Pardo Hiſpano, Philoſopho præſtantiſſimo, & cum Antonio Galateo Appulo, qui medicinæ operam dabat. Coluit præterea omnibus officiis Joannem Pierium Valerianum Bellunenſem, Julium Senenſem, Michaëlem Marullum Byzantinum, Bartholomæum Scalam Florentinum, Gabrielem Altilium in Lucania natum, Petrum Gravinam Siculum, Elyſium Calentium Appulum, Ægidium Viterbienſem Cardinalem, Ludovicum denique Montaltum Syracuſanum, viros ingenii laude, vitæ innocentia, morumque ſuavitate ſpectatiſſimos. Ex Venetis, Petro Bembo, qui tum in literis regnabat, & Marco Antonio Michaëlio, plurimum tribuit. Aldi quoque Manutii, hominis de politiori antiquitate præclare meriti, induſtriam atque eruditionem valde ſuſpexit, cui & ARCADIAM ſuam tradidit, typis divulgandam. Dilexit & complures alios; quos ſingulos enumerare nimis longum, atque adeo injucundum foret. Quos autem ſemel in amicitiam recepiſſet, iis uſque ad extremum ſpiritum inviolatam fidem ſervavit; neque umquam commi-

ſit, ut aut beneficiorum oblitus, aut in difficultatibus periculiſque amicorum lentus ac negligens videri poſſet. Hanc ſane fidelitatis conſtantiæque laudem, tamquam ipſius propriam & ſingularem, omnes, ne inimicis quidem exceptis, ACTIO SYNCERO tribui debere, una voce prædicabant. Erga Jovianum Pontanum, quo ſtudiorum ſuorum impulſore in juventute uſus erat, ita ſemper animatus fuit, ut erga ſemetipſum; & quamquam illum carminis dignitate, Latinique ſermonis elegantia procul dubio ſuperaviſſet, nihilominus, quoties occaſio oblata eſſet, de illius ingenio, eruditione, ſapientia, cum familiaribus honeſtiſſime loquebatur. Hujus etiam ſcripta e domeſticæ bibliothecæ tenebris primus in lucem evocavit; adhibitis ad eam rem Franciſco Ælio, Petroque Summontio, viris eruditiſſimis. multorum profecto diſſimilis, qui poſtquam ſine cortice natare didicerunt, ut in veteri proverbio eſt, ac nonnullam dicendi facultatem adepti ſibi videntur, eos quorum opera profecerunt, non ſolum præ ſe contemnere, ſed etiam vehementius inſectari ſolent. Ea præterea SANNAZARII probitas fuit, ut quadam epiſtola ad M. Antonium Michaëlium data, ſe pluribus quidem ſaluti fuiſſe, nemini vero umquam nocuiſſe, gloriari potuerit. quæ laus una ceteris omnibus merito anteponenda eſt. A litibus ſummopere abhorruit; videbat enim, nihil magis animi tranquillitati, ſtudiiſque rectioribus adverſari, quam ſtrepitum fori, vulgariumque hominum concertationes. Juſtitia quantum ab ipſo culta ſit, non uno argumento cognoſci poteſt. Quo primum tempore Gallica natio Neapolitanum regnum invaſerat, nulla æqua judicia fiebant; qui provinciis præerant, maleficio & ſcelere paſcebantur; nobilium bona publicabantur; cuncta denique ex victorum libidine, non ex legis ratione gerebantur. SANNAZARIUS tanta rei atro-

atrocitate commotus, egit ſedulo cum Petro de Roccaſorti, cujus fidei negotia regni Galliæ commiſſa erant, ut ejus apud Regem auctoritate modus injuriis aliquando ſtatueretur; ad quem etiam Elegiam miſit, in qua ſcilicet Aſtræam cum ipſo conquerentem inducit. Cæſarem Borgiam, Ducem Valentinum, Tyrannorum crudeliſſimum, quem præceps atque effrenata regnandi cupiditas ad peſſima quæque ſuſcipienda facinora quotidie impellebat, probroſis carminibus maledictiſque vexavit; & de ejus tandem pernicie lætitiam apertiſſime tulit. Nebulones, paraſitos, comeſſatores, & qui ad cædem faciendam pretio conducti latrocinia in urbibus exercent, ac noctu diuque cum telo ambulant, maxime oderat. Nec eorum mores probare poterat qui quamquam ingenioſi, doctrinaque exculti, reliquos tamen omnes infra ſe ducerent. quamobrem & Politiano infenſior fuit, eumque binis epigrammatis laceravit, quod nimirum, vir alioqui doctiſſimus, ſe inſolenter efferret, (ut SYNCERO quidem videbatur) &, quemadmodum olim Quintus ille Palæmon, ſecum natas, ſecumque morituras literas arbitraretur. at diffiteri nolim, inimicitias quas cum Michaële Marullo, & Bartholomæo Scala, Marulli ſocero, Politianus gerebat, præcipuam SANNAZARIO odii cauſſam fuiſſe. Pietate ac religione in ſuperos nemini conceſſit. Quum enim Ægidium Viterbienſem, Auguſtinianæ familiæ monachum, improbos homines acerrima concione objurgantem audiſſet, ac neſcio quo Virgilii verſiculo, quo ille opportune ad faciendam fidem uſus erat, mirabiliter ſe affici ſenſiſſet; gravem illum virum diligere, omnique officiorum genere proſequi cœpit: ac deinde rerum divinarum amore inflammatus, egregium illud DE PARTU VIRGINIS poëma inchoavit, quod omnium ſæculorum poſteritas admirabitur. Ne autem aliquid prætermitteret quod ad

eum

cultum sanctissimæ DEI OPTIMI MAXIMI Genitricis pertineret, in scopulis Mergillinæ templum ædificavit, ejus divini partus memoriæ sacrum; cui templo monachorum Collegium adjunxit, qui se MARIÆ Servos appellant; iisque prædia reliquit, ex quibus octo millia H-S in singulos annos percipierent, ad festos dies anniversarios agendos, & ut Federici Regis, Actii Synceri, ejusque parentum peccata, DEUM quotidie precando, expiarent. Divo quoque Nazario sacellum exstruendum curavit. Præ ceteris vero cælestibus, Augustinum maximum illum Theologum, Gaudiosum, Jacobum Picenum, atque Antonium Lusitanum, cujus sepulcrum Patavii positum toto orbe terrarum celebratur, a Sannazario in honore habitos fuisse; quum ex ipsius poëmatis apparet, tum ex aliorum testimoniis constat. Non tamen pietate impediebatur, quominus in studiis humanitatis ac literarum versaretur; sed amicis, qui ad eum ventitabant, semper novum aliquod epigramma, salis atque urbanitatis plenum, aut elegiam recitare solitus erat, quæ nitore atque elegantia cum antiquorum scriptis certare posset. In hoc genere Propertium sibi ad imitandum propositi, candidum sane poëtam, Græcorumque ornamentis abundantem; cujus transmarinos lepores nativa quadam Tibulli, & Ovidii suavitate passim temperavit. Quum vero ad heroicum poëma aggressus fuisset, nusquam a Virgilii magnitudine dejiciebat oculos, quem adeo admirabatur, ut ejus natalem diem quotannis solenni convivio cum familiaribus celebraret. Numerorum scientiam, ei qui in scribendo carmine excellere velit, maxime necessariam, at multis antea sæculis ignoratam, unus perfecte calluit, ac reliquis exemplo monstravit. de qua ipsum disputantem, quamvis eo tempore admodum adolescentem, Pontanus inducit in eo dialogo cui

Actio

Actio nomen eſt. Qua potiſſimum re, tanta Sannazario deberi gloria mihi videtur, quantam conſecutus eſt Bembus, quod homines ad M. Tullii ſcripta diligentius evolvenda primus excitaverit. In opus De Partu Virginis perpoliendum infinitos pæne labores inſumſit, illudque perpetuis annis viginti accuratiſſime caſtigavit; lucubrationum ſuarum triſtis ac moroſus omnino cenſor. Et quamquam ſubtili judicio præditus eſſet, quo & a pravis recta, & a mediocribus optima diſcernere poſſet, ipſe tamen ſibi diffiſus, ad Franciſcum Pudericum, doctiſſimum ſenem, aſſidue veniebat, cumque illo de verſibus a ſe nuperrime factis communicabat. Quem ferunt auribus adeo faſtidioſis fuiſſe, ut a Syncero decem interdum verſus in eamdem ſententiam recitarentur, antequam illi plane ſatisfieret. Ob hanc nimiam in ſcribendo diligentiam, ſtatarium poëtam nonnulli Sannazarium nominavere, qui videlicet manum de tabula tollere neſciret. Neque ulli, dum vixit, iratior fuit, quam cuidam qui ſcripta ejus nondum ſatis emendata furtim abſtulerat, eaque Venetiis edere conſtituerat. Quum autem LEO X. Pont. Max. de tam præclaro poëmate audiſſet (erat enim res in omnium ſermone) incredibilem animo voluptatem cepit, non ſolum quod literatorum hominum conatibus favere ſolitus erat, ſed etiam quod e re Chriſtiana fore exiſtimabat, ſi pia hujuſmodi atque elegantia ſcripta impiorum quorumdam ſcriptis opponerentur, qui religionem a majoribus traditam, eo potiſſimum tempore labefactare, ac funditus delere cupiebant. Itaque ad Syncerum literas dedit, admodum honorifice ſcriptas, quibus ei ſingularem in DEUM pietatem, vimque ingenii admirabilem gratularetur, eumque ad perfectum jam opus quamprimum edendum hortaretur. Verum, offenſione exorta quam ſupra commemoravimus, San-

NA-

jecto tempore, quum Franciscus Galliæ Rex cum Carolo Cæsare de Neapolitano regno dimicaret, SANNAZARIUS tristem omnino nuntium accepit: jussu nimirum Philiberti Aurantii, Cæsariani exercitus Ducis, villam suam Mergillinæ, cæsa prius Gallorum cohorte, quæ illic ad excubandum consederat, a militibus fuisse dirutam, ne rursus ab hostibus occuparetur. Ea res acerbissimum poëtæ dolorem inussit, maxime quod monachos de quibus antea diximus, honesto illo domicilio excipere cogitaverat. Scribit Jovius, ob hujusmodi factum, ACTIUM SYNCERUM tanta in Philibertum iracundia exarsisse, ut quum tandem eum in pugna occisum, audisset, ipse graviter ægrotans, mortique jam proximus, libenter se de vita migrare testatus fuerit, postquam barbarus ille imperator violatis Musis, quibus villa sacra erat, interitu suo pœnas dedisset. Mortuus est SANNAZARIUS Neapoli, omnibus quæ ad religionem pertinerent, rite sancteque persolutis, anno ab humano genere servato cIↃ IↃxxx. annum agens LXXII., in domo Cassandræ, si fides Rainerio Gualando, viro nobili, habenda est, qui se morientis lectulo adstitisse, ejusque cadaver in avitam Sannazariorum domum transferendum curasse, affirmare solitus erat. Non enim audiendus Trajanus Boccalinus, qui poëtam, ex animi acerbitate morbo contracto, in summa rerum omnium inopia, Romæ obiisse, scriptum reliquit. Antequam vero ad sepulturam efferretur, quidam, poëtarum, doctorumque hominum studiosissimus, formam capitis ejus effingi mandavit, quæ ipsius monumento marmoreo, opera Joannis Angeli Florentini, excellentissimi artificis, affabre sculpto, demum imposita est. Eidem tumulo Petrus Bembus hujusmodi carmen inscripsit:

DA. SACRO. CINERI. FLORES. HIC. ILLE. MARONI
SYNCERVS. MVSA. PROXIMVS. VT. TVMVLO

In bibliotheca quoque Hieronymi Seripandi, Cardinalis, a quo maxime colebatur, vera SANNAZARII effigies, in tabula picta, olim exstabat. Sepultus est in templo quod ipse Beatissimæ Virgini, DEI Genitrici, vivens dicaverat; funus procurante Cassandra. Nullos omnino reliquit liberos. Unicum vero filium quo se orbatum, in epigrammatis 1. queri videtur, ex qua muliere susceperit, incertum est; quum ceteroqui, uxorem ab eo numquam esse ductam, satis constet. Gens etiam Sannazariorum, quæ Neapoli floruit, mortua nepte Marci Antonii, fratris ACTII SYNCERI, quam Camillus Morumilius, Patricius Neapolitanus, in matrimonio habuerat, tota deleta est. Ita mortalium res omnes definitis temporibus conclusæ circumscriptæque sunt, quibus & incipiant, & sensim augeantur, & demum intereant: ea tantum quæ virtute atque ingenio paratur, gloria, numquam senescit, unoque orbis terrarum excidio videtur posse aboleri. Maximo in pretio habita sunt ad hanc usque diem SANNAZARII scripta, non a vulgo solum; cujus judicium leve, fallax, varium, instabile; sed etiam a doctissimis viris, & ab iis qui alienam industriam parce admodum laudare solent, ne suæ quodammodo detrahere videantur. In primis vero ECLOGÆ PISCATORIÆ omnium admirationem promeritæ sunt. Elegantia certe poëmatum SANNAZARII pleroque a scribendo Latino carmine deterruit; Bembusque ipse, quamquam id optime facere potuisset, libris ejus perlectis, ad Etruscam poësim colendam totum se contulit. Quicumque postea heroicum poëma attingere voluerunt

(si

---

1. *queri videtur*) Epigr. 43. l. 2. quod incipit: *Cur heu Lætitiam falso dixere parentes*, &c. id tamen carmen alieno luctui leniendo fortasse scripserit, qui mos poëtarum est.

(ſi Fracaſtorium, & Vidam excipias, homines doctrina atque ingenio ſingulari) longe infra SYNCERUM ſubſtitere. Ægre ferebat Seripandus, Cardinalis, opus DE PARTU VIRGINIS tanta cura elaboratum, non a pueris in ſcholis ediſci, quum Æneidi Virgilianæ, orationis majeſtate prope par eſſet, argumenti autem dignitate etiam antecelleret. Non me fugit, Deſiderium Eraſmum Roterodamum, cui ſubinviſa erat Italorum gloria, nodum in ſcirpo quæſiviſſe, ac SANNAZARIUM reprehendiſſe, quod rem ſacram fabulis antiquorum inculcandis commaculaverit; ſed quum Franciſcus Floridus Sabinus in libris Succiſivarum Lectionum pro egregio poëta cauſſam dixerit, qui amborum argumenta perpendent, utri potius aſſentiendum ſit, ii facile dijudicabunt.

* FRANCISCUS ÆLIUS MARCHESIUS

(qui Sannazarii temporibus vixit, Librumque de Neapolitanis Familiis scripsit)

DE GENTE

SANNAZARIANA, ET ACTIO SYNCERO.

Sannazarios genere nobilissimos, nemo Italicarum rerum mediocriter gnarus est qui nesciat. Actius Syncerus *noster, ut scis, homo & summæ modestiæ, & sinceritatis, Caroli III. literas mihi ostendit, quibus Nicolaum & Benedictum Sannazarios ad ejus stipendia invitat. Erat eo tempore Carolus ab Urbano VI. Pontifice ad regnum capessendum* hortatus, *& fratres Sannazarii Papia oriundi, a Vicecomitibus Dominis, quorum ditionis erant, merebant stipendia; ceterum viri generosi Regis magnanimi precibus tergiversari non potuerunt. Itaque anno salutis* 1381. *in Caroli III. castra venerunt, alter cum equitum turmis quatuor, alter cum duabus. Rex non tam numero, quam qualitate militum ac præfectorum, lætus, illos stipendiis satis liberalibus amplissimisque promissis prosecutus est. Victo demum Othone Brunsvichio, captoque cum Joanna regina universo regno Neapolitano, Sannazariis fratribus, Montis Dragonis Rocham, ac feuda quamplurima in Suessano ac Sidicino agro, item Serram ac Sanctum Laurentium, Felictum, & Castrum Novum ob virtutes dono dedit, eosque carissimos habuit. Mortuo*

---

* Ex Scipionis Mazellæ regni Neapolitani descriptione sumsit Petrus Vlamingius.

tuo deinde Carolo III. eamdem Ladislao ejus filio fidem præstitere; & si Rex ille diutius vixisset, magna in Jacobum, Nicolai filium, beneficia, collaturus videbatur. Successit Ladislao Joanna Secunda, quæ primum amoribus Pandolphelli Alopæ, mox Serianni Caracciioli addicta, & quasi mente capta omnes a Carolo patre & Ladislao fratre erectos prosternere studuit; ita ut Aurilios, Sannazarios, Moriminos, viros bellicosos, & Sfortiæ amicos, quia Serianni magnitudinem ferre non poterant, ipsos Serianno exautorandos persequendosque tradiderit, qui (ut erat prudentia & in tractandis rebus solertia singulari) variis de causis modo hos, modo illos, infra quinquennium bonis, auctoritate, & dignitatibus spoliavit; nactusque occasionem suspicionis, quia Jacobus Sannazarius Annichino Morimino rebus novis studenti, opem & consilium præstitisse dicebatur, reum a fisci patrono ad causam dicendam citari procuravit. Jacobus magis cedere tempori, quam se inimici tradere potestati decrevit; sperabat enim reginam, tot probris coopertam, diutius non regnaturam. Verum opinio eum fefellit; mortua enim Joanna, ejus bona ad Sanseverinos proceres, & ad Joannem Antonium Marsanum Suessæ Ducem, viros potentissimos, translata, ab iis avelli amplius non potuere. Superfuit e Jacobo Nicolaus filius, Syngeri *nostri pater, qui cum bonis quæ Bargensatica Neapoli & proximis in locis recuperaverat, ducta uxore honesto loco nata, se & M. Antonium, & Syngerum filios aluit, qui hodie inter aulicos Federici Regis ea gratia pollet, ut nulli dubium sit eum inter magnates relatum iri a Rege benevolentissimo, nisi fortuna, parum officiosis ac magnis viris amica, aut illi vitam, aut Regi potestatem benefaciendi abstulerit.*

Selecta Doctorum Virorum
DE ACTIO SYNCERO SANNAZARIO,
EJUSQUE SCRIPTIS
TESTIMONIA.

† Aldus Manutius Romanus Jacobo Sannazaro Patritio Neapolitano & Equiti Clariſſimo S. P. D.

Legitur hæc Epiſtola pag. 140. II. Voluminis *delle Navigazioni, e Viaggi raccolti e illuſtrati da Giovambatiſta Ramuſio in Venezia pei Giunti.* 1559. in folio.

GEORGIUS Interianus Genuenſis, homo frugi, venit jam annum Venetias; quo cum primum adplicuit, etſi me de facie non cognoſceret, nec ulla inter nos familiaritas intercederet, me tamen officioſe adiit, tum quia ipſe benignus eſt, & ſane quam humanus, tum etiam quia Daniel Clarius Parmenſis, vir utraque lingua doctus, & qui in urbe Rhacuſa publice ſumma cum laude profitetur bonas literas, ei, ut me ſuo nomine ſalutaret, injunxerat. mihique ſtatim ſic factus eſt familiaris, ac ſi vixiſſet mecum. Eſt enim homo (ut noſti) facetus, ac integer vitæ, & doctorum hominum ſtudioſiſſimus. Tum viſus eſt mihi Homeri Ulyſſes alter, nam & ipſe *μάλα πολλὰ πλάγχθη.*

Πολλῶν δ' ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα, ἔ νόον ἔγνω·
Πολλὰ δ' ὅγ' ἐν πόντῳ πάθεν ἄλγεα ὃν κατὰ θυμόν.

Non

Non miror igitur si & tu plurimum eo homine delectaris: & Pontanus, vir doctissimus, ac ætate nostra Vergilius alter; & Politianus olim multi homo studii, ac summo ingenio, qui etiam in Miscellaneis suis de eo ipso Georgio meminit, delectatus est. Is vulgari lingua libellum de eorum Sarmatarum vita & moribus composuit qui a Strabone, & Plinio, & Stephano *Zygi* appellantur: qui ultra Tanaim fluvium, & Mæotim paludem habitant, Orientem versus. eumque ad me misit imprimendum hac lege ut ubicumque opus esset, emendarem. Sed ego immutavi tantum quod in orthographia peccare videbatur: cetera, ut major fides historiæ haberetur, dimisi ut ipse composuit. Ipsum autem libellum, 1. quoniam gratissimum tibi fore existimamus tum ipsa historia, tum summo ipsius Georgii in te amore, ad te mittimus. Simul, ut hac ad te Epistola peterem, ut quæ & 2. Latina, & vulgari lingua docte, & eleganter composuisti, ad me perquam diligenter castigata dares, ut excusa typis nostris edantur in manus studiosorum quam emendatissima, & digna SANNAZARO. Nam quæ impressa habentur, valde sunt depravata ab impressoribus. Vale, vir doctissime, suavissimeque, & me fac diligas; quemadmodum facere te accepi a Marco Musuro Cretensi, juvene & Latine, & Græce oppidoquam erudito, atque utriusque nostrûm amantissimo. Venetiis xx. Octobris. MDII.

1. Tam exiguus est hic libellus ut folium illius characteris quem typographi *Silvium* vocant, non impleat.

2. Ex hac Aldi Epistola manifestum est, conqueri SANNAZARIUM in quadam sua Italica Epistola non solum de Arcadia, sed & de suis Latinis Carminibus parum emendate Venetiis in publicum emissis.

Paulli Manutii Præfatio ad Antonium Carlonem Allifarum Principem in SANNAZARII *Poëmata. Præfationum XXIII.* 1535.

UT eſt præclarum, ornatiſſime Princeps, in arte poëtica excellere : ſic ea cognoſcere quibus ad illam laudem perveniatur, maximum quiddam, ac difficillimum eſt. fallitur enim, ſi quis abſoluti poëtæ partes in eo poſitas arbitratur, ut, cum metiendi carminis rationem optime perceperit, cum elegantiſſimarum vocum ſupellectilem quaſi quamdam ſibi compararit, addo etiam, cum materiem animo comprehenſam ordine quodam atque artificio diſtinxerit, hiſce rebus tamquam egregie munitus ad ſcribendum ſe conferat. Graviora ſunt quæ requiruntur, & ex abditis plurimarum artium, ac doctrinarum fontibus haurienda. Nam cum ejus conſilium, qui hoc in genere elaborat, vel in primis id ſpectare debeat, ut voluptati verſuum utilitate ſententiarum admiſcenda, nihilo minus lectorem moneat, quam oblectet, monita vero illa plerumque neceſſaria ſint, ut in vitiis ſummam turpitudinem ineſſe, in virtutibus ſummam gloriam, oſtendatur : quo modo hoc ſine philoſophiæ cognitione prudenter ac perite poterit efficere? Jam, ſi res exigat, ut aut de cæli ſtellarumque ratione, aut de regionum terreſtrium ac maritimarum ſitu dicendum ſit: certe hos locos non potuerit, niſi qui aſtrologiam, & geographiam attigerit, commode tractare. Itaque, ſi quis hujus facultatis ſtudium eo complexus animo eſt, ut aliquando quæ literis mandare ſtuduerit, ea ſe ſperet, veluti pictorem egregium, omnibus artis coloribus illuſtraturum: is omnium fere diſciplinarum ſcientiam quæ ad bene beateque vivendum pertinent, ne prorſus ignoret, neceſſe eſt.

Quod

Quod si ad assequendum poëtæ nomen ubertatem illam ingenii a natura datam satis esse putat; atque hac una instructus, facile audet, canoros illos quidem, rerum tamen inanes versus vel domi pangere, vel in triviis ad populi aures effundere: statim ab intelligentibus explodetur, neque solum imprudens, aut parum verecundus, sed etiam plane stultus, ac temerarius habebitur. Quo minus est mirandum si ut hac arte præstarent, quam pauciſſimis contigit; cum in omni præterea liberalium doctrinarum genere plurimi semper floruerint. Sed egregiorum poëtarum multo etiam majorem hac nostra tempestate, quam priscis temporibus, penuriam esse constat: sive quod sæculi felicitas illa fuit; sive, quod equidem magis existimo, quia non iisdem quibus olim præmiis ad virtutem nunc homines excitantur. Eorum autem quos in hoc genere præstantes cognovimus, sine controversia primum locum obtinuit vir eximius, & omni laude cumulatus Jacobus Sannazarius: cujus ingenii monumenta non vetustas, non oblivio delebit ulla: ut ex unius hominis doctrina, atque ingenio, quam ex tot regum triumphis, haud paullo clarior Parthenope sit futura. Hoc autem, Princeps egregie, tui muneris fere totum est: qui cum ad summam generis nobilitatem etiam optimarum disciplinarum scientiam adjunxeris, tamen hæc per se, nisi accederet studium de posteris bene merendi, quasi minima judicans, quæcumque a doctis viris mandata literis, digna quæ inter manus versentur, existimas, in apertum ut referantur, maximopere contendis. Quo nomine ipsi profecto Sannazarii manes tibi non vulgares gratias habent, cum eos libros quos ille moriens tuæ fidei commendarat, pervulgandos diligentissime curas. Qui vero ingenuarum artium studiis dediti sunt, ii se tibi tantum debere profitentur, quantum persolvi nullo modo possit, itaque a me,

qui

qui eodem in ære ſum, petere videntur, univerſorum cauſſam ut ſuſcipiam, tibique propter hoc officium, quid omnes de te & ſentiant, & loquantur, aliqua ratione ſignificem. Ego, licet ipſa te recte factorum conſcientia contentum eſſe, nihil præterea requirere, exploratum habeam; tamen ut eorum honeſtiſſimo deſiderio ne deſim, do me libenter in eam partem in quam etiam mea ſponte propendebam; & ad oſtendendum non eorum modo animum, ſed etiam obſervantiam & pietatem in te meam, hæc ipſa SANNAZARII Poëmata quæ noſtris typis edenda curaſti, nomini tuo dicata ad te mitto. Leges hic omnia quæcumque ab eo Latine ſcripta nunc exſtant. primum autem erit divinum illud quod ipſe de Partu Virginis inſcripſit, opuſculum: deinde CHRISTI Lamentatio: mox Eclogæ quinque; quas tamen decem ſcripſerat; ſed e Gallia reverſus has tantum quas omiſimus, & fragmentum illud quod poſt Salices collocavimus, invenit, reliquis aut furto ſurreptis, aut per incuriam ſuorum, quibus eas diſcedens crediderat, amiſſis. Sequuntur Elegiarum libri tres, Epigrammatum totidem. quæ omnia tuo inſcripta nomini apparebunt; ut ejus benevolentiæ quam SANNAZARIO & vivo & mortuo præſtitiſti, hunc ſaltem fructum percipias. Venetiis. M. D. XXXV.

Incertus Auctor Epiſtolæ ad Lectorem Collectionis Carminum SANNAZARII, *& aliorum Aldinæ anni* 1533.

JACOBI SANNAZARII doctrinam, eximiaſque ejus virtutes & feci ſemper plurimi, & quæcumque ab illius proficiſcerentur ingenio, digna judicavi, quæ cum ab omnibus aſſidue legerentur, tum perpetuo non mediocri cum auctoris laude viverent. Sed, ut dicam quod ſentio, videtur mihi vir egregius,

gius, & in omni poëticæ facultatis laude eminentiſſimus, in hoc ipſo de Partu Virginis opuſculo, non ſolum voluiſſe cum antiquitate ipſa contendere, verum etiam ſe ipſum quodammodo ſuperare. Itaque nos ut tanti viri manibus dignas, ut ita dicam, inferias, dignumque tantis illius meritis honorem exhiberemus, &, quantum fieri poſſet, per nos vita etiam functus luce iſta frueretur: denuo divinum illud opus, quantum licuit, accurate recognitum excudimus: denuoque illud, lector humaniſſime, ſub tuo nomine apparere curavimus.

1. *Gabriel Altilius, Epiſcopus Policaſtrenſis, ac Ill. Principis Campani ab Epiſtolis, Charitco amico chariſſimo S. D.*

LEgiſti, ut ego arbitror, 2. Βρομησιοδων κακογενιον. en, dum laceſſere non deſinunt, concitarunt

---

1. Petrus Vlamingius in notis ad SANNAZARII Eleg. XI. lib. I. edit. ſuæ pag. 594. hanc Gabrielis Altilii Epiſtolam, pauciſſimis notam, & oblivione omnino ſepultam, his verbis affert: *Quum ex editione Sannazariana quæ Venet. apud Bern. Stephonium anno* 1531. *in* 24. *prodiit, & quæ caſu mihi periit, Gabrielis Altilii Epiſtolam nactus ſim, quæ de hac ipſa Elegia, ad Charlteum ſcripta fuit, pergratum fore lectori arbitror, ſi integra hic legatur.*

Idem Vlamingius pag. 626. hoc de Gabriele Altilio teſtimonium adducit, ex Alexandro ab Alexandro Dier. Gen. cap. 1. lib. v. *Ad Gabrielem Altilium, virum modeſtiſſimum, doctiſſimumque, cum quo mihi a prima adoleſcentia familiaritas fuit: quod iſtum ad Pontificatum evectus fuerat, nos & aliquot bonarum artium ſtudioſi juvenes, ſummo loco nati, Neapoli congratulatum veneramus; ad quem ut venimus, excepti ab eo comiter & benigne fuimus. Quumque complexi hominem in primis edibus, poſt mutuam ſalutationem, latis precationibus ei gratularemur, eumque hono-*

runt lenitatem illam SYNCERI noſtri, manſuetiſſimumque animum, ſcilicet malefacta ut noſcerent ſua. Et ſane quis non Lampos iſtos Iſmenios, ac novos Lucilios abominetur, oderit, ſtomachetur? qui, tamquam Appuli aranei e cavis venenatos porrigunt aculeos, ſummiſſiſque barbatulis quibuſdam, ipſi quidem latent, atque diſſimulant, & tamen ita diſſimulant, ut noſcitari cupiant; laudemque ex tam petulanti, & inepto maledicendi genere improbius aucupentur ac mendicent. Sed ſic eſt, mi Charitee,

Naturam expellas furca, tamen uſque recurrit.

peſſima ingenia ſeſe undiquaque ſuo indicio, quaſi mures, ut ille dixit, produnt. Sed captent quam poſſunt laudem; modo ne ullam capiant; ac potius ridiculi ſint. Atqui dixeris, Tantumne Academiæ noſtræ vacat, ut de his ſermo ſit? &, ut olim Plato ad Dionyſium, an non ſatis erat, ſuo ipſos veneno confici, & alienis bonis invidentes intabeſcere Timones iſtos? Recte id quidem; ſed noſti vulgi mores: ſæpe taciturnitatem in conſcientiam vertunt. Nunc ad ACTIUM redeo; mitto ad te, quum tantopere efflagites, quæ ille in hos Cyclopas (ſic enim illos appellat) ridens nuper reſponderit; carmen

---

norem ſibi a diis fortunari, & quod nobis diu in optatis fuerat, id nunc magnæ voluptati eſſe, ac bene locatum in homine morum honeſtate, & omni doctrina conſpicuo; ſperareque illud ſibi, & urbi noſtræ ornamento ceſſurum profiteremur, &c.

2. Ita leguntur hæc in veteri libro, corrupta ſcilicet, ac ſine notis accentuum. Videtur porro ſcribendum κακολογίαι pro κακολογιον, i. e. *maledicta*. vox autem illa Βρομισιονδων, originem forte duxerit ἀπὸ τῦ βρομεῖν, quod *ſtrepere*, vel ἀπὸ τῦ βρομιάζεσθαι, quod *bacchari* ſignificat: ut Altilius indicare velit *ſtrepentium*, ſeu potius *bacchantium maledicta*.

men mehercule exactum, simplex, candidum, quodque non minus priscam illam venustatem elegantiamque, quam optimos & integerrimos auctoris mores, nitidissimamque animi sinceritatem præ se ferat. Dii boni, quam recte philosophorum facile princeps Aristoteles! qui sordidos poëtas ab ingenuis hoc differre putat, quod illi maledicant semper, hi vero & deorum & heroum laudes canant: atque, ut haud Actium nostrum inter posteriores ponas, vide obsecro, dum contumelias retorquet, quam verecunde agit! jam erubescere ipsum carmen dixeris, & invito domino parere. at quum laudat, quam plenus, quam lætus, quam teres, atque, ut Horatii verbis utar, rotundus! nam, per deos, quid similius, quid accommodatius dici potuit, quam illud de Corvino nostro, dum novellæ arboris surgenti ramulo comparat? quid quum livori insultat? nonne & illum deprimit, & a sua ipse modestia non discedit? siquidem non hausisse, sed novisse tantum se Castalias undas affirmat. at vero quum perorare vult, quam novæ, quam lenes, & jucundæ acclamationes, quam etiam appositæ & opportunæ! modo deos patrios appellando, modo Parthenopen suam contaminari querendo; quæ si apte, & suo tempore fiant, scis quantum lucis orationi, & in primis carmini afferre soleant. postremo quum se apud Musas expurgat, veniamque ut dent, si quid offenderit, petit, quis adversariorum improbitatem, impudentiamque non explodat? quis vero ingenuitatem, verecundiamque non amet, & summis in cælum laudibus ferat? Sed quid ego hæc? tu melius ista deprehendes: nihil non absolutum, & quod non ex omnibus suis partibus constet, invenies; nisi unum illud fortasse non probabis, in quo illum facile, & jure coargui patiar; tantum enim Altilio tribuit, quantum sibi ille nec agnoscit, nec postulat. de his hactenus. Tu

in-

interim lyram intende, ut quum pluſculum otii fuerit, te canente illa audiamus; nam ſi accentus tuus acceſſerit, ne Muſis quidem ipſis (pace quidem illarum dixerim) invidebimus. Veniſſem ad te: ſed ſcis in Appuliam cum Principe meo feſtinanti mihi quam iſta, (ut ita dicam) tumultuaria expeditio gravis ſit, togato præſertim, & prima tirocinii rudimenta capeſſenti. Vale, & me clariſſimorum collegarum tuorum cœtui commenda. vale iterum, ac tertio. Neapoli. pridie Idus Quintilis.

1. *Joannes Jovianus Pontanus in Ægidio, pag.* 165.

PONTANUS. PETRUS SUMMONTIUS.

PONT. LÆtatur in cælo, ut arbitror, nunc Altilius, exſultatque inter beatiſſimos ſpiritus, quum intellegit in hoc conſeſſu & pie cum CHRISTO agi, & ſuis piiſſimis monitis obtemperantes nos eſſe. Unum credo illi dolet, ſi dolere eum fas eſt dicere, quod in tanto conventu, ACTII locus ſit vacuus, voluntarium ob exſilium dum Federicum Regem Neapolim relinquentem, proficiſcentemque ad Ludovicum in Galliam, accepta ab illo fide, benevolentiæ tantum gratia ſequitur, ac gratitudinis. Sed Altilius conſolatione nulla quidem indiget cum diis agens. Quod vero ad nos ipſos attinet, hominis ma-

1. Idem Joannes Jovianus Pontanus tomo 1. ſuorum operum SANNAZARIO inſcribit librum de Liberalitate: tomo autem 3. librum 2. de Rebus Cæleſtibus. Præterea tomo 2. pag. 104. dialogo cuidam nomen impoſuit ACTIUS. Loquitur etiam SANNAZARIUS ſub SYNCERI nomine in Pontani Ecloga cui titulus *Mæon*. Denique Pontanus miſit ad SANNAZARIUM Hendecaſyllabum XI. lib. I. & Eclogam V. quam *Corylen* appellavit.

maxime ingenioſi, & docti quis noſtrum non angatur abſentia? Verum Muſis ipſum comitantibus, & illi nihil prorſus timendum eſt, & nobis ipſis deſiderio abſentis ejus temperandum, in re præſertim voluntaria, & homine generoſo digna. Tu quid ad hæc, Petre Summonti? PET. Me vero ſollicitat ejus imbecillitas, quum ſæpicule quidem laboret de ſtomacho. Sed ipſa forte peregrinatio, cælique varietas, ac terrarum, robur illi adjunget; quod fore quidem non deſpero. Quod vero ad animum ejus ac conſilium ſpectare poteſt, vehementer me hortantur verſiculi ejus quos diſcedens ipſe in puppi conſtitutus quaſi Nereidibus audientibus, ac locorum Nymphis decantavit; quorum ipſorum recitationem non temere recreamentum arbitrer quaſi quoddam quæſtionum haud multo ante explicatarum, nec parvum quoque momentum allaturam abſentiæ ejus deſiderio moderando. Sunt autem verſiculi hujuſmodi:

Parthenope mihi culta vale, blandiſſima Siren,
(*lege reliquos in calce carminum* SANNAZARII, *pag.* 178.)

Hos ille abiens, confirmato admodum animo, vultuque quam maxime hilari pronuntiabat: quem nos ut amicum, ut Regem ſequentem ſuum & bonis proſequamur ominibus, & deos illi propitiabiles bene precemur. Ceterum ut a quo tua, Joviane, cœpit, ad eumdem quoque Altilium mea convertatur oratio, nonne exiſtimas cum bonis illum Geniis, qui pie percolenterque morientibus adeſſe ſolent, aſtitiſſe morienti nuper Eliſio? &c.

Ale-

Alexander ab Alexandro Genialium Dierum Libro II. Cap. I.

Locus ex Propertio, ab ACTIO SYNCERO Neapolitano in convivio familiari commode emendatus.

SAturnalibus quum ego & familiares mei compluſculi, ſub idem tempus Neapoli conveniremus: quumque a forenſibus negotiis feriarum cauſa aliquando quies foret: ad ACTIUM SYNCERUM, virum ingenii cultu & facundia ſingulari, cum quo mihi pervetus conſuetudo fuit a puero, nonnumquam ventitabamus; cum eoque vel honeſtis deambulatiunculis, vel ſermonibus lepidiſſimis, id quod erat temporis, ad multam ſæpe diem conferebamus, quotidianoque ejus congreſſu & aſſiduo comitatu perfruebamur. Accipiebatque nos homo ille ſuavitate inſigni, plerumque novo Epigrammate, aut Elegia, verſibus mundis & graphice factis, multo cum nitore & cultu. nonnumquam feſtiviſſimis epulis & lætiore convictu, cœnaque non vulgari nec protrita, ſed aut veteris cucurbitæ ferculo cum lactucæ thyrſo minutim cæſo, & acino uvæ paſſæ inſperſo: aut olentibus pomis, anni frigore ſervatis, & ficu ſicca Sinueſſana cum roſaceo ex Petrino ſuo, quæ ipſe appellabat *Petrinia*. Velut fuit illa die, quum mihi & pleriſque doctis viris cœna exhibita, Sannazario ex Æthiopia bonæ frugis liberto, ſcitiſſimo adoleſcenti, quem libertate & gentili cognomento donaverat, liberalibuſque diſciplinis inſtruxerat, ita ut cuivis iugenuo non impar videretur, demandavit ut Propertii Elegias a ſe pluribus in locis caſtigatas, ſummiſſim leniterque cantaret. Quod quum ille cupide faceret, verſuſque ad tibiam modulis dulciſſimis, ſcita & canora voce canere

nere inceptaret: noſque & proferentis verba, & concentum, numeroſque admodum ſuaves ſumma cum voluptate captaremus: & jam millibus modulatis verſibus, ventum eſſet ubi Cynthiam Bajis demorantem, diu abfuiſſe conqueritur, his verbis:

Ecquid te mediis ceſſantem, Cynthia, Bajis,
Qua jacet Herculeis femita litoribus:
Et modo Theſproti mirantem ſubdita regno
Proxima Miſenis æquora nobilibus?

Actius carminibus pauſam fieri juſſit, & ad me converſus: Quid tu, inquit, qui orbis ſitum tam diu legendo perſcrutaris, Miſenum aut Bajas cum Theſproti regno commune habere vidiſti? Numquid in memoriam venit, Theſprotium agrum in Epiro juxta Chaones & Acarnanes, aut (ſicut Herodotus ait) Ambraciis & Leucadiis proximum longe a Cumano abeſſe? Quid enim iſto in loco hic poëta ſenſerit, qui regno Theſproti æquora Miſeno proxima ſubdita eſſe dixit, quum tanto maris terrarumque receſſu diſcreta ſint, non equidem intelligo. Neque enim Theſprotios in Cumanum veniſſe, aut in Italiam colonias deduxiſſe, vel armis novas ſedes conquiſiſſe, umquam, quod meminerim, legi: niſi tu forte, qui meliore memoria es, aliter ſentis. Quumque me id arbitrari reſpondiſſem, quod plerique ſtudioſi ſenſere, ut poëta loci confinio, & quaſi commercio ductus, quum ex Chalcide & Eubœa profecti, multum in ora maris poſſent, lateque fines propagaſſent, illoſque Cumanum tenuiſſe, & illuc colonias deduxiſſe, auctores tradant: ſiquidem Hypocles Cumæus, & Megaſthenes Chalcidenſis, multo emenſo mari, huc colonias deduxere, moniti oraculo, quippe quum nullam coloniam ſine conſilio deorum Græci tranſmitterent: vel, ut multi ferunt, duce Parthenope Eumeli filia, quæ ſolum Neapolitanum delegit, columbæ augurium ſequuta; in cujus rei monumentum,

Apollini ſtatuam Neapolitani erexere, columba humero inſidente, quam ipſa inſpicere & adorare videbatur: Theſprotiumque agrum ab Eubœa haud multum diſtare certum ſit, quaſi ad hoc alludens Poëta, ſubdita regno Theſproti æquora Miſeno proxima affirmarit: ſcilicet quia ex Chalcide Theſprotis proxima & Cumæis profecti, agrum Miſeno finitimum, hoc eſt, ipſas Cumas tenuerunt, propterea ea loca ſubdita videri: ſolereque non ignobiles poëtas loca & receſſus circumſcribere, illaque non expoſite & aperte, ſed quaſi per tegmenta & figuras obliquis orationibus denotare: idque ſenſiſſe doctos viros, itáque verſus interpretatos fuiſſe dixi. Numquam, inquit Actius, quod ego ſcio, tam hiſpida & agreſti aure Propertius fuit, ut quum Chalcidem aut Cumæos dicere contenderet, Theſprotium agrum quaſi finitimum illorum loco nuncuparit, quum præſertim nulla ſocietas aut communio cum Theſprotiis agro Cumano fuerit: conſtetque, ſi omnes ſinus, promontoria, litora, inſulas, & urbes maritimas, ac maria vaſta, & terræ inſuſa ex omni antiquitate percenſere velis, Theſprotios magno litorum flexu & multiplici ſinu, longe a Chalcide Eubœæ & Cumæis abeſſe: nec ita finitimos, ut forſan arbitraris. Neque ego hujus poëtæ præſtantis ingenii vim, hos nitidiſſimos & mundiſſimos verſus optime editos, tam abſtruſo & recondito ſignificatu verborum conculcaſſe putarim. Etenim ſi Chalcidenſes & Eretrienſes ex Eubœa, claſſe huc advectos Cumas condidiſſe, & pulcherrimam Campaniæ oram, ac loca Miſeno proxima tenuiſſe fama fert, ſicut Japygiam, Phaliſcos, Nolam, & Abellam tenuere, cur loca Miſeno finitima potius Theſprotiis quam Chalcidenſibus, quam Eretrienſibus ſubdita dixerit, equidem ignoro: quum & hi veri incolæ ſint, & longe aptius convenientiuſque fuit, iſtos, quam illos, cum quibus nullum erat com-

commercium, nominasse. Verum, inquit Actius, si versus istos bene pensitare, & verba ac sensus aure attenta rimari volumus, non *Thesproti*, ut communis error habet, sed *Prochytæ* a poëta scriptum fuisse facile contenderim. Idque ita esse, in quodvis pignus vocarim, non aliter scriptum carmen ab eo editumve fuisse. Sed hic error ita aliquibus insedit penitus, ut divelli haud facile queat. Quod tamen ita esse, inclinat animus probabili argumento. Quum Prochytam & Pithecusas a continente æstu marino evulsas, quandoque circumfluum mare insulas fecisse, liquido constet, sicut Capreas, Leucosiam, Sirenes, & Oenotrias: seu, quod multi tradunt, Inarimen montem fuisse, qui motu terræ discclusus a continente, Prochytam fecit insulam, angusto freto interfluente, quæ Græcis ab effusione dicta est: ipsamque & Pithecusas discclusas montis partes, proximas Cumanorum finibus tamquam moles objectas ante agrum Cumanum & Misenum exsistere, antiqua monumenta annalium prodidere: quod & nunc videre licet. Subdita ergo Prochytæ regno Miseni proxima æquora poëtam dixisse crediderim, quum ipsa litora facili trajectu apta & cohærentia sint, quippe quum ante ipsam parvo freto distincta jaceant: propterea subdita videri potius, quam Thesprotios, cum quibus nullum commercium fuit, extimos & remotissimos intellexisse. Insulas quoque regna nuncupari, Virgilii testimonio probatum est VII. Æneidos, dum inquit: *Fertur Telebœum Capreas dum regna teneret*. Hujusque erroris illud quoque specimen est, quod alio in loco communi opinione, pudendo errore receptum erat, navitam hunc poëtam fuisse: quod quidem ita fuit in confesso, ut in ejus vitæ commentariis plerique id pro certo posteris tradere non dubitarint, ut altero versiculo constare videbatur: *Et quamvis navita dives eram*: quo imperitius dici profecto

nihil potuit, quum neque hoc usquam gentium tradatur, ut elegantissimus poëta & honestissimus, vitæ genus poëtarum studiis piaculare & portentosum, nautæ munus concupiverit. Et portenti ac prodigii simile est, hæc commenta in tanti ingenii viro opinari. Sed quod a vero minime abest, mendum etiam in hoc versiculo facile, inquit, ostendimus: siquidem ubi legebatur perperam: *Quamvis navita dives eram: non ita dives eram*, dicendum fuit. Hujus quoque rei haud improbabile documentum videri, quod Jovianus Pontanus vir multæ eruditionis, antiquissimo firmabat testimonio, Propertii Elegias patrum nostrorum ætate, & se adolescentulo primum in lucem prodiisse, quum antea inscitia temporum incompertæ forent & incognitæ: opusque obliteratum & longissimo ævo absumtum, corrosis & labentibus literis in cella vinaria sub doliis inventum apparuisse, & quum libelli vetustate, verbis & nominibus absumtis longo situ & senio, quod in diuturna obscuritate latuerant, veram lectionem assequi nequirent, effectum ut mendosi inde codices prodirent: paullatimque discuti errores, & corrigi cœpti sunt: nec tamen effici quisse, ut posteris omnino integri inoffensique darentur. Ad hunc modum Actius Syncerus noster, scite admodum apud complusculos qui aderamus, sermocinabatur: itáque mendaces libellos deprehendebat, erroresque dijudicabat, ac perpenso judicio vitia rimabatur.

Joannis Pierii Valeriani Epistola ad Clarissimum Actium Syncerum *in Hieroglyphicorum Librum XX.*

TIbi vero, Syncere Acti carissime, *Phœnicem*, & *Pelecanum*, quique in ipsam historiæ seriem quibusdam veluti laqueis detenti se se invicem implicue-

cuerunt, ſociatique in hunc locum aptiſſime convenerunt, *Noctuam*, *Cornicem*, *& Paſſerem*; dedicare conſilium fuit. Ac *Phœnicem* quidem ea de cauſſa, quod veluti ille admirabili quadam inſignis pulcritudine, viſu rariſſimus, poſt longiſſima temporis intervalla conſpicitur: ita Latinæ linguæ nitor, & eloquentiæ cultus, ornatuſque per tria ferme *Phœnicis* ſæcula deſiderati, ætate demum noſtra, beneficio, opera, & labore plurimum tuo ſuſcitati, ſpectandos ſe ſe theatris jam omnibus exhibuere. *Pelecanum*, ob eam, qua præcipue commendaris, in amicos omnes charitatem atque beneficentiam, ut nemo unus hodie magis amico amicus, quam SYNCERUS ACTIUS eſſe prædicetur. *Noctuam*, quæ tuarum indicium ſit lucubrationum, quas Minerva haudquaquam invita, elegantiſſimas elaboraſti. *Cornicem*, ob diuturnitatem, quæ ſcriptis debetur tuis, non modo uno plus ſæculo, ſed perpetuo ſumma omnium commendatione victuris. *Paſſerem*, ob orationis tuæ veneres, cupidineſque, qua nihil ſuavius neque jucundius excogitari poteſt. Sed enim quæ multa atque præclara de ingenii tui ſublimitate dici poſſent, ea conſulto prætereo, quia tu longe major es quam mea te capere poſſit commendatio: quis enim Soli lumen afferre, niſi fatuus quiſpiam, aggrediatur? Igitur quum tuo ipſe ſis ſplendore clarus, principatum hinc in literaturæ candore tuum, ſuo ſe præſidio tuentem miſſum faciemus, quodque noſtrum eſt inſtitutum, ad animalium quæ interpretanda ſuſcepimus, ſignificationes convertemur, quæ quidem quales & cujuſmodi ſint quamvis tu eas tum ex Græcis Latiniſque ſcriptoribus non ignoras, tum ex admirabili illa venerabilis antiquitatis tabula ænea, quam ſimul apud Bembum inſpeximus, potes edoceri, quæ omnem Ægyptiorum hiſtoriam antiquiorem, argento atque auro delineatum oſtentat;

quid tamen & nos ſuper his compererimus, ex ipſo *Phœnice* indicare incipiemus.

Ex Hieronymi Carbonis Elegia a Petro Vlamingio allata in ſuis ad SANNAZARIUM *notis pag.* 599.

Me rapis interdum recinens, SYNCERE, ſub umbra,
Myſtica virginei ſacra puerperii;
Et pecus, & ſilvas, piſcoſi & numina ponti,
Et quæ litoribus fert Sinueſſa ſuis.

Petri Bembi Epiſtola ad JACOBUM SYNCERUM SANNAZARIUM, *quæ exſtat Lib. IV. Epiſtolarum Familiar.*

ET te amabam antea plurimum: nam ſæpe in tua ſcripta incidi quum vernacula, tum Latina; quibus in omnibus felicitatem illam ingenii tui ad poëtices facultatem ſum vehementer admiratus: & nunc quidem Ægidius monachus Viterbienſis, & Antonius Agnellus effecerunt, ut nihil me uno ſit in te amando, obſervando, colendo plane ardentius. Ex ipſorum enim oratione cognovi; præter ea quæ dixi, utriuſque linguæ ſtudia literarum, delatumque jam pridem in illis tibi a Muſis atque ab Apolline principatum; quam ſis etiam in ipſo uſu vitæ, quum humanitate, & ſuavitate; tum hercle, omni virtutum genere, atque illa in primis vel probitate, vel morum animique, ſi Latine ſatis poſſum dicere, ſinceritate, quæ quidem virtus tibi etiam agnomen dedit, politiſſimus. Itaque hæc ad te volui ſcribere primum, ut tibi notum facerem hunc ipſum animi mei ſenſum in te, ac voluntatem: jaceremque, tamquam fundamenta benevolentiæ; futuræque noſtræ neceſſitudini, quaſi quod-

dam

dam vinculum adhiberem, amorem ſummum erga te meum. In quo quidem pergratum mihi erit; ſi me ſic amandum ſuſceperis, ut utare; ſic fueris uſus, ut plane tuo. Deinde ut ſcires, me videndi tui deſiderio magnopere teneri: nam fruendi quidem non audeo dicere: qui neque ſalutari te permiſeris, quum nuper e Gallia rediens, ut audio, de itinere Venetias iviſſes. Quod ſi tua culpa effectum eſt, ut, quum fieri utriuſque commodo potuerit, ut te viderem, me tamen latueris; dabo ipſe operam, ut id aliquando fiat, etiam ſi non poterit ſine magno incommodo meo. Interea tamen, etiam atque etiam a te peto; ut quoniam hoc tempore in ſeceſſu iſto Neapolitano tuo, puto te otio mirifice abundare; mittas aliquid ad nos de tuarum Muſarum penu; quo minus a nobis moleſte videndi tui deſiderium perferatur. Quod ut libentius facias; hoc te genere officii etiam provocabo. Aſulanos enim meos habebis cum his literis. qui quidem quamquam libri, amicorum meorum aſſiduis poſtulationibus, ac prope etiam impulſu, exire jam in vulgus, atque haberi cœperint; ad te tamen veniunt non minus, ut eos emendes, ſi qua tibi non probabuntur; quam ſi, quod mallem, placuerint, ut probes. Vale. Idibus Aprilis. M. D. V. Venetiis.

Deſ. Eraſmus Roterodamus Dialogo qui inſcribitur Ciceronianus.

No. Pontano ſucceſſit Actius Syncerus, qui Partum Virginis Matris mire felici carmine deſcripſit, cui ſupra modum applauſum eſt a Romano theatro. Bu. Teſtantur hoc abunde LEONIS, & CLEMENTIS Brevia (ſic enim hodie vocant) tum Ægidii Cardinalis addita præfatio, ne cæteros commemorem: nec ſine cauſſa tantopere placuit. Mihi cer-

te magna cum animi voluptate perlectum est opus utrumque. Nam & Eclogas scripsit Piscatorias. Quis autem talem indolem in juvene patricio non exosculetur? Hoc nomine præferendus est Pontano, quod rem sacram tractare non piguit, quod nec dormitanter eam, nec inamœne tractavit. Sed meo quidem suffragio plus laudis erat laturus, si materiam sacram tractasset aliquanto sacratius.

L. Gregorius Gyraldus Dialogo I. de Poëtis suorum temporum.

A Pontano nonnulli profluxere, tum in poëtica, tum in arte dicendi celebres. Unde & Pontani Academia nunc vulgo, ut Trojanus equus, dicitur; in qua nunc senescit, ni potius floret, Actius Syncerus Sannazarius, cujus ingenii exquisita quædam monumenta legi, & in primis Piscatorias Eclogas, nonnullasque Elegias, & Epigrammata; in quibus quædam sunt omni laude digna. alia præterea ejus, præter vernacula non vidi, & quosdam Virginei Partus, ut ipse appellat, heroicos: in quibus, ut sic dicam, *statarius* poëta videri potest. Non enim verborum volubilitate fertur, sed limatius quoddam scribendi genus consectatur, & lima in dies atterit, ut de illo non ineleganter dictum illud Apellis de Protogene Pontanus usurpare solitus esset: *Eum manum de tabula tollere nescire.* Præter diligentiam, curamque Actii, acerrimum quoque ejus judicium, & numerorum scientiam in poëtica facultate cognoscimus; quare ejus reliqua, quæ condidit, summopere desideramus, quæ longius ille jam ætate provectus supprimit. Quare non satis mirari possum, virum quemdam alioqui eruditum desiderare in Pontano, &, si diis placet, in Sannazario..... elocutionem, hoc est barbaram. Sed hic cum sua censura qua homines Italos perstringit, non diutius permanebit.

Idem

Idem in Epiſtola in qua agitur de incommodis quæ in direptione Urbana paſſus eſt; ad Antonium Thebaldeum.

Et Syncerus abeſt, cecinit qui primus in *acta*
Non prius auditum carmen, quo gurgite ab alto
Proſiluit Triton ſimul, & chorus Amphitrites;
Exin Virgineos afflatus numine Partus
Concinuit graviore tuba (mirabile dictu!)
Hac cælum mulcetque, & triſtia tartara terret.
Fortunate ſenex, vivens cape laudis honores,
Invida quos poterit non umquam abolere vetuſtas.

Paullus Jovius in Elogiis Virorum literis illuſtrium.

Jacobus Sannazarius equeſtris ordinis poëta, Neapoli natus atque educatus, quum præclarum fecundi atque felicis ingenii ſpecimen daret, repudiato avito gentilitioque nomine, Actius Syncerus appellari voluit, adhortante Pontano, qui Joviani cognomen, amicorum imitatione deſumſerat. Sed origo vetuſtæ ſtirpis e Sancto Nazario, Laumellinæ agri oppido, inter Padum & Ticinum non ignobili, unde majores advenerant, non obſcure petebatur. Floruit amicitia Federici regis, ſeneſcente Pontani gratia: qui Aragonum nomen vehementer offenderat, quum veluti perſonæ oblitus, victorem Carolum invidioſa vel intempeſtiva oratione publice laudaſſet. Permanſit in ea belli procella in officio Actius, redeuntique Ferdinando juniori armatus inter fideles cives operam præſtitit: unde ei conſpicuus in aula gratiæ locus. Sed infeſtius demum urgente fortuna, quum Federicus regno pelleretur, conſtanti ſtudio atque integra fide eum exſulem in ulte-

ulteriorem Galliam ſecutus eſt: qua gratiſſimi animi teſtificatione ſingularem laudem promeruiſſe, vel ejus inimici judicabant. Scripſit, tamquam ambidexter, Etruſca ſimul atque Latina carmina, pari lepore ſaleque, arridentibus utrimque Muſis, quum multo felle odii ſubamarus præpilata jacula jambis intorqueret: aut amorum ſuorum dulcedine reſolutus tenerrime laſciviret. Gravi autem & ſacro poëmate De Partu Virginis, vigiati annorum lima perpolito ſummum decus fruſtra exſpectaſſe videri potuit: quum illæ quæ juveni exciderant Piſcatoriæ Eclogæ, publico exceptæ plauſu reliquorum operum famam oppreſſerint: ita ut eam publici tamquam iniqui judicii querelam aperto cum pudore, nec tamen ſine tacita voluptate devoraret. Vixit annos ſeptuaginta duos, peramœno, virentique ſemper ingenio, accuratoque & plane juvenili cultu inter amatorias oblectationes: numquam non feſtivus & hilaris. Ex dolore autem indignantis animi ſupremum concepit morbum, quod Philibertus Aurantius dux Cæſaris Mergillinæ villæ ſuæ delicias, temere exciſa tutre deformaſſet. ea ad Pauſilypi radices conſpicitur. Sed Aurantio demum acie interfecto, quum hora fatalis adveniret, audito ejus interitu ſe ſe in cubitum erigens: Excedam, inquit, e vita hoc meo non inani voto lætus, poſtquam barbarus Muſarum hoſtis, ultore Marte, immanis injuriæ pœnas perſolvit. Sepultus eſt juxta villam Mergillinam in templo Deiparæ Virgini ab ſe dedicato. Marmoreo autem tumulo Bembus hoc carmen inſcripſit:

DA. SACRO. CINERI. FLORES. HIC. ILLE. MARONI
SYNCERVS. MVSA. PROXIMVS. VT. TVMVLO

Ro-

Romulus Amaſæus de Latinæ Linguæ uſu retinendo Schola II. pag. 139.

Quod ſi poëtarum, in hoc quaſi Latini nominis cenſu habenda ratio eſt: quis in ACTII SANNAZARII hominis prudentiſſimi ac doctiſſimi elimatiſſimis verſibus (nihil nunc de carminis dignitate, ac gravitate: nihil de rerum diſpenſatione, nihil de numero, & compoſitione, nihil de ornamentis loquor) ſed quis in ejus verſibus verbum unum, aut ſententiam unam offendat, quæ non e medio Latinitatis fonte hauſta videatur?

Jovita Rapicius Libro V. de Numero Oratorio.

At enim, dicat aliquis, deſuetudinem ipſam hujus rhythmi, & diuturnam apud multos rei hujus ignorantiam, deſperationem afferre poſſe. At mehercule Pontani Urania, & Horti Heſperidum: Fracaſtorii Syphilis, & SYNCERI de Virginis Partu libri, & pauca Andreæ Naugerii, pauca item Cottæ poëmata facile declarant, non eſſe deſperandum, quin intermiſſa, & diu deſueta, in conſuetudinem revocari aliquando poſſint. quum enim poëmatum recte ſcribendorum ratio diu latuiſſet; & malos verſificatores Latini plurimos, poëtam nullum haberent, hi quaſi de cælo demiſſi ſunt, qui deſitæ, & prope obſoletæ artis obſervatione, pertinaci bonorum imitandorum ſtudio, multaque, & jugi exercitatione tantum profecerunt, ut cum antiquis poëtis conferri jure poſſint. itaque horum poëmata, ut primum perſpecta ſunt, quaſi quædam Phidiæ ſigna, ſtatim ab omnibus ita ſunt probata, ut artem poëticam, quam prius quaſi ſopitam, ac jam prope exſtinctam, lugebamus, eam nunc tantorum, & tam excellentium

tium virorum ingenio, & arte ſuſcitatam gaudeamus. &c.

† *Idem Oratione de præſtantia earum artium quæ ad recte loquendi, ſubtiliter diſputandi, & bene dicendi rationem pertinent. pag.* 11.

Ne aut Jovianum Pontanum, aut JACOBUM SYNCERUM omittam, quorum alter Meteora, Uranien, & Heſperidum Hortos, alter PARTUM VIRGINIS tanto ingenio, & artificio ceçinit, ut antiquorum gloriam facile æquarint.

Bernardinus Parthenius de Poëtica Imitatione Libro II. inducens Tryphonem Cabriellium cum Manutio loquentem, judiciumque de poëtis ferentem.

Sed unde initium duci vis? A SANNAZARIO, inquit Manutius. De quo quid, obſecro, ſentis? Equidem, inquit, mirificum ſemper hunc exiſtimavi, ſive gravitatem, ſive verborum ſonum, aut eorum delectum ſpectarem. Magnificentiam vero, ſpirituſque ſublimitatem numquam ſatis ab ullo ingenio extolli poſſe putavi. Numquam præterea in ejus ſcripta incidebam, quin Virgilii ipſius imaginem viderer intueri. Tunc mecum ipſe cogitabam, ſi idem argumentum ſibi poëta ſummus propoſuiſſet, neque magnificentius, neque ſplendidius tractaturum fuiſſe. Diſpoſitione autem illa, ac decoro, ſententiarumque dignitate, tum numero nihil fingi, aut excogitari abſolutius poſſe ſtatuebam. De quo adjungere & illud liceat, inter illum, ac veteres poëtas nihil, quum a ſæculo, atque ætate diſceſſerimus, intereſſe. Elaborati ac perpoliti verſus, præcipueque limati. Quamobrem Pontanus, ex cujus Academia una cum tot excellentiſſimis ingeniis fluxit, de eo idem dicere ſolitus

litus erat, quod de Protogene Apelles. nempe, quod numquam manum de tabula tolleret, quum nimiam illius artificis diligentiam accuſaret. Magno fuit judicio, ſcientiaque numerorum ita excelluit, ut exactam eorum legem ſolus tenere videretur. *& paucis interjectis*. Major in hoc vis, (*ſc. in Pontano*) in ingenium tamen ſuum indulgentior quam SANNAZARIUS. Is enim parcior, reſtrictiorque eſt, ſicut elaboratior. Alterum vivo fonti perſimilem dicas, qui ex naturali vena profiliens, ita ſe profundit, ut ſæpe extra ripas ſuperbus ac ſpumans diffluat atque exundet. Alterum illi, qui a beatiſſima itidem emanans vena, arteque expolitus, moderatius ſe ipſum temperans, ac cohibens, inter flores, ac viridiſſimos herbarum veſtitus ſuavi, ac leni cum murmure, riparum ſuarum finibus contentus, perlabitur. Hic quidem continens, ille profuſus: hic verecundus, ille pæne luxuriat; ut uter eſſe eorum malim, divinare vix ſciam.

Idem in Oratione pro Lingua Latina.

Sed circumſtant poëtarum nobiliſſimi cœtus, quorum in tanto numero ne totum diem illis recenſendis conteramus, in mentem veniat ſaltem JACOBUS SANNAZARIUS, quem divinitus in divinis verſatum, nemo non intelligit antiquitatem vario ſcribendi genere provocaſſe.

Q. Marius Corradus Uritanus Epiſtola ad Fulvium Conſtantium, quæ exſtat pag. 525. Librorum de Lingua Latina ejuſdem Corradi.

Paullo ſuperiore ætate duo fuerunt lumina hujus urbis, (*Neapolis*) Latinique ſermonis, & eloquentiæ, ACTIUS SYNCERUS, & Jovianus Pontanus. Quid

hos

hos fuisse putas quum viverent, in tanto hominum, & civium reliquorum splendore, nobilitate, potentia? Crede mihi, a bonis pauciſque hominibus aliquo numero habiti, a cæteris, vel non cogniti erant omnino, vel fortasse etiam ridebantur. Nunc vero duos tantum hæc urbs videtur illa ætate cives habuisse, quos infinita etiam posteritas hominum, externarum quoque gentium sit admiratura. Ubi sunt enim qui tum principes civitatis putabantur? Ubi reges etiam illi, quorum fama, amplitudo, & gloria duobus privatis hominibus par esse non potuit?

Julius Cæsar Scaliger Poëtices Lib. VI. qui & Hypercriticus; SANNAZARII *scripta perpendens.*

Reliqui duo sunt, ACTIUS SYNCERUS SANNAZARIUS, & Hieronymus Fracastorius. Quorum uterque, quum præter illa quatuor a nobis toties decantata (*nervum scilicet*, *numeros*, *candorem*, *venustatem*) etiam castigatissima fluat vena, atque moderatissima, non potest committi, quin aut alter, aut ambo, pari, æqualique gloria nomen suum tueantur. De SYNCERO igitur prius.

Qua tempestate melioris vitæ officia Bononiæ auspicatus sum, habui studiorum socium Pacium Aquilium civem Romanum, qui antea militiæ quoque fuerat contubernalis. E Calabria igitur commeatus gratia Neapolim quum venisset, decedens inde, secum attulit Eclogam SANNAZARII, cui titulus est, *Lycon*, ac præter eam ex *Christeide* (sic enim appellabat) aliquot carmina sane quam luculenta. Quorum mihi nunc quum in mentem venit, non possum non didicisse ex judicio tanti viri, qui opus divinum illud suum mutato consilio postea non *Christeidem*, sed *de Partu Virginis*, inscriptum maluit. Quare vero prioris inscriptionis titulum repudiarit, cognosce-

re

re ſatis in promtu eſt. Etenim vitam actaque CHRISTI quum in eo neutiquam narret, ſed natalia tantum canat, ſimpliciſſime profecto Latinis verbis expreſſit operam ſuam. Inſuave fuiſſet, *Parthenotocia*, & *Theotocia* ..... *poſt multa*: Ecloga vero *Galatea* longe optima eſt. Eam ante etiam, quam ederetur, manu noſtra deſcriptam habuimus. Non igitur operam perdidi. Quod enim nunc legitur v. 5. *Æquora colluſtrant flammis*, ita ſcriptum fuit: *Æquora rimantur flammis*: ut intelligas magni viri judicium. Item v. 33. -- -- -- *plures Neſis mihi ſervat echinos*: legebatur -- -- -- *totidem virides mihi Neſis echinos*

Servat adhuc. Quæ ſequebantur, in memoria non habeo. Reſtant veſtigia tamen judicii caſtigati, quum redegit ad pauciora &c.

Il Cardinal Seripando in una ſua Lettera ſcritta a Scipione Ammirato inſerita tra le Lettere memorabili impreſſe dal Manuzio Lib. 4. a c. 99.

Io mi ſono doluto, e dorrò ſempre, che avendo voi un poema tale, quale è il Parto della Vergine del voſtro SINCERO, ove niente manca, che poſſa deſiderarſi da un artificioſiſſimo poeta, ove non v'è coſa, che poſſa contaminare i buoni, e civili coſtumi, ove ſolo tra i poeti ſi trova la verità della religione, ove il verſo ha tutti quei numeri che hanno avuto i più perfetti poeti antichi, da lui prima avvertiti, e poi dal Pontano ancor voſtro ſcritti, ove le fizioni ſono dolciſſime, ove finalmente è tutto il voſtro Dedalione (1) cioè l' ufficio del vero poeta, mi ſono doluto, e dorrò ſempre, che ſi legga da' maeſtri della gioventù, e che ſi veda nelle mani de' voſtri giovani altro poeta.

Sixtus

(1) Queſto è un Dialogo dell' Ammirato trattante del Poeta.

Sixtus Senenſis Bibliothecæ Sanctæ Lib. IV.

JACOBUS SANNAZARIUS, patricius Neapolitanus, qui & ACTIUS SYNCERUS Parthenopæus, vir ad illuſtrandam ſacroſanctam Chriſtianorum poëſim feliciſſimo ſidere natus, ſcripſit in ſecundum Lucæ capitulum De Partu Virginis libros heroicis carminibus, ita Virgilianum candorem, ſublimitatemque præferentibus, ut Virgilium ipſum te legere, audireque exiſtimes. Operis initium eſt: *Virginei partus, magnoque æquæva parenti*. Claruit anno Domini 1530.

Antonius Poſſevinus Mantuanus Societatis Jeſu Bibliothecæ ſelectæ Tom. 2. Lib. XVII. qui eſt de Poëſi, & Pictura, Editionis Venetæ pag. 509.

A SANNAZARIO quidem pauciſſimis demtis (quæ voces illas ethnicorum poëtarum ſapiunt) divinum habemus poëma, ut merito Beliſarius Aquaviva Neritinorum Dux eidem ſcribens dixerit; *cum orationis ſplendore contendere brevitatem: cum rotunditate ornatum: cum fluxu carminum pulchritudinem: atque ita demum omnia numeris, & ſententiarum gravitate commendata videri, ut ad cujuſvis ſcriptoris antiquiſſimi, candidiſſimique laudem accedant.*

Robertus Cardinalis Bellarminus Libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis ad annum 1500.

JACOBUS SANNAZARIUS eodem tempore ſcripſit egregium carmen de Partu Virginis.

Franciſcus Schottus, Andreæ viri doctiſſimi frater, Itinerarii Italiæ Lib. III.

Nec procul inde a Pauſilypo ACTII SYNCERI SANNAZARII poëtæ, Virgilii æmuli, domus viſitur, quæ

quæ ex teſtamento in cœnobium vertit, templumque B. Virgini dicatum. Eſt ibi marmoreum ſepulcrum, affabre ſculptum. Hinc Orpheus ſeu Apollo, illinc Sibylla ſive Muſa e marmore candenti: cum hoc Petri Bembi Cardinalis Epigrammate:

DA. SACRO. CINERI. FLORES. HIC. ILLE. MARONI
SYNCERVS. MVSA. PROXIMVS. VT. TVMVLO

VIXIT. ANNIS. LXXII. OBIIT. ANNO. CIↃ. IↃ. XXX

† *Cœleſtinus Guicciardinus Monachus Cœleſtinus in Mercurio Campano. 12. Neapoli. 1667. pag. 176. & ſeqq.*

Templum hinc eſt adeundum quod Actius Syncerus Sannazarius Parturienti Virgini adhuc vivens ſacravit; celeberrimo illo de Partu Virginis poëmate, abſoluto. Propriæ Sannazarii hæ fuerunt ædes, quas raro amoris, & fidei exemplo, ut erga ſe munificentiſſimum Fridericum Aragoneum a Regni poſſeſſione dejectum, & in Galliis exſulantem proſequeretur, ultro reliquit. Quam animi conſtantiam in Pontano deſiderarunt nonnulli; cum, poſthabitis beneficiis a Ferdinando, & Alphonſo Aragoneis in ſe, hominem alioquin exterum, collatis, pro roſtris adventantem Carolum Francorum Regem laudavit, & nutantem Aragoneorum fortunam, ea qua valebat dicendi arte depreſſit: adeo pleriſque hominum, fortunam magis, quam perſonam ſequi libet.

In medio apſidis, elaboratiſſimum ex Pario marmore aſſurgit ejuſdem Sannazarii ſepulchrum. Nil eo nitidius, nil operoſius. Virtuti Sannazarii permiſſum ut Chriſtiano in templo dimidiata ejus ad vivum effigies, ac lauro redimita, ſepulchri in api-

ce collocetur ; & ludentes Satyri Chriſtiani vatis ad tumbam choreas ducant . Petrus quoque Card. Bembus Venetus, ob laudatas a vivente SANNAZARIO Venetias, grates eidem mortuo , tali ad ſepulchti baſim appoſito diſticho rependere viſus eſt:

De ſacro cineri flores: hic ille Maroni
Syncerus Muſa proximus, ut tumulo.

Binæ hinc inde aſſidentes adſtant marmoreæ, Minervæ, & Apollinis ſtatuæ; quas, ne omni ex parte ethniciſmum Chriſtiani vatis redoleret ſepulchrum, perfractis Apollini lyra, ac Minervæ haſta, Cœnobitæ , qui obtinent locum , nullo negotio in Davidem, ac Judith tranſmutavere. Etiamnunc oſſa, & cranium SANNAZARII contrectantur: adeo ut accedentes ad tumulum, veluti pro tanti vatis coronide, citra mendacium hoc quoque proferre valeant, SANNAZARIUM videlicet legiſſe, adiiſſe , ſuſpexiſſe , & contrectaſſe. E templo denique egredientes, illius in area ſubſiſtamus parumper , Plagæ Neapolitanæ proſpectum, & e regione fumantem Veſevum, & veluti in compedes adſtrictum æquor, contemplaturi . Hoc ſane in loco , velit nolit , Muſarum ſedem agnoſcet viator . Hic namque perflant ſuaviter venti , leni murmure decurrunt rivi , neſcit inſanire Neptunus, virore reſperſa perpetuo renidet tellus, & ſolum ipſum , qua pampinis , qua nemorea fronde contectum , Phœbæos radios dedignatur admittere . Hic denique , fabuloſis ablegatis Sirenibus , aſſiduo adventantium cantu , ac ſonitu oblectantur cives, detinentur advenæ, invitantur longinqui. Quæ omnia , ut quieſcenti SANNAZARIO bene cedant, mea muſa ſic precatur:

AD

AD SEPULCHRUM SANNAZARII.

ACTIUS *hoc recubat nitido ſub marmore vates,*
Cui radians Phœbus laurea ſerta dedit.
Hic vernet tellus; flores tu funde, viator,
Vatemque irroret docta Camœna ſuum.
Huc rivi, huc fontes, tenui properate ſuſurro,
Ut Vati obveniant ſomnia grata meo.
Æquora, bacchantes ultro compeſcite fluctus,
Ut litus dulci murmure plaudat Io.
Æolus obſcurum ventos impingat in antrum,
Ne ſacros cineres diſſipet aura furens.
Sique, Veſeve, tuis gaudes ſplendeſcere flammis,
Sis Vati æternum lampas honora meo.

Ludovicus de la Cerda Soc. Jeſu in VII. Æneidos.

(SANNAZARIUS) poëtica laude floruit præ mortalibus ſui ævi. Sed quid ſui ævi? Quid ſi Neapoli majorem gloriam attulit SANNAZARIUS, quam Statius Papinius? Non erit iniquus cenſor qui hoc cenſeat.

Boiſſardus in Iconibus.

(SANNAZARIUS) Neapoli natus, patre equeſtris ordinis viro, claro inter ſuos & luculentarum facultatum. Hic ACTIUS prius vocabatur JACOBUS SANNAZARIUS, quod nomen gentilitium mutavit jam adultior. Is propter doctrinam, facundiam inſignem, morumque facilitatem (*) Ferrando Arragonum regi factus eſt amicus, & inter cariores aulicos, & familiares receptus, cujus amicitiam ſingulari fide, & conſtantia coluit quamdiu vixit.

(*) *Federico Aragonio, regi Neapolitano*, dicere debuit.

Expulsum enim Neapoli regem in Galliam usque exsulem secutus est: unde reversus ab eo multis honoribus & beneficiis affectus est. At inter aulica munia, seriasque occupationes non desiit bonas sequi Musas, & doctissimis lucubrationibus augere, & promovere rempublicam literariam: potissimum illo insigni poëmate de Partu Virginis: in quo de perfectione poëseos videtur cum antiquis decertare. Composuit & Lamentationem de Morte CHRISTI, & Eclogas aliquot, & Epigrammatum perfectissimorum librum.

Olaus Borrichius de Poëtis pag. 105.

Actius Syncerus Sannazarius Neapolitanus initio sæculi XVI. clarus, poësim Latinam ad illud fastigium evexit splendore ingenii, imitatione optimi cujusque veterum, apta fictionum poëticarum inventione, & acumine, ut paucis admodum ex eo tempore altius eniti concessum sit. Clauditur tumulo ad Pausilypum, vicinus cineri Virgiliano, ut qui arte pares, & studiis, etiam monumentis conjungantur. Docet vel Epos illud illustre quod de Partu Virginis libris tribus complexus est, nihil fere illius versibus inveniri castigatius -- -- -- ad summam digna omnia Sannazarii quæ poëseos candidatis attente legantur; ita ubique in quocumque argumento regnat: cultæ ejus Eclogæ, faciles & numerosi Elegi, arguta Epigrammata & libera.

Gerardus Joannes Vossius de Poëtis Latinis Capite VII. pag. 257. *Editionis novissimæ.*

Nec multo post Pontani obitum grande merito nomen fuit ACTII SYNCERI SANNAZARII.

Inprimis vero id sibi peperit libris tribus de Partu

tu Virginis: ob quos luculentum LEONIS X. elogium meruit anno cIↃ IↃ xxi. iterumque a CLEMENTE VII. an. cIↃ IↃ xxvi. quo ipso & Romæ in lucem prodiere cum Lamentatione de Morte CHRISTI, & Piscatoriis Eclogis.

Uti vero a Petrarca initium est poëseos renascentis: ita temporibus SANNAZARII eadem jam videtur perveniſſe ad vigorem. Illum consecuti præstantium poëtarum alii: & quidem nonnulli pares, aliqui superare.

Uti Hieronymus Vida, Balthasar Castilionæus, & alii multi, qui avorum, patrum, ac nostra fuerint, vel sint ætate &c.

Idem Instit. Poëticar. Lib. III. cap. VIII.

Quod de nautis, & piscatoribus, minus possumus dicere. Actius tamen Sannazarius, hos etiam inducens Eclogis suis, satis feliciter id tractat argumentum.

Scaligerana Prima pag. 131.

Sannazarius tersus poeta, & optimæ inventionis, lectione dignissimus.

Janus Broukhusius in Epistola ad Lectorem præmissa editioni Poëmatum SANNAZARII. Amstelædamensi apud Henricum Wetstenium anno 1689. *ab eo adornatæ.*

Quæ (*Jo. Joviani Pontani Academia*) si nihil habuisset aliud unde commendaretur, (habuit autem ingenia ejus ætatis longe nobilissima) æterno beneficio omnem devinxit posteritatem, quod ex ea nobis prodierit dulcissima illa, atque orbi erudito decantatissima Jacobi Sannazarii Musa. Cujus viri

limatiſſimis carminibus nihil poſt ſeculum Auguſtæum emendatius prodiiſſe ſi quis dixerit, næ ille profecto haud iniquo judicarit Apolline. Neque vero opus eſt ad ejus rei veritatem evincendam literatorum virorum conquiſitis teſtimoniis, cum tam crebræ, ac toties innovatæ laudatiſſimi libri editiones, id quod bonæ merces ſolent, nuſquam indiguerint ulla hedera.

Idem in calce notarum ad Elegiam IX. libri I. Elegiar. SANNAZARII, pag. 113. editionis Vlamingii.

Atque hæc quidem habui quæ notarem ad nobiliſſimam Elegiam. nec tamen omittenda eſt inſignis illa Syncerı in Pontani ſcripta pietas, quæ poſt illius obitum ſopita atque neglecta e tenebris primus in lucem, tum Franciſci Ælii conſilio, tum opera Petri Summontii uſus, revocavit. magno ſane theſauro rem literariam auxit Syncerus, cui & hoc quoque nomine æternum debebunt Muſæ Romanæ, quod princeps e bibliotaphiorum pulvere in hominum eruditorum manus protraxerit Ovidii fragmentum de piſcibus, Gratii Cynegetica, itemque Aurelii Nemeſiani, & Rutilii Numatiani Itinerarium; ne quid dicam de emendatioribus, quam fuerant antea, Martialis, Auſonii, & Solini codicibus. Dignus eſt & ipſe, cujus rationem habeat grata poſteritas, quemque poſt Auguſtæi ſæculi ingenia tamquam ducem ac normam ſibi proponant genuinæ ac generoſæ poëſios ſtudioſi. Vis firmem hoc judicium meum? audi virum undequaque eruditiſſimum, Ludovicum de la Cerda, cujus hæc ſunt ad Virgilii lib. 7. v. 734. *Inde quoque arrepta occaſio celebrandi hujus fluminis* (de Sebetho loquitur) *SYNCERO SANNAZARIO, utpote Neapolitano, qui vir poëtica laude floruit præ mortalibus ſui ævi. Sed quid ſui ævi? Quid ſi Neapoli majorem gloriam SANNAZARIUS attulit, quam Statius*

eius Papinius? non erit iniquus censor, qui hoc censeat. Vid. eumdem Cerdam ibid. T. 1. p. 530. (*)

Giovan-Mario de' Crescimbeni, Custode d' Arcadia, nel Lib. VII. della Part. II. del Vol. II. de' suoi Comentarj intorno all' Istoria della Volgar Poesia, a carte 393.

Tra gl' infiniti scrittori che celebrano l' Opere del SANNAZARO, ci piace qui riferirne uno, che molto aggiustatamente dà giudicio sì delle Latine, come delle Volgari; ed è egli il P. Alberto le Roy Agostiniano, il quale ne' Comentarj a Pietro Scolirio (1) scrive così: *Splendidissimum juxta pedem Pausilypi exstat ædificium, seu villa ACTII SYNCERI SANNAZARII, quam Mergillinam vocant, ubi ille cum amicis doctis versari, & rusticari quandoque solebat.*

(*) *Item a Jano Broukhusio in Tibulli Eleg. I. Lib. I. vocatur* SANNAZARIUS eximius ille etiam inter primos. *Idem ib. in Eleg. II.* & quem ante omnes nominasse oportuit. *Ibid. in Eleg. XI.* Prætulerim ego tantæ ambitioni (*scilicet verbosæ cuidam descriptioni Auctoris Herculis Furentis*) binos JACOBI SANNAZARII versiculos ex Epigr. III. Lib. I.

Post obitum non ulla mihi carchesia ponet
Æacus. infernis non viret uva jugis.

Ibid. in Eleg. I. *Lib. II.* Clarissimus & vir & poëta. *in Eleg. II. Lib. III.* Par antiquis poëta. *Idem in Propertii Eleg. XI. Lib. I.* Vir sæculorum omnium memoria dignissimus. *Ibid. in Eleg. XVIII.* Disertissimus. *Ibid. in Eleg. IX. Lib. II.* Liquidissimus ille Musarum cycnus, solo tempore veteribus minor. *Ibid. in Eleg. XXII.* Venustissimus. *Ibid. in Eleg. V. Lib. III.* Istis (*sc. Tibullo, & Ovidio*) adice duos non tam vetustate, quam clarissima poëticæ facundiæ gloria censendos; SYNCERUM SANNAZARIUM, ac notratem Secundum.

(1) Serm. famil. Lib. 3. pag. 37.

Scripſit Etruſca, & Latina carmina, pari lepore utrobique, & ſale, ſacro poëmate De Partu Virginis, & Piſcatoriis Eclogis apud poſteros immortalis. Virum natalium, animique nobilitate illuſtrem commendat Paullus Jovius, apud quem exſtat Epitaphium, quod marmoreo tumulo inſcripſit Bembus: &c.

Petrus Vlamingius Belga in Dedicatione SANNAZARII Poëmatum editionis a ſe adornatæ.
Amſtelædami. 1728.

Qui enim ACTII SYNCERI divinam illam carminis majeſtatem, numeros rotundos, veneres non adſcititias, linguæ Latinæ puriſſimum nitorem, Propertianam illam felicem, & minime ſervilem imitationem, ſuo merito æſtimare queat? &c.

Idem in Epiſtola ad Lectorem.

Nam ACTIUM SYNCERUM, ab ineunte ætate, imo pæne puer, unice ſemper ſum admiratus, maturiore hac mea veneror, ſuſpicio, & colo; quis enim poëtica laude ex iis qui a profligata barbarie Muſarum ſacris ſeſe dedidere, maximum illum vatem ſuperavit? *Poſt non multa.*

Teſtimonia quæ Broukhuſius & Vulpius collegerant, addidi. Si omnia quæ ipſe ſelegi, & alibi congeſta inveni hic adhibere voluiſſem, in immenſam molem volumen excreviſſet; omnes enim qui umquam hac divini vatis monumenta oculis uſurparunt eruditi, ſumma cum laude SANNAZARIANI nominis meminerunt; unum tantum mihi liceat adſcribere, quod ſuo loco neglectum eſt, Petri nempe Lotichii ſecundi, Germanorum poëtarum principis, quod exſtat Elegiarum Lib. I. Eleg. X. ad Chriſtophorum Herdeſianum v. 57.

Ven-

Ventum erat ad campum, redit hostis, & ecce cohortis
Ductor anhelanti nos petit acer equo.
Stamus, & Aoniæ cultores dicimus artis,
Immunes belli nos habuisse manus.
Nomen ad Aonidum, Juvenes, confidite, dixit,
Nos etiam mites eruditre deæ.
Quod si forte procul vestras pervenit ad aures
SINCERUS priscis ACTIUS ortus avis;
ACTIUS Hesperiis fama bene notus in oris,
Pinguia Sebethi qua rigat arva liquor;
Illi ego me veteri consanguinitate propinquum
Glorior, & vates, vatis amicus, amo.
Impia nec prædæ me traxit in arma cupido:
Cum populis terras visere cura fuit.
Sic ait, & nobis, ubi Cæsar agebat, in urbem
Exhibuit tutas ipse cohorsque vias.

Imo, ne quis credat, ipsi viventi hos ingenuæ laudis fructus, æstimationem, & tanti nominis reverentiam defuisse, sufficiat, quod (*) Balthasar, Comes Castilioneus, magnum illud Italiæ lumen, literarum monumentis de eo testatum voluit; versus nempe aliquos recitatos, SANNAZARIO, sed falso adscriptos, & ab omnibus summo cum applausu, & admiratione exceptos, statim, ubi rescitum fuit, alterius poëtæ fœtum esse, minus quam mediocres, ut certe erant, visos fuisse.

(*) Nel Cortegiano lib. 2.

DILE-

DILECTO FILIO
ACTIO SYNCERO
SANNAZARIO
LEO PAPA X.

DILECTE fili, *ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Quum forte de claris ingeniis ætatis noſtræ apud nos verba fierent, affuere qui quum te, tum opus tuum De Partu Virginis divinis prope laudibus cum admiratione attollerent, atque prædicarent. Quæ res exſpectata quidem diu nobis (nihil enim non exceltum, non elaboratum, non ſingulari tuo ingenio dignum proficiſci a te poſſe arbitrabamur) verum eo nunc carior & jucundior viſa eſt, tum quod quæ futura exſpectabamus, accepimus jam facta eſſe, & quæ ſuperent omnem exſpectationem, tum quod etſi nullo non tempore fuiſſent acceptiſſima, hac præcipue tempeſtate erunt longe gratiora. qua quidam, quo doctiores videantur, Eccleſiam ſtilo iniquo petant, qui exactiſſima eruditione commendent, non deſiderentur. Dici non poteſt, quum hæc audiremus, quantum voluptatis acceperimus, & quum ipſi legemus, accepturi ſimus: quod perſuaſi ſimus, divina factum providentia, ut divina ſponſa tot impiis oppugnatoribus, laceratoribuſque laceſſita, talem, tantumque nacta ſit propugnatorem; & quum illi impia facundia abuſi frangant in rem ſacram genuinum, tu unus opus edideris*

quo

quo rem ſacram omnibus (ut dici ſolet) nervis attollendam, excolendamque procuraveris, ſancto conſilio, eventu feliciore, quum dictitent qui legere, ſi rem quæramus, nihil niſi CHRISTUM atque ejus ſponſam ſonare: ſi pietatem, undique religionis enitere ſtudium: ſi judicium, nihil ungue ſignandum relinquere: ſi figuras artiſque conatus, veterum vatum nulli cedere, multos anteire. Gratulamur itaque tibi, quod tantum unus præſtes, quantum antea nemo: Eccleſiæ, quod quum vexetur lancinaturque ab aliis, a te uno in cælum efferatur: noſtro ſæculo, quod fiet tui carminis luce celeberrimum; nobis denique ipſis, quibus imminente hinc Goliade armato, hinc Saule a furiis agitato, affuerit pius David illum funda a temeritate, hunc lyra a furore compeſcens. Hortamur itaque te, jam opus edas, ut qui dolent, quum illa legunt quæ adverſus pietatem venena ficti Chriſtiani evomuere, ad tua conferant ſe ſe, quæ veluti præſens antidotum ſint oppoſituri. Tu ita tibi perſuadeas volumus, nos te & tua omnia perinde ac noſtra complexuros eſſe, nec nos, nec hanc Sanctam Sedem umquam tui vel affectus vel operæ immemores futuros. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die VI. Auguſti. M. D. XXI. Pontificatus noſtri anno nono.

BEMBUS.

Per Favonium de mandato.

DI-

DILECTO FILIO
ACTIO SYNCERO
CLEMENS PAPA VII.

DILECTE fili, salutem & Apostolicam benedictionem. Accepimus librum gratissimo munere, quem tu ad nos de DEI, & DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI rebus scriptum misisti, cujus argumentum præclarum, atque nobile quum in te parem ostendat animi pietatem, atque ingenii gloriam, sitque in eo nomen quoque nostrum ad memoriam eorum qui lecturi sunt, qui quidem innumerabiles futuri sunt in longa posteritate, immortalitati quasi commendatum, muneris tui magnitudinem hoc magis sentimus, quod quomodo parem referamus gratiam, habere nos non arbitramur. Si enim immortalitas optata, & grata est omnibus, qui præsertim animo vegetiore atque erectiore sint, permagnæ sunt illius partes nobis a te tributæ. Quamquam enim ea est appetenda maxime, illique elaborandum præcipue, quæ post discessum ex hac vita, in illa altera vita felici & sempiterna nos cum DEO ipso collocat, tamen ne hæc quidem non libenter adsciscenda, quæ produxit ad posteros nostri nominis perpetuitatem. pro qua, qui illam cælestem & divinam immortalitatem non plane cognoverunt, maximis sæpe tamen contentionibus, & acerbissimis discriminibus vitam, & caput suum objecere. quod profecto non feciſſent, nisi a natura ipsa admoniti, summum quoddam bonum exsistere conjectati fuissent, cujus in imagine & simulacro tam multas partes experirentur esse & delectationis, & gloriæ. Est enim profecto hæc famæ & laudis

ad

ad commemorationem hominum celebritas, imago illius veræ immortalitatis quæ eximio dono Omnipotentis DEI, uni Christiano generi, per DOMINUM NOSTRUM JESUM CHRISTUM proposita est, ad quam potissimum aspirare debemus, hanc vero ita cam, jucundamque ducere, si proborum & prudentium testimonio nobis deferatur, quod quidem in te nobis egregie contigit. Non enim ingenio solum tuo honorati, illustratique sumus, sed (quod nobis etiam gratius est) judicio comprobati; & si enim ingenii gloria concedis nemini, vel omnibus potius præstas qui in hoc scribendi genere cum laude versati sunt, tamen quum ipso scriptionis argumento ostendas, qua sis pietate, sapientia, religione præditus, jucundius etiam accepimus testimonium optimi, & religiosissimi viri, quam studium doctissimi. Quapropter macte virtute tu quidem; id enim es consecutus, quo nullum majus homini bonum in hac vita exsistere posse videatur. maximorum enim donorum quibus te affecerat DEUS, gratia illi (quoad mortali homini licuit) relata, illud jam summum, & incomparabile veræ immortalitatis donum es promeritus, cui deinde jam gratia nulla esse par potest. qui talentum acceptum multiplicatis mercedibus, eidem domino reddidisti a quo acceperas. Ex quo quum fructum quoque non mediocrem tui libri dicatione, ad nominis nostri laudem, ac memoriam redundare volueris, tantam tibi habemus gratiam, quantam capere grati, & memoris Pontificis tanto devincta officio mens potest, sicut & re ipsa tibi ostendere parati sumus, & ut experiare etiam adhortamur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die V. Augusti. M. D. XXVI. Pontificatus nostri anno tertio.

JAC. SADOLETUS.

ÆGI-

ÆGIDIUS
TIT. S. MATTHÆI
S. R. E. PRESBYTER CARDINALIS
ACTIO SYNCERO
SANNAZARIO S.

IVINUM De Partu Virginis poëma mihi tuo nomine redditum quum legissem, velut adtonitus ac lucis impatiens, statim ad te nescio quid, sed quale ab iis qui lolio (ut ajunt) victitant, proficisci potest. Neque enim de eo posse arbitror quemquam judicare, præter eum qui ad eruditionem tuam proxime adcedat, quique (quod fieri vix posset) tui sit quam maxime similis. Verum quum absurda quædam & ἄμουσα scripserim, meæ tamen literæ (quæ tua est humanitas) undique expetitæ, lectæ, exscriptæ istic a plerisque omnibus sunt. Quumque (ut audiebam) earum literarum exemplum in tuorum fere omnium civium manibus esset, ecce a te mihi literæ redduntur. demissa cælo ancilia mihi visa sunt; nullum enim ornandi mei locum prætermittis. Nam dum mea probas, Neapoli cum admiratione legor, & item Romæ: dum rescribis, quo munere beasti me, SYNCERE, diis hominibusque invidentibus! Sed ut ad poëma redeam, divina quidem illa omnia, verum hactenus ita omni ornatu caruerunt, ut humanis inferiora: nunc a te ita omnium Musarum muneribus exculta, ut divinis (si dicere fas sit) vel potiora esse videantur. Nam quum a præscripta linea digrederis, velut liberum dicendi genus nactus, ita ingenii vires explicas, ut antiquorum nemini sit tibi concedendum. rursus quum ea narras unde ne transversum quidem unguem, quod ajunt, quæque majores nostri divinarum rerum scriptores

Lati-

Latinis literis ornari haud posse arbitrabantur, ita oratione illustras, ut omnium argumenta, quum Græcorum, tum Latinorum poëtarum, longo post se intervallo relinquant. Quid enim, immortalis DEUS, (ut ordiar ab initio) invocatione elegantius? quid conceptu altius? quid cælo, terra, inferis rei novitate obstupescentibus mirabilius? quid læto Simeone jucundius? quid infantum internecione sævius? quid DEO moriente horribilius? quid ab Orco redeunte gratius? quid spolia referente beatius? quid agente in cælum triumphum te canente felicius? Adde alterius libri Musas certatim divina carmina modulantes, adde pictum orbem; adde specum. De partu vero quid ipse loquar? quum ea de re deinceps vel tacendum, vel tuis dumtaxat verbis loquendum sit. Prætereo qua oratione heros ille tuus e somno excitus, divinaque adflatus aura DEUM natum adoret. Nec referam e tertio illustrata puerperia, non divorum cantus, non carmina, non pastorum vaticinia, non felicis fluvii oracula, non urnam, non columbæ alas argenteas, non denique Protei vatis miracula recensebo:

-- -- -- -- Non si mihi ferrea centum
Ora sonent, totidemque ærato e gutture linguæ,
Carminis Actiaci laudes percurrere possem.

Verum quum tu solum pietate, non humanarum laudum cupiditate accensus, tantum studii, laboris, diligentiæ ad scribendum contuleris, ea tibi summa laus censeatur quæ uno omnium ore prædicabitur, tantum esse laudum tuarum cumulum, ut ne ipsi quidem eloquentiæ, qua mirabiliter excellis, locus ad te laudandum relinquatur. Nam de laboris præmio, ad nos, id est mortales, nihil adtinet cogitare. Quid enim tibi tribuere homines possent, & si omnia simul congesserint, quo tuum meritum expleretur? DEUS ille DEUS, cujus numine adflatus, tam doctum, tam sanctum, tam pium carmen cecinisti, te digno munere remunerabitur. Non quidem Elysiorum aut piorum campis, insulisve fortunatorum,

quas

quas Lino, Orpheo, Muſæo, ceteriſque deorum filiis ſedes antiquitas falſo ſtatuit, ſed cælo, digna quidem tantarum vigiliarum mercede. Reliquum eſt, ut tibi gratias agam, quod Auguſtini *perſonam inſerueris, quæ reliquis tam apte, tantaque harmonia cohæret, quanta philoſophi ajunt in cælo ſidera. Proinde recte ad te pertinet* (*) *Homericum illud:*

— — — — Ὁ δ' ὄλβιος ὄντινα Μοῦσαι
Φιλεῦνται· γλυκερὴ οἱ ἀπὸ ϛόματος ῥέει ἀυδή.

PETRUS GRAVINA.

NON ſine providentia deligunt ſibi immortales quandoque ex mortalibus nonnullos, quorum opera, ad venerandam divinam dignitatem, decentius utantur. hinc noſtra Chriſtiana veritas, tot ſanctorum virorum, ſanctarumque virginum teſtimonia, ac miniſteria in ſui gloriam agnoſcit. an fortuito igitur eveniſſe exiſtimabimus, ut temporibus noſtris, naſcentis divini cæleſtiſque operis De Partu Virginis imprimendi, ac promulgandi curam VIRGO ipſa DEIPARA, quaſi ex deſtinatu, primariæ feminæ Caſſandræ Marcheſiæ, nobilitate, facundia, pudicitia inſigni demandaverit? qua quidem alumna tantum ſibi placet docta Neapolis, ut cum Gratiis Gratiam, cum Muſis Muſam eſſe affirmet. Hac itaque veluti quadam honeſtiſſima obſtetrice curante, divinus hic novi carminis partus veterem noſtram ſalutem, ac lucem, tamquam renaſcentem nobis exſpectantibus repræſentavit.

(*) *Homericum illud*) μνημονικὸν ἁμάρτημα. quum *Heſiodeum* dicere debuerit: hæc enim leguntur in Heſiodi Theogonia v. 96. quæ ita Latine vertas licet: *Ille vero beatus, quemcumque Muſæ amant: ſuavis ei ab ore fluit vox.* Male autem pro φιλεῦνται, Ægidius φίλωνται.

ACTII

ACTII SYNCERI

SANNAZARII

NEAPOLITANI

VIRI PATRICII

DE PARTU

VIRGINIS

LIBRI TRES.


image
not
available

ACTII SYNCERI

SANNAZARII

NEAPOLITANI

DE PARTU

VIRGINIS

LIBER PRIMUS.

VIRGINEI partus, magnoque æquæva parenti
Progenies, ſuperas cæli quæ miſſa per auras
Antiquam generis labem mortalibus ægris
Abluit, obſtructique viam patefecit olympi,
Sit mihi, Cælicolæ, primus labor: hoc mihi primum
Surgat opus. vos auditas ab origine cauſſas,
Et tanti ſeriem, ſi fas, evolvite facti.
Nec minus, o Muſæ, vatum decus, hic ego veſtros
Optarim fonteis, veſtras nemora ardua rupes:
Quandoquidem genus e cælo deducitis: & vos

Virginitas, ſanctæque juvat reverentia famæ.
Vos igitur, ſeu cura poli, ſeu Virginis hujus
Tangit honos, monſtrate viam, qua nubila vincam:
Et mecum immenſi portas recludite cæli.
Magna quidem, magna, Aonides, ſed debita poſco,
Nec vobis ignota: etenim potuiſtis & antrum
Aſpicere, & choreas: nec vos orientia cælo
Signa, nec Eoos Reges latuiſſe putandum eſt.
Tuque adeo, ſpes fida hominum, ſpes fida deorum,
Alma Parens, quam mille acies, quæque ætheris alti
Militia eſt, totidem currus, tot ſigna, tubæque,
Tot ſitui comitantur, ovantique agmina gyro
Adglomerant: niveis tibi ſi ſolennia templis
Serta damus: ſi manſuras tibi ponimus aras
Exciſo in ſcopulo, fluctus unde aurea canos
Deſpiciens, celſo ſe culmine Mergilline
Adtollit, nautiſque procul venientibus offert:
Si laudes de more tuas, ſi ſacra, diemque,
Ac cœtus late inſignes, rituſque dicamus,
Annua felicis colimus dum gaudia partus:
Tu vatem ignarumque viæ, inſuetumque labori,
Diva, mone, & pavidis jam læta adlabere cœptis.
Viderat ætherea ſuperûm Regnator ab arce,
Undique collectas vectari in Tartara prædas:
Tiſiphonemque imo conantem cuncta profundo
Vertere, & immanes ſtimulantem ad dira ſorores:
Nec jam homini prodeſſe, alto quod ſemina cælo
Duceret, aut varios animum excoluiſſet ad uſus:
Tantum letiferæ poterant contagia culpæ!
Tum pectus Pater æterno ſuccenſus amore,
Sic ſecum: Ecquis erit finis? tantiſne parentum
Priſca luent pœnis ſeri commiſſa nepotes?
Ut quos victuros ſemper, ſuperiſque crearam
Pæne pares, triſti patiar ſubcumbere leto,
Informeſque domos, obſcuraque regna ſubire?

Non

Non ita: sed divûm potius revocentur ad oras,
Ut decet, & manuum poscunt opera alta mearum:
Desertosque foros, vacuique sedilia cæli
Actutum complere parent: legio unde, nefandis
Acta odiis, trepidas ruit exturbata per auras.
Quumque caput fuerit, tantorumque una malorum
Femina principium, lacrimasque, & funera terris
Intulerit; nunc auxilium ferat ipsa, modumque,
Qua licet, afflictis imponat femina rebus.
Hæc ait: & celerem stellata in veste ministrum,
Qui castæ divina ferat mandata puellæ,
Adloquitur, facie insignem, & fulgentibus alis.
Te, quem certa vocant magnarum exordia rerum,
Fide vigil, pars militiæ fortissima nostræ,
Te decet ire, novumque in sæcula jungere fœdus:
Nunc animum huc adverte: atque hæc sub pectore serva.
Est urbes Phœnicum inter, lateque fluentem
Jordanem, regio nostris sat cognita sacris,
Judæam appellant, armisque, & lege potentem.
Hic claris exorta atavis, vatumque ducumque
Antiquum genus, & dignis licet aucta hymenæis,
Pectoris inlæsum Virgo mihi casta pudorem
Servat adhuc, nullos non servatura per annos:
(Mirus amor!) senioumque sui venerata mariti
Exiguis degit thalamis, & paupere tecto,
Digna polo regnare, altoque effulgere divûm
Concilio, & nostros æternum habitare penates.
Hanc mihi virginibus jampridem ex omnibus unam
Delegi, prudensque animo interiore locavi:
Ut foret, intacta sanctum quæ numen in alvo
Conciperet, ferretque pios sine semine partus.
Ergo age, nubivagos molire per aëra gressus:
Devenienque locum, castas hæc jussus ad aures
Effare: & pulchris cunctantem hortatibus imple:
Quandoquidem genus e Stygiis mortale tenebris

Eripere eſt animus, ſævoſque arcere labores.
Dixerat. Ille altum Zephyris per inane vocatis
Carpit iter, ſcindit nebulas, atque aëra tranat
Ima petens, pronuſque leves vix commovet alas.
Qualis, ubi ex alto notis Mæandria ripis
Proſpexit vada, ſeu placidi ſtagna ampla Cayſtri,
Præcipitem ſe ſe candenti corpore cycnus
Mittit agens, jamque implumis, ſegniſque videtur
Ipſe ſibi, donec tandem potiatur amatis
Victor aquis: ſic ille auras, nubeſque ſecabat.
Aſt ubi palmiferæ tractu ſtetit altus Idumes,
Reginam haud humiles volventem pectore curas
Aſpicit: atque illi veteres de more Sibyllæ
In manibus: tum ſiqua ævo referanda nepotum
Fatidici caſto cecinerunt pectore vates.
Ipſam autem ſecuram animi lætamque videres
Auctorem ſperare ſuum: namque adfore tempus,
Quo Sacer æthereis delapſus Spiritus aſtris
Incorrupta piæ compleret viſcera Matris,
Audierat. Proh quanta alti reverentia cæli
Virgineo in vultu eſt! oculos dejecta modeſtos
Suſpirat: matremque Dei venientis adorat:
Felicemque illam, humana nec lege creatam
Sæpe vocat: nec dum ipſa ſuos jam ſentit honores:
Quum ſubito ex alto juvenis demiſſus olympo,
Purpureos retegit vultus: numenque profeſſus
Inceſſuque habituque, ingenteis explicat alas:
Ac tectis late inſuetum diffundit odorem.
Mox prior hæc: Oculis ſalve lux debita noſtris,
Jampridem notum cælo jubar, optima Virgo:
Cui ſe ſe tot dona, tot explicuere merenti
Divitiæ ſuperûm: quidquid rectique, probique
Æterna de mente fluit: puriſſima quidquid
Ad terras ſummo veniens Sapientia cælo
Fert ſecum, & plenis exundans Gratia rivis.

Te

Te Genitor ſtabili firmam ſibi lege ſacravit,
Perpetuos Genitor curſus qui dirigit aſtris:
Manſuramque tuo fixit ſub pectore ſedem.
Idcirco cœtus inter veneranda pudicos
Una es quam latis cæli in regionibus olim
Tot divûm celebrent voces. proh gaudia terris
Quanta dabis! quantis hominum ſubcurrere votis
Incipies! Stupuit confeſtim exterrita Virgo:
Demiſitque oculos: totoſque expalluit artus.
Non ſecus ac conchis ſi quando intenta legendis
Seu Mycone parva, ſcopulis ſeu forte Seriphi
Nuda pedem virgo, lætæ nova gloria matris,
Veliferam advertit vicina ad litora puppim
Adventare, timet: nec jam ſubducere veſtem
Audet, nec tuto ad ſocias ſe reddere curſu:
Sed trepidans filet, obtutuque immobilis hæret.
Illa Arabum merces, & fortunata Canopi
Dona ferens, nullis bellum mortalibus infert:
Sed pelago innocuis circum nitet armamentis.
Tum rutilus cæli alipotens, cui lactea fandi
Copia, divinique fluunt e pectore rores
Ambroſiæ, quibus ille acres mulcere procellas
Poſſit, & iratos pelago depellere ventos:
Exue, Dia, metus animo: paritura verendum
Cælitibus Numen, ſperataque gaudia terris,
Æternamque datura venis per ſæcula pacem.
Hæc ego ſiderea miſſus tibi nuntius arce,
Sublimis celeres vexit quem penna per auras,
Vaticinor, non inſidias, non nectere fraudes
Edoctus: longe a noſtris fraus exſulat oris.
Quippe tui magnum magna incrementa per orbem
Ipſa olim partus, Virgo, ſoboliſque beatæ
Adſpicies, vincet proavos: proavitaque longo
Extendet jura imperio: populiſque vocatis
Ad ſolium, late ingenteis moderabitur urbes:

Nec sceptri jam finis erit, nec terminus ævi.
Quin justis paullatim animis pulcherrima surget
Relligio. non monstra piis, sed numina, templis
Placabunt castæ diris sine cædibus aræ.
Dixerat. Illa animum sedato pectore firmans,
Substitit, & placido breviter sic ore locuta est:
Conceptusne mihi tandem, partusque futuros,
Sancte, refers? mene attactus perferre viriles
Posse putas? cui vel nitenti matris ab alvo
Protinus inconcussum, & ineluctabile votum
Virginitas fuit una: nec est, cur solvere amatæ
Jura pudicitiæ cupiam, aut hæc fœdera rumpam.
Immo istas (quod tu minime jam rere) per aures,
Excipit interpres, fœcundam Spiritus alvum
Influet, implebitque potenti viscera partu,
Flammifero veniens cælo, atque micantibus astris.
At tu virgineum mirata tumescere ventrem,
Hærebis pavitans: demum formidine pulsa
Gaudia servati capies inopina pudoris.
Neve hæc vana putes, dictis aut territa nostris
Indubites: feræ dudum concessa senectæ
Dona oculos pone ante tuos. nam sanguine avito
Juncta tibi mulier (sterilis licet illa, gravique
Pressa ævo) haudquaquam speratū hoc tempore pignus
Fert utero, & felix sexto sub mense laborat.
Usque adeo magno nil non superabile cælo est.
His dictis, Regina oculos ad sidera tollens,
Cælestumque domos superas, atque aurea tecta,
Adnuit, & tales emisit pectore voces:
Jam jam vince, fides; vince, obsequiosa voluntas:
En adsum: accipio venerans tua jussa, tuumque
Dulce sacrum, Pater omnipotens: nec fallere vestrum est,
Cælicolæ. nosco crines, nosco ora, manusque,
Verbaque, & aligerum cæli haud variantis alumnum.
Tantum effata, repente nova micuisse penates
Luce

Luce videt: nitor ecce domum complerat: ibi illa,
Ardentum haud patiens radiorum, igniſque coruſcis,
Extimuit magis. At venter (mirabile dictu!
Non ignota cano) ſine vi, ſine labe pudoris,
Arcano intumuit verbo. Vigor actus ab alto
Irradians, Vigor omnipotens, Vigor omnia complens
Deſcendit. Deus ille, Deus: totoſque per artus
Dat ſe ſe, miſcetque utero. quo tacta repente
Viſcera contremuere: ſilet Natura, pavetque
Adtonitæ ſimilis: confuſaque turbine rerum
Inſolito, occultas conatur quærere cauſſas.
Sed longe vires alias, majoraque ſentit
Numina. ſuccutitur tellus: lævumque ſereno
Intonuit cælo, rerum cui ſumma poteſtas,
Adventum Nati Genitor teſtatus: ut omnes
Audirent late populi, quos maximus ambit
Oceanus, Tethyſque, & rauciſona Amphitrite.
Hos inter medios cæli, terræque fragores
Æquatis properans volucer pulcherrimus alis,
(Omnia dum trepidant) diſceſſerat, altaque nabat
Per loca: quum Virgo celſis in nubibus illum
Alternantem humeros videt, atque immenſa ſecantem
Ventorum ſpatia, & jam verſicolore per auras
Fulgentem pluma, ac cæli convexa petentem.
Quem demum tali adſpectans ſermone ſecuta eſt:
Magne ales, celſi decus ætheris, invia rerum
Qui penetras, longeque & nubila linquis, & euros
Antevolans: læto ſeu te felicia tractu
Sidera, quæque ſuos volvuntur ſigna per orbes
Exſpectant redeuntem: alti ſeu certa repoſcit
Cryſtalli domus, & vitrei plaga lucida regni:
Seu propiora vocant ſupremo tecta tonanti,
Qua patet in ſummum regio flammantis olympi,
Teque amor, & liquidis flagrans alit ignibus aura:
I precor, i noſtrum teſtis defende pudorem.

Nec

Nec plura his. Tum vero aciem deflectit, & omnes,
Haud mora, ſollicito percurrit lumine montes:
Agnatamque animo, conceptaque pignora verſat,
Multa putans: ſerumque uteri miratur honorem.
Interea manes deſcendit fama ſub imos,
Pallenteſque domos veris rumoribus implet:
Optatum adventare diem, quo triſtia linquant
Tartara, & evictis fugiant Acheronta tenebris,
Immanemque ululatum, & non lætabile murmur
Tergemini canis: adverſo qui carceris antro
Excubat inſomnis ſemper, rictuque trifauci
Horrendum, ſtimulante fame, ſub nocte profunda
Perſonat, & morſu venientes adpetit umbras.
Tum vero Heroes lætati, animæque piorum
Ad cælum erectas cœperunt tendere palmas.
Atque hic inſignis funda, citharaque decorus,
Inſignis ſceptro ſenior, per opaca locorum
Dum graditur, nectitque ſacros diademate crines:
Dum legit effœtos Lethæo in gramine flores,
Qua tacitæ labuntur aquæ, mutæque volucres
Ducunt per ſteriles æterna ſilentia ramos:
Adtonita ſubitos concepit mente furores,
Divinamque animam: & conſueto numine plenus,
Intorquens oculos, venientia fata recenſet.
Naſcere, magne Puer: noſtros quem ſolvere nexus,
Et tantos Genitor voluit perferre labores.
Magne Puer, cui ſe hæc tandem ſpolianda reſervant
Regna, tot heu miſeris hominum ditata ruinis:
Naſcere: venturum ſi te mortalibus olim
Pectore veridico promiſimus: igneus ut nos
Viribus adflatos cæleſtibus ardor agebat
Inſinuans: ſi ſacra peregimus, & tua late
Juſſa per immenſum fama vulgavimus orbem.
En ridet Pax alma tibi: ſimul ecce potentes
Impulſi cælo, diviſque auctoribus acti,

Orbe

Orbe alio properant Reges. Salvete, beati
Æthiopes, hominum ſanctum genus, aſtra ſecuti:
Scilicet huc veſtris adfertis munera regnis.
Accipe dona, Puer: tuque, o ſanctiſſima Mater,
Sume animos: jã te populique, duceſque frequentant
Litore ab extremo, & odoriferis Nabathæis.
Ille autem aurata fulgens in veſte ſacerdos
Jam canus, jam maturo venerabilis ævo,
Quid ſibi vult? ſacras Puerum qui ſiſtit ad aras,
Sic venerans, lætoque inſpectans æthera vultu?
Seque dehinc facili clauſurum lumina fato,
Exclamat: quod ſperatum per ſæcula munus,
Promiſſamque diu pacem, certamque ſalutem
Terrarum, exorta liceat ſibi luce tueri
Optanti, ſeniumque ideo, Parcaſque trahenti.
Sed quid ego, heu dira conſperſos cæde penates
Infantum, & ſubito currenteis ſanguine rivos
Adſpicio? triſtiſque meas vagitus ad aures
Fertur? io ſcelus eſt, partus jugulare recentes.
Crudelis, quid agis? nihil hi meruere: neque illum
Quem petis, inſano dabitur tibi perdere ferro.
Nunc nunc, o matres, ſcelerata abſcedite terra,
Dum licet, inque ſinu pueros abſcondite veſtros:
Nam ferus hoſtis adeſt. propera jam, regia Virgo,
Inque Parætonias transfer tua pignora terras:
Admonet hoc magnum Genitor qui temperat orbem.
Tuta domus, tutique illic tibi, Dia, receſſus.
Verum, ubi bis ſenas hiemes, bis ſenaque Nati
Solſtitia, & tantos ſuperaveris anxia caſus;
Ingenteis imo duces de pectore queſtus,
Aureaque adſiduis pulſabis ſidera votis.
Nam Puerum, quamvis per compita ſæpe vocatum,
Sæpe exſpectatum conſuetæ ad gaudia menſæ,
Perquires nequicquam amens: nec cara petentem
Oſcula, nec ſera redeuntem nocte videbis.

Treſ-

Treſque illum totos mœrenti pectore ſoles,
Et totidem trepidas ſomni ſine munere noctes
Omnia luſtrantes, queſtu omnia confundentes
Flebitis indigno perculſi corda dolore
Tuque, ſenexque tuus. quarto ſed Lucifer ortu
(Purpureos tremulo quum tollet ab æquore vultus,)
Inventum dabit, & quærentibus offeret ultro.
O quas tunc lacrimas, o quæ tunc oſcula, Mater,
Quos dabis amplexus, miſto inter gaudia fletu!
Quum Natum ante aras Patris, & delubra ſedentem,
Mulcentemque ſenes dictis, animoſque trahentem
Adſpicies gaviſa, ipſo admirante ſenatu
Primitias Pueri ingenteis, nec inane ſagacis
Pectoris indicium, natæque ad grandia mentis.
Tu vero quid in arma ruis, ſcelerata juventus?
Quid galeas, enſeſque virûm, & fulgentia cerno
Agmina? ſcutataſque procul ſub nocte cohortes
Obſcura, & crebris radiantes ignibus haſtas?
Totne unum telis petitur caput? heu furor, heu mens
Cæca hominum, ſemperque odiis adcincta nefandis!
Jamque oleas, montemque ſacrum circumque ſupraque
Cinxere, & longa lucum obſedere corona.
Quo feror? ecce trahunt manibus poſt terga revinctis
Inſontem: modo quem latas mira illa per urbes
Edentem, Patriſque palam præcepta docentem
Adtoniti ſtupuere, illum regemque Deumque,
Humanæque ducem vitæ, fontemque ſalutis
Haud veriti populo circum plaudente fateri.
Heu facinus! mortemne etiam, & crudele minantur
Supplicium? ſævos ſtringunt in vulnera faſces,
Horrenteiſque parant paliuro intexere dumos,
Tormenti genus: & capiti premere inde coronam
Vulnificam. viden', alternos ut arundinis ictus
Incutiunt? geminantque truci convicia lingua?
Parte alia ingenteis video de ſtirpibus imis

Everti

Everti palmas, altas ad ſidera palmas,
Infelix opus: unde hominum lux illa, decorque
Pendeat.. ah trepidis dirum, & miſerabile terris!
Quum Patri æthereo moriens liventia pandet
Brachia, turpatoſque atra de morte capillos,
Oraque, demiſſoſque oculos, frontemque cruore
Jam madidam, & lato patefactum pectus hiatu.
At Mater, non jam mater, ſed flentis, & orbæ
Infelix ſimulacrum, ægra, ac ſine viribus umbra,
Ante crucem demiſſa genas, effuſa capillum,
Stat lacrimans, triſtique irrorat pectora fletu.
Ac; ſi jam comperta mihi licet ore profari
Omnia; defeſſi ſpectans morientia Nati
Lumina, crudeles terras, crudelia dicit
Sidera: crudelem ſe ſe (quod talia cernat
Vulnera) ſæpe vocat. tum luctiſono ululatu
Cuncta replens, ſingultanti ſic incipit ore:
Incipit, & duro figit ſimul oſcula ligno
Exclamans: Quis me miſeram, quis culmine tanto
Dejectam, ſubitis involvit, Nate, procellis?
Nate, Patris vires, ſanguis meus; unde repente
Hæc fera tempeſtas? quis te mihi fluctus ademit?
Quæ manus indignos fœdavit ſanguine vultus?
Cui tantum in ſuperos licuit? bella impia cælo
Quis parat? hunc ego te poſt tot male tuta labores,
Poſtque tot infelix elapſæ incommoda vitæ
Adſpicio? tune illa tuæ lux unica Matris?
Tune animæ pax, & requies, ſpeſque ultima noſtræ
Sic raperis? ſic me ſolam, exanimemque relinquis?
O dolor! exſtincto jam te pro fratre ſorores,
Pro natis toties exoravere parentes:
Aſt ego pro Nato, pro te dominoque Deoque
Quem miſera exorem? quo triſtia pectora vertam?
Cui querar? o tandem, diræ, me perdite, dextræ:
Me potius (ſi qua eſt pietas) immanibus armis

Obrui-

Obruite: in me omneis effundite pectoris iras:
Vel tu (si tanti est hominum genus) eripe Matrem,
Quæ rogat, & Stygias tecum duc, Nate, sub umbras.
Ipsa ego te per dura locorum, inamœnaque vivis
Regna sequar: liceat rumpentem cernere portas
Æratas: liceat pulchro sudore madentem
Eversorem Erebi materna abstergere dextra.
Hos illa, & plures fundet de pectore questus.
Quod scelus Eois ut primum cernet ab undis
Sol, indignanteis retro convertere currus
Optabit: frustraque suis luctatus habenis,
Quod poterit tandem, auratos ferrugine crines
Inficiet, mœstamque diu sine lumine frontem
Ostendet terris: ut qui jam ploret ademtum
Auctorem, Regemque suum. quin ipsa nigranti
Fratris ab ore timens, & tanto concita casu
Cynthia, cæruleo vultus obnubet amictu,
Avertetque oculos, lacrimasque effundet inanes.
At contra horrisono tellus concussa tremore,
Cum gemitu fremet: & ruptis excita sepulcris
Emittet simulacra. Quid, o, quid abire paratis,
Illustres animæ? non omnibus hæc data rerum
Conditio: paucis remeare ad lumina vitæ
Concessum. sed tempus erit, quum Martia rauco
Mugitu cælum quatiet tuba: quumque repente
Corpora per terras omneis late omnia surgent.
Nunc autem sat Tartarei si claustra tyranni
Effringat Rex ille: & caligantia pandat
Atria: diffugiant immisso lumine diræ
Eumenidum facies jactis in terga colubris.
Quas atro vix in limo Phlegethontis adustum
Accipiat nemus, & fumanti condat in ulva.
Tum variæ pestes, & monstra horrentia Ditis
Ima petant: trepident Briareïa turba, Cerastæ,
Semiferumque genus Centauri, & Gorgones atræ;

Scyl-

Scyllæque, Sphingeſque, ardentiſque ora Chimæræ,
Atque Hydræ, atque Canes, & terribiles Harpyiæ.
Ipſe catenato feſſus per Tartara collo
Ducetur Pluton: triſti quem murmure circum
Inferni fractis mærebunt cornibus amnes.
At nos virginea præcincti tempora lauru,
Signa per extentos cæli victricia campos
Tollemus, lætoque ducem clamore ſequemur.
Victor io, bellator io, tu regna profunda,
Tu manes, Erebumque, poteſtateſque coercs
Aërias, letumque tuo ſub numine torques.
Ille alto temone ſedens, levibuſque quadrigis
Lora dabit, volucreſque reget placido ore jugales,
Non jam cornipedum ductos de ſemine equorum,
Nec qui conſuetas carpant præſepibus herbas.
Primus enim valido ſubnixus eburnea collo
Fert juga formoſi pecoris cuſtodia Taurus:
Stellatus minio Taurus: cui cornua fronti
Aurea, & auratis horrent palearia ſetis:
Perque pedes bifidæ radiant nova ſidera gemmæ.
Torva Bovi facies; ſed qua non altera cælo
Dignior, imbriferum quæ cornibus inchoet annum,
Nec quæ tam claris mugitibus aſtra laceſſat.
Et juxta nemorum terror, rexque ipſe ferarum
Magnanimus nitet ore Leo: quem fuſa per armos
Conveſtit juba: pectoribus generoſa ſuperbit
Majeſtas: non jam ut cædes, aut prœlia ſævus
Adpetat (innocuis armantur dentibus ora:
Grataque tranquillo ridet clementia vultu)
Sed cælo ut ſpatietur, & alta ad ſidera tendat.
Hos poſt inſequitur pulchros pennata per artus
Alituum Regina: ſacræ cui vertice plumæ
Adſurgunt: flavoque caput diademate fulget.
Ipſa ingens alis, ingentis fulminis inſtar
Supra hominum tecta, ac montes, ſupraque volucres

Fer-

Fertur: & obſtanteis curſu petit obvia nubes.
Ultimus humana ſociat cervice laborem
Alatus tergo Juvenis: cui lutea lævo
Ex humero chlamys Eois inſperſa lapillis
Pendet: eam variant centum longo ordine reges,
Antiquum genus, & Solymæ primordia gentis,
Oſtro intertexti. veros cognoſcere vultus
Eſt illic: veros monteis, & flumina credas:
Et vera extremo Babylon nitet aurea limbo.
Tali fidereas curru ſubvectus in auras
Indutos referens ſpoliis pallentibus axes,
Perveniet: recto qua panditur orbita tractu
Lactea, & ad ſedes ducit candentis olympi.
Illic auratæ muros mirabimur urbis,
Auratasque domos, & gemmea tecta, viaſque
Stelliferas, vitreoſque altis cum montibus amnes.
Atque ibi, ſeu magni celſum penetrale tonantis,
Sive alios habitare lares, ac tecta minorum
Cælicolûm dabitur, ſtellas numerare licebit:
Surgentemque diem pariter, pariterque cadentem
Sub pedibus ſpectare, & longos ducere ſoles:
Longaque venturis protendere nomina ſeclis.
Hæc ubi dicta: patres plauſu excepere frequentes
Fatidicum vatem; ſublatumque aggere ripæ
Adtollunt humeris, lætumque per avia ducunt.
Intremuere Erebi ſedes, obſcuraque Ditis
Limina. ſuſpirans imo de corde Megæra
Dat gemitum, & torvas ſpectat ſine mente ſorores.
Tum caudam exululans ſub ventre recondidit atram
Cerberus, & ſonteis latratu terruit umbras:
Commotiſque niger Cocytus inhorruit antris:
Et vaga Siſyphiis hæſerunt ſaxa lacertis.

ACTII SYNCERI SANNAZARII *NEAPOLITANI* DE PARTU VIRGINIS

LIBER SECUNDUS.

REgina ut ſubitos imo ſub pectore motus
Senſit, & adflatu divini Numinis aucta eſt:
Haud mora, digreſſu volucris ſuſpenſa miniſtri,
Exſurgit; monteiſque procul contendit in altos
Feſtinans. ea cura animo vel prima recurſat:
Matronam defeſſam ævo, cui nulla fuiſſent
Dona uteri (mirum dictu!) jam ſegnibus annis
Fœcundam, ſextique gravem ſub pondere menſis.
Protinus adfari, vocemque audire loquentis,
Et ſpectare oculis ſterili data pignora matri.
Ergo adcincta viæ, nullos ſtudioſa paratus
Induitur, nullo diſponit pectora cultu:
Tantum albo crines injectu veſtis inumbrans,
Qualis ſtella nitet, tardam quæ circuit Arcton
Hiberna ſub nocte: aut matutina reſurgens

Aurora: aut ubi jam Oceano Sol aureus exit.
Quaque pedes movet, hac caſiam terra alma miniſtrat,
Pubenteiſque roſas, nec jam mæſtos hyacinthos,
Narciſſumque, crocumque, & quidquid purpureum ver
Spirat hians, quidquid florum per gramina paſſim
Subgerit, immiſcens varios natura colores.
Parte alia celeres ſiſtunt vaga flumina curſus:
Exſultant valleſque cavæ, colleſque ſupini:
Et circum ſtantes ſubmittunt culmina pinus:
Crebraque palmiferis erumpunt germina ſilvis.
Omnia lætantur. ceſſant Eurique, Notique:
Ceſſat atrox Boreas. tantum per florea rura
Regna tenent Zephyri, cælumque tepentibus auris
Mulcent, quaque datur, gradientem voce ſalutant.
Ut ventum ad ſedes, vultu longæva verendo
Obcurrit conjux juſti ſenis: atque repente
Plena Deo, ſubitoque uteri concuſſa tumultu,
Excipit amplexu venientem, ac talibus infit:
O decus, o laudis, mulier, dux prævia noſtræ,
Cælitibus ſola humanum quæ digna reperta es
Conciliare genus, cœtuſque adtollere ad aſtra
Femineos: gremium cujus divinus obumbrat
Palmes, inexhauſtis terras qui compleat uvis:
Quis me, quis tanto ſuperûm dignatur honore?
Tune procul viſura humiles, Regina, penates
Veniſti? tune illa mei pulcherrima Regis
Mater ades? viden', ut noſtra puer excitus alvo,
(Quum mihi vix primas vocis ſonus ambiat aures,)
Jam ſalit, & Dominum, (ceu præcurſurus,) adorat?
Felix, Virgo, animi, felix, cui tanta mereri
Credulitas dedit una: in te nam plena videbis
Omnia quæ magni verax tibi dixit olympi
Aliger, arcano delapſus ab æthere curſu.
Illa ſub hæc: Miranda alti quis facta tonantis
O mater, meritas cælo quæ tollere laudes

Vox

Vox queat? exſultant dulci mea pectora motu
Auctori tantorum operum: qui me ima tenentem,
Indignamque humilemque ſuis reſpexit ab aſtris.
Munere quo genteis felix ecce una per omneis
Jam dicar: nec vana fides: ingentia quando
Ipſe mihi ingenti cumulavit munera dextra
Omnipotens, ſanctumque ejus per ſæcula nomen,
Et quæ per magnas clementia didita terras
Exundat; qua paſſim omneis ſua juſſa verentes
Uſque fovens, nullo neglectos deſerit ævo.
Tum fortem exſertans humerum, dextramque coruſcam,
Inſanos longe faſtus, menteiſque ſuperbas
Diſpulit, afflixitque ſuper: ſolioque potentes
Det urbans dedit in præceps, & ad ima repreſſit:
Extollenſque humiles, aliena in ſede locavit:
Pauperiemque, famemque fugans, implevit egenos
Divitiis, vacuos contra, nudoſque reliquit,
Qui nullas opibus metas poſuere parandis.
Poſtremo Sobolem (neque enim dare majus habebat)
Æternam Genitor Sobolem, ſæcliſque priorem
Omnibus, æqualemque ſibi, de ſanguine fidi
Suſcepit pueri, tantis quod honoribus unum
Deerat adhuc, non ille animi, morumque ſuorum
Oblitus. quippe id meditans promiſerat olim
Sacrificis proavorum atavis, ſtirpique nepotum.
Hæc Virgo. At ſenior, nullus cui vocis ademtæ
Uſus erat, ſupplex nunc greſſum obſervat euntis,
Virgineoſque pedes, tactæque dat oſcula terræ:
Nunc lætus tollit duplices ad ſidera palmas:
Quoque poteſt, ſolo teſtatur gaudia nutu:
Oſtenditque manu vatum tot ſcripta priorum:
Quæ quis agente Deo, quondam, dum vita manebat,
Edidit, & populis liquit celebranda futuris.
Scilicet effuſum tacitis de nubibus imbrem
Lanigerum in tergus: germenque e ſtirpe vetuſtæ

Arboris exſurgens: incombuſtumque ſonoro
Igne rubum: & priſcis ſtellam de patribus ortam.
Quæ dum cuncta gravi venturi haud inſcia viſu
Percurrit relegens, alto cum corde volutat
Conceptus Virgo inſolitos, & ab æthere lapſam
Progeniem, pluviæ in morem, quæ vellere molli
Excepta, haud ullos ſonitus, nec murmura reddit.
Seque rubum, virgamque, alto ſe denique miſſam
Sidus grande mari prorſum agnoſcitque, videtque.
Non tamen auſa loqui, tanto aut ſe ducere dignam
Munere: ſed tacito affectu tibi, maxime divûm,
Grates, Rector, agit, mentemque ad ſidera tollit.
Et jam Luna cavum ter luce repleverat orbem,
Ter ſolitas de more intrarat cæca latebras:
Quum Virgo in patriam reditū parat, omnia quando
Certa videt. Subeunt dilectæ grata parentis
Adloquia: adſuetæque piis ſermonibus ædes:
Quæque ſalutantis voces ac verba miniſtri
Audiit, & primos excepit cella volatus:
Cella choris ſuperûm luſtrata, & cognita cælo.
Ergo iter inceptum caris digreſſa propinquis
Adcelerat: relegitq e viam per nota locorum.
Nec mora, nec requies uſquam: nec lumina flectit,
(Cælicolûm quamvis ſacro circumdata cœtu)
Donec ad optatum pervenit ſedula limen.
Atque ibi, dum conſueta ſuo cum pectore verſat
Gaudia, paullatim maturi tempora ventris
Adventare videt. ſcires jam Numen in illa
Grande tegi: nullos adeo ſentire dolores
Dat ſuperûm Genitor, nullaque ex parte gravari.
Interea terra parta jam pace, marique
Auguſtus pater æratis bella impia portis
Clauſerat, & validis arctarat vincta catenis:
Dumque ſuas regnator opes, vireſque potentis
Imperii, exhauſtaſque armis civilibus urbes

Noſſe

Noſſe cupit; magnum cenſeri juſſerat orbem,
Deſcribi populos late, numerumque referri
Cunctorum ad ſe ſe capitum, quæ maxima tellus
Suſtinet, & rapido complectitur æquore Nereus.
Ergo omneis lex una movet. ſua nomina mittunt,
Qui monteis, Aurora, tuos, regna illa feracis
Armeniæ, qui convalles, atque alta Niphatæ
Saxa tenent, longe pictis gens nota pharetris,
Gens fines luſtrare ſuos non ſegnis, & arcu,
Qua vagus Euphrates, qua devius exit Araxes
Felices tractus, & late munere divûm
Conceſſos defendere agros bene olentis amomi.
Cenſetur Tauri paſſim, cenſetur Amani
Incola: prædatorque Cilix: & Iſaurica quiſquis
Rura domat: quicumque tuas, Pamphylia, ſilvas:
Quique Lycaoniam, felicia jugera: quique
Flaventem curvis Lyciam perrumpit aratris.
Jam clari bello Leleges, populique propinqui
Juſſa obeunt: gens quæque ſuo dat nomina ritu.
Qui Ceramon, bimaremque Gnidon: quique alta tuētur
Mœnia, diſpoſitis ubi circumſepta columnis
Tollit ſe nivei moles operoſa ſepulcri,
Barbara quam rapto poſuit regina marito.
Et quos Mæandri toties ludente recurſu
Unda rigat, rigat ipſe ſuo mox amne Cayſter,
Herboſo niveos dum margine paſcit olores.
Quoſque metalliferis veniens Pactolus ab antris
Circuit: & rutila non parcior Hermus arena.
Myſorum manus omnis: Apollineæque Celænæ:
Idaque, Rhœtæque arces, celebrataque Muſis
Pergama, Sigæumque jugum, Priameia quondam
Regna armis, ducibuſque, ducum nunc nota ſepulcris.
Quæ nauta, anguſtum dum præterit Helleſpontum,
Oſtendens ſociis: Hoc, inquit, litore flentes
Nereïdes ſteterant, paſſis quum mœſta capillis

Ipſa ſuum de more Thetis clamaret Achillem.
His & Bithynæ claſſes, & Pontica late
Adcedit regio. paret ſcopuloſa Carambis:
Parendi ſtudio fervet ſimul alta Sinope:
Fervet Halys: quique immenſis procul amnibus auctus
Cappadocum medios populos diſcriminat Iris:
Thermodõque: Halybeſque: adtritaque ſaxa Prometheo.
Præterea qua ſe Thracum Mavortia tellus
Pandit, & algentem Rhodope procurrit in Hæmum:
Qua Macetũm per ſaxa ruit torrentibus undis
Axius, umbroſæque tegunt Halyachmona ripæ:
Quaque jacet diris omen Pharſalia bellis,
Et bis Romana ferales clade Philippi,
Conveniunt populi certatim, & juſſa faceſſunt.
Vos etiam veſtros his adjunxiſtis alumnos,
Vicinæ paſſim vacuis jam mœnibus urbes,
Antiquæ Grajorum urbes, gens optima morum
Formatrix, clara ingeniis, & forribus auſis:
Seu quæ litoreos tractus, monteiſque tenetis:
Seu quæ per medias diſperſæ exſurgitis undas.
Tum latus Epiri, qui formidabile nautis
Adtollunt ſummo caput Acroceraunia cælo.
Urget opus. jamque Alcinoi dat regia cenſum:
Illyricæque manus: impacatique Liburni:
Litoraque Ionio paſſim pulſata profundo.
Nec tu, cui late imperium terræque, mariſque
Bellatrix peperit virtus, & Martius ardor,
Non populos, non ipſa tuas, terra inclyta, genteis
Deſcribis, terra una armis, & fœta triumphis,
Una viris longe pollens, atque æmula cælo:
Nubiferæ quam præruptis anfractibus Alpes
Præcingunt, mediamque pater ſecat Apenninus,
Et geminum rapido fluctu circumtonat æquor.
Deſcripſere ſuos, (quamvis non axe ſub uno,)
Hinc Rhenus pater indigenas, hinc latior undis

Da-

Danubius: qui ſilvarum per vaſta volutus,
Paſcere non populos, non lambere deſinit urbes,
Donec ad optatam rapido venit agmine Peucen.
Quin & proceras ſcrutatur Gallia ſilvas,
Gallia Cæſareis Latio dignata triumphis:
Quam Rhodanus, quam findit Arar, quam permeat ingēs
Sequana, piſcoſoque interluit amne Garumna.
Tum quas piniferis genteis prærupta Pyrene
Rupibus, Herculeas proſpectat ad uſque columnas,
Cogit Anas, cogit ripa formoſus utraque
Duria, & albenti Bætis præcinctus oliva,
Auratamque Tagus volvens ſub gurgite arenam,
Quique ſuo terras inſignit nomine Iberus.
Parte alia vaſtas circumvocat Africa vires:
Getuli, Maurique duces rimantur opaci
Atlantis nemora, & diſperſa mapalia ſilvis.
Scribitur & vacuis ut quiſque inventus arenis
Seu paſtor, ſeu ſubcinctis venator in armis
Obſervans ſævos latebroſa ad teſqua leones.
Maſſylûm quicumque domos, quicumque repoſtos
Heſperidum lucos, munitaque montibus arva
Incolit, & ramis nativum decutit aurum:
Et qui vertentes immania ſaxa juvencos
Flectit arans; qua devictæ Carthaginis arces
Procubuere, jacentque infauſto in litore turres
Everſæ. quantum illa metus, quantum illa laborum
Urbs dedit inſultans Latio, & Laurentibus arvis!
Nunc paſſim vix relliquias, vix nomina ſervans,
Obruitur propriis non agnoſcenda ruinis.
Et querimur genus infelix humana labare
Membra ævo: quum regna palam moriantur, & urbes.
Jamque Macas idem ardor habet: venere volentes
Barcæi: venere ſuis Nafamones ab arvis:
Navifragas qui per Syrtes, infidaque circum
Litora, mærentum ſpoliis onerantur, & altos

Insiliunt nudi cumulos exstantis arenæ,
Inque suas vertunt aliena pericula prædas.
Postremo Psylli, Garamanticaque arva tenentes:
Quique Cyrenæas suspendunt vomere glæbas,
Laudatasque legunt succis præstantibus herbas.
Quique Jovis palmeta, Asbytarumque recessus:
Marmaricas qui late oras: qui pascua servant
Ægypti, Meroësque, sacer quos Nilus inundat,
Nilus ab æthereo ducens cunabula cælo.
Nec minus & casta senior cum Virgine custos
Ibat, ut in patria nomen de more, genusque
Ederet, & jussum non segnis penderet aurum.
Ille domum antiquam, & regnata parentibus arva
Invisens, secum proavos ex ordine reges,
Claraque facta ducũ, pulchramque ab origine gẽtem
Mente recensebat tacita: numerumque suorum,
(Quamvis tunc pauper, quamvis incognitus ipsis
Adgnatis,) longe adveniens explere parabat.
Jam fineis, Galilæa, tuos emensus, & imas
Carmeli valleis, quæque altus vertice opacat
Rura Thabor, sparsamque jugis Samaritida terram
Palmiferis; Solymas a læva liquerat arces:
Quum simul e tumulo muros, ac tecta domorum
Prospexit, patriæque agnovit mœnia terræ.
Continuo lacrimis urbem veneratur obortis:
Intenditque manus, & ab imo pectore fatur:
Bethlemiæ turres, & non obscura meorum
Regna patrum, magnique olim, salvete, penates:
Tuque o terra parens regum, visuraque Regem,
Cui Sol, & gemini famulantur cardinis axes,
Salve iterum. te vana Jovis cunabula Crete
Horrescet, ponetque suos temeraria fastus:
Mœnia te Dircæa trement: ipsamque pudebit
Ortygiam geminos Latonæ extollere partus.
Parva loquor: prono veniet diademate supplex

Illa

Illa potens rerum, terrarumque inclyta Roma:
Et ſeptemgeminos ſubmittet ad oſcula monteis.
Dixit, & extrema movit veſtigia voce:
Maturatque viam ſenior: tardumque fatigat
Vectorem: & viſas greſſum molitur ad oras.
Et jam prona dies fluctus urgebat Iberos,
Purpureas pelago nubeis, aurumque relinquens.
Ecce autem magnis plenam conventibus urbem
Protinus, ut venere, extremo e limine portæ
Adſpiciunt. miſtum confluxerat undique vulgus,
Turba ingens. credas longinquo ex æquore vectas
Ad merces properaſſe: aut devaſtantibus arva
Hoſtibus, in tutum trepidos fugiſſe colonos.
Cernere erat perque anfractus, perque arcta viarum
Cuncta repleſſe viros, confuſoque ordine matres:
Permiſtos pecori agricolas, hos jungere plauſtra:
Hos intendere vela: alios diſcumbere apertis
Porticibus: reſono compleri cuncta tumultu:
Accenſos variis lucere in partibus ignes.
Quæ pater admirans, tacito dum ſingula viſu
Percurrit, circumque domos, & limina luſtrat,
Nec ſupereſſe locum tecto videt: Ibimus, inquit,
Quo Deus, & quo ſancta vocant oracula patrum.
Eſt ſpecus haud ingens parvæ ſub mœnibus urbis,
Incertum, manibuſne hominum, genione potentis
Naturæ formatus, ut hæc ſpectacula terris
Præberet, tantoſque diu ſervatus in uſus,
Hoſpitio cælum accipere; cui plurima dorſo
Incumbit rupes pendentibus undique ſaxis
Aſpera: & exeſæ cingunt latera ardua cautes:
Defunctis operum domus haud ingrata colonis.
Huc heros tandem ſuperata ambage viarum
Sic monitus, ducente Deo, cum Conjuge ſancta
Devenit, multaque ſenex ſe nocte recepit.
Ac primum ſiccis ramalibus excitat ignem:

Stra-

Stramineoque toro comitem locat: ægra cubantis
Membra ſuper veſtem involvens: mox adligat ipſos
Permulcens, jam non duros, jam ſponte ſequentes
Quadrupedes: ut forte aderat fœnile ſaligna
Subfultum crate, & palmarum vimine textum.
Nunc age, Caſtaliis quæ numquam audita ſub antris,
Muſarumve choris celebrata, aut cognita Phœbo,
Expediam: vos ſecretos per devia calleis,
Cælicolæ, vos (ſi merui) monſtrate receſſus
Intactos. ventum ad cunas, & gaudia cæli,
Mirandoſque ortus, & tecta ſonantia ſacro
Vagitu. Stat ferre pedem, qua nulla priorum
Obvia ſint oculis vatum veſtigia noſtris.
Tempus erat, quo nox tardis invecta quadrigis
Nondum ſtelliferi mediam pervenit olympi
Ad metam, & tacito ſcintillant ſidera motu:
Quum ſilvæque, urbeſque ſilent: quum feſſa labore
Accipiunt placidos mortalia pectora ſomnos:
Non fera, non volucris, non picto corpore ſerpens
Dat ſonitum. jamque in cineres conſederat ignis
Ultimus: & ſera perfuſus membra quiete
Scrupoſo ſenior caput adclinaverat antro.
Ecce autem nitor ex alto novus emicat, omnemque
Exſuperat veniens atræ caliginis umbram:
Auditique chori ſuperûm, & cæleſtia curvas
Agmina pulſantum citharas, ac voce canentum.
Agnovit ſonitum, partuſque inſtare propinquos
Haud dubiis Virgo ſenſit lætiſſima ſignis.
Protinus erigitur ſtratis, cæloque nitentes
Adtollit venerans oculos, ac talia fatur:
Omnipotens Genitor, magno qui ſidera nutu,
Aërioſque regis tractus, terraſque, freumque,
Ecquid adeſt tempus, quo ſe ſine labe ſerenam
Efferat in lucem Soboles tua? quo mihi tellus
Rideat, & teneris depingat floribus arva?

En

En tibi maturos fructus, en reddimus ingens
Depositum: tu ne qua pio jactura pudori
Obrepat, summo defende, & consule cælo.
Ergo ego te gremio reptantem, & nota petentem
Ubera, care Puer, molli studiosa fovebo
Amplexu? tu blanda tuæ dabis oscula matri
Adridens: colloque manum, & puerilia nectes
Brachia: & optatam capies per membra quietem?
Sic memorat, fruiturque Deo; comitumque micanti
Agmine, diviniſque animum concentibus explet.
Atque olli interea revoluto ſidere felix
Hora propinquabat. Quis me rapit? accipe vatem,
Diva, tuum: rege, Diva, tuum. feror arduus altas
In nubes: video totum deſcendere cælum
Spectandi excitum ſtudio. da pandere factum
Mirum, indictum, inſuetum, ingens. abſiſtite, curæ
Degeneres, dum ſacra cano. Jam læta laborum,
Jam non tacta metu, ſæcli Regina futuri
Stabat adhuc, nihil ipſa ſuo cum corde caducum,
Nil mortale putans. illam Natuſque, Paterque,
Quique prius quam Sol cælo, quam Luna niteret,
Spiritus obſcuras ibat ſuper igneus undas,
Stant circum, & magnis permulcent pectora curis.
Præterea redeunt animo quæcumque verendus
Dixerat interpres: acti ſine pondere menſes,
Servatuſque pudor. clauſa quum protinus alvo
(O noctem ſuperis lætam, & mortalibus ægris!)
Sicut erat foliis, ſtipulaque innixa rigenti,
Divinum ſpectante polo, ſpectantibus aſtris,
Edit onus. Qualis rorem quum vere tepenti
Per tacitum matutinus deſudat Eous:
Et paſſim teretes lucent per gramina guttæ.
Terra madet: madet adſperſa ſub veſte viator
Horridus, & pluviæ vim non ſenſiſſe cadentis
Admirans, gelidas udo pede proterit herbas.

Mira

Mira fides! Puer æthereas jam lucis iu auras
Prodierat: fœnoque latus male fultus agresti,
Impulerat primis resonum vagitibus antrum.
Alma Parens nullos intra præcordia motus,
Aut incursanteis devexi ponderis ictus
Senserat: hærebant immotis viscera claustris.
Haud aliter, quam quum purum specularia Solem
Admittunt: lux ipsa quidem pertransit, & omneis
Irrumpens laxat tenebras, & discutit umbras:
Illa manent inlæsa, haud ulli pervia vento,
Non hiemi, radiis sed tantum obnoxia Phœbi.
Tunc Puerum tepido Genitrix involvit amictu,
Exceptumque sinu, blandeque ad pectora pressum
Detulit in præsepe. hic illum mitia anhelo
Ore fovent jumenta. O rerum occulta potestas!
Protinus agnoscens Dominum procumbit humi bos
Cernuus: & mora nulla, simul procumbit asellus
Submittens caput, & trepidanti poplite adorat.
Fortunati ambo! non vos aut fabula Cretæ
Polluet, antiqui referens mendacia furti,
Sidoniam mare per medium vexisse puellam:
Aut sua dum madidus celebrat portenta Cithæron,
Infames inter thyasos, vinosaque sacra
Arguet obsequio senis insudasse profani.
Solis quippe Deum vobis, & pignora cæli
Nosse datum, solis cunabula tanta tueri.
Ergo dum refugo stabit circumdata fluctu
Terra parens; dum præcipiti vertigine cælum
Volvetur; Romana pius dum templa sacerdos
Rite colet; vestri semper referentur honores:
Semper vestra fides nostris celebrabitur aris.
Quis tibi tunc animus, quæ sancto in corde voluptas,
O Genitrix, quum muta tuis famulantia cunis,
Ac circum de more sacros referentia ritus
Adspiceres domino genua inclinare potenti,

Et ſua commotum trahere ad ſpectacula cælum?
Magne Pater, quæ tanta rudeis prudentia ſenſus
Leniit? informi tantos quis pectore motus
Excivit calor, & pecudum in præcordia venit?
Ut quem non reges, non accepere tot urbes,
Non populi, quibus una aras, & ſacra tueri
Cura fuit; jam bos torpens, jam ſegnis aſellus
Auctorem late, poſſeſſoremque ſalutent?
Vocibus interea ſenſim puerilibus heros
Excitus, ſomnum expulerat, noctemque fugarat
Ex oculis: jamque Infantem videt, & videt ipſam
Majorem adſpectu, majori & lumine Matrem
Fulgentem, nec quoquam oculos, aut ora moventem,
Sublimemque ſolo, ſuperûm cingente catetva
Aligera. Qualis, noſtrum quum tendit in orbem,
Purpureis rutilat pennis nitidiſſima Phœnix:
Quam varie circum volucres comitantur euntem.
Illa volans, Solem nativo provocat auro
Fulva caput, caudam & roſeis interlita punctis
Cæruleam. ſtupet ipſa cohors: plauſuque ſonoro
Pe ſudum ſtrepit innumeris exercitus alis.
Miratur lucem inſolitam, miratur ovanteis
Cælicolûm cantus ſenior. tum victus, & amens,
Adtonituſque animi, tantiſque ardoribus impar
Corruit, & geminas vultum demiſit in ulnas:
Adſuſuſque diu telluri, immobilis hæſit.
Hic illum ſuperi juxta videre jacentem,
Vidit Dia Parens: nec longum paſſa ſenilis
Obduci tenebris oculos: dat ſurgere, & ægrum
Suſtentare genu, tremuliſque inſiſtere plantis,
Divinoſque pati vultus, ſuperique nitorem
Ignis, & æthereas vibrantia lumina flammas.
Ille ubi paullatim vireis, animumque reſumſit;
Nodoſo incumbens baculo, modulantia primum
Agmina, Reginamque deûm de more ſalutat.

Mox

Mox ipſum adcedens præſepe, ulvaque paluſtri
Impoſitum ſpectans Dominum terræque mariſque,
(O timor, o mentis pietas!) puerilia membra
Non auſus tractare manu, cunctatur. ibi auram
Inſperatam auram divino efflantis ab ore
Ore trahens, ſubito correptus numinis hauſtu,
Adflatuſque Deo, ſic tandem voce quieta
Incipit, & lacrimis oculos ſubfundit obortis:
Sancte Puer, non te Phariis operoſa columnis
Atria, non variata Phrygum velamina textu
Excepere (jaces nullo ſpectabilis auro)
Anguſtum ſed vix ſtabulum, male commoda ſedes,
Et fragiles calami, lectæque paludibus herbæ
Fortuitum dant ecce torum. laqueata tyrannos
Tecta, & regifico capiant aulæa paratu.
Te Pater æterno ſuperûm ditavit honore
Illuſtrans: tibi ſiderei domus aurea cæli
Plaudit, inexſtinctoſque parat Natura triumphos.
Et tamen hanc ſedem Reges, hæc undique magni
Antra petent populi: longe quos cærula Calpe
Litore ab occiduo, nigriſque impellet ab Indis
Sol oriens: quos & Boreas, & fervidus Auſter
Diverſo inter ſe certantes cardine mittent.
Tu paſtor, tu diſperſas revocare per agros
Miſſus oveis late, pectuſque obferre periclis,
Prodigus ah nimium vitæ, per tela, per hoſteis
Obſcurum nemus irrumpens, rabida ora luporum
Compeſces, ſaturumque gregem ſub tecta reduces.
O mihi certa fides ſuperûm, decus addite terris,
Nate Deo, Deus ipſe, æterno e lumine lumen:
Te te ego, te circum Genitrix, lætique miniſtri
Concinimus, primique tuos celebramus honores,
Longaque perpetuis indicimus orgia faſtis.

ACTII SYNCERI SANNAZARII *NEAPOLITANI* DE PARTU VIRGINIS

LIBER TERTIUS.

AUratum interea culmen bipatentis olympi
Conſcendit Genitor, rerum inviolata poteſtas,
Læta fovens tacito ſub pectore: mox jubet omneis
Ad ſe ſe acciri ſuperos: quique atria longe
Obſervant, quique arcanis penetralibus adſtant:
Præterea quos Eoos Aurora per ortus,
Et quos occiduæ propior videt Heſperus oræ.
Namque ferunt olim leges quum conderet æquas
Rex ſuperûm, & valido mundum ſuſpenderet axe,
Diverſas ſtatuiſſe domos, diverſaque divis
Hoſpitia, & dignos meritis tribuiſſe penates
Ordine cuique ſuos. Illi data tecta frequentant:
Armaque, & æratis adfigunt nomina valvis.
Haud mora fit. celerant juſſi: volat æthere toto
Cælicolûm glomerata manus: pars igne coruſco

Tota

Tota rubens, pars ſtelliferis innexa coronis.
Ipſe ſedens, humeris chlamydem fulgentibus aptat
Ingentem, & cælum pariter, terraſque tegentem.
Quã quondã,(ut perhibent,) vigilans nocteſque, dieſque
Ipſa ſuo nevit rerum Natura Tonanti:
Adjecitque ſacræ decus admirabile telæ,
Per medium, perque extremas ſubtegminis oras
Immortale aurum intexens, grandeſque zmaragdos.
Illic nam varia mundum diſtinxerat arte
Gnara operum mater, certiſque elementa figuris,
Et rerum ſpecies, animaſque, & quidquid ab alta
Fundit mente Pater. Generis primordia noſtri,
Cernere erat limum informem. jam præpete penna
Deferri volucres liquidum per inane videres:
Jam ſilvis errare feras, pontumque natari
Piſcibus, & vero credas ſpumeſcere fluctu.
Hic poſtquam aligeros gemmata ſedilia cœtus
Accepere; Pater ſolio ſic infit ab alto:
Ætherei proceres (neque enim ignoratis & auſus
Infandos, dirumque acies ſuper aſtra frementeis)
Si mecum juvat antiquos ab origine motus
Inſpicere, & veterum pariter meminiſſe laborum:
Quandoquidem hæc vobis peperit victoria laudem;
Huc animos, huc pacatas advertite menteis.
Vos, quum omne arderet cælum ſervilibus armis,
Arctoumque furor pertenderet impius axem
Scandere, & in gelidos regnum transferre Triones;
Fida manus mecum manſiſtis: & ultima tandem
Experti, cælo victricia ſigna tuliſtis:
Æternumque alta fixiſtis in arce trophæum.
Quos ego pro meritis inſigni munere palmæ
Donavi: regnique in partem, operumque recepi:
Præcipuoſque habui, lectoſque ad juſſa miniſtros:
Uſque adeo fixa antiqui ſtat gratia facti.
Nec minus & noſtras audiſtis ſæpe querelas:

Vidi-

Vidiſtiſque graveis flammati pectoris æſtus:
Tunc quum prima novas egit dementia gentes
Arboris auricomæ cæleſtia carpere poma:
Poma gravi ſeros guſtu læſura nepotes.
Munere quin ſuperûm indignas ſpoliaſtis, & umbra
Sacrorum late nemorum: adſiduoque labore
Multaſtis miſeras, vitæ & brevioribus annis.
Quid repetam veteri ſumtas de crimine pœnas?
Exſiliumque informe Erebi, tenebraſque repoſtas?
Quæ tacito mecum ſpectaſtis lumine: & iidem
Terrarum ſortem mæſti indoluiſtis acerbam.
Aut etiam ut noſtri longo poſt tempore tandem
Pectoris indomitas clementia vicerit iras?
Viſque arcana leveis ſenſim demiſſa per auras
Fœcundam intactæ complerit Virginis alvum?
An temere hoc, nullaque actum ratione putatis?
Quippe ita manſuras decuit me ponere leges:
Quo terræque, poluſque, homines, divique viciſſim
Fœderibus ſtarent certis, & pignore tanto
Servarent memorem cognatæ ſtirpis amorem.
Quare agite, & jam nunc humana capeſſite fata:
Ac primum duris parvi ſub cautibus antri.
Gramineos luſtrate toros: luſtrate beatam
Pauperibus ſedem calamis: cunctique recenteis
Submiſſi cunas adcedite, dum pia Mater
Complexu in molli Natum fovet, ubera pernox
Indulgens teneris Pueri rorantia labris:
Nec procul in ſtipula demiſſo pectore mutum
Procumbit pecus: & Domini veſtigia lambens
Pervigilat, longos fundit dum tibia cantus.
Hic fauſtos ortus Pueri, noctemque verendam
Diſcurſu per inane levi, paſſimque canoris
Laudibus excipite, & plauſu celebrate faventes
Omnia felicem ventura in ſæcula pacem,
Certatimque renaſcentis cunabula mundi,

Victum anguem, victumque anguis furiale venenum.
Sic placitum, ſic averſos conjungere terris
Cælicolas, ſic ferre homines ad ſidera certum eſt.
Hæc ubi dicta; novum ſuperis inſpirat amorem;
Quo ſubito veteres deponant pectoris iras:
Obliti ſcelerum; Patriſque exempla ſecuti,
Terrarum flagrent ſtudio, & mortalia curent.
Nec mora: Lætitiam choreis tum forte vacantem
Advocat: hæc magni motuſque, animoſque tonantis
Temperat, & vultum diſcuſſa nube ſerenat.
Lætitiam, quæ cælicolûm per limina ſemper
Diſcurſat, raroque imas petit hoſpita terras:
Curarumque expers, lacrimaſque exoſa virago,
Exſultat, totoque abigit ſuſpiria cælo.
Ut ſtetit ante Patrem, terraſque adcedere juſſa eſt,
Mobilibus pictas humeris adcommodat alas:
Lenimenque viæ comites vocat. Ilicet adſunt
Jucundæ viſu facies Cantuſque, Chorique,
Gaudiaque, Plauſuſque, & honeſtis ignibus ardens
Rectus amor: quem nuda Fides, Spesque inſcia luctus
Vadentem, mira unanimes pietate ſorores
Obſervant. ſequitur mox inculpata Voluptas,
Gratiaque, & niveam ſuadens Concordia pacem.
Quumque propinquaſſet portæ quæ maxima cælo
Dicitur, æternumque micat radiata coruſcis
Aſtrorum ſignis: quando mortalibus ægris
Dant nimbos aliæ, & damnant caligine terras:
Subcinctæ occurrunt Horæ properantibus alis:
Inſomnes Horæ: namque his fulgentia divûm
Limina, & ingentis cuſtodia credita cæli.
Protinus æratos impulſo cardine poſteis
Cum ſonitu, magnoque polos quaſſante fragore
Præpandunt obnixæ humeris. volat illa per auras
Obſcura ſub nocte nitens. gratantur eunti
Sidera: jam feſtas meditatur Luna choreas.

Ex-

Exſultant Hyades: gaudet mutata Bootes
Plauſtra auro, totoſque auro fulgere juvencos.
Tunc primum viſa eſt, miſeri poſt fata parentis,
Riſiſſe Erigone, & longum poſuiſſe dolorem:
Armatoque enſis ſubducitur Orioni.
Ut vero umbroſis poſuit veſtigia ſilvis;
Culmina conſcendit paſtorum; atque omnia late
Perluſtrans tacitis oculis loca, concutit alas
Adplaudens: pictoſque ſinus ſub nocte coruſcans,
Subriſit lætum, puraque in luce refulſit.
Primi illam ſenſere canes: ſenſere jacentes
Hædorum paſſim per dura cubilia matres:
Balatuque ovium valles ſonuere propinquæ,
Saxaque; & adtoniti caput erexere magiſtri.
Tunc ait: O parvi vigiles gregis, o bona pubes
Silvarum, ſuperis gratum genus, ite, beati
Paſtores, ite antra novis intendite ſertis:
Reginam ad cunas, poſitumque in ſtramine Regem
(Certa fides) alti jam jam moderator olympi
Cernere dat. properate: novique tepentia lactis
Munera, cumque ſuo date condita ſubere mella:
Inſuetum & ſilvis ſtipula deducite carmen.
Nec plura effata, in nubes taciturna receſſit:
Et penitus nigra noctis ſe condidit umbra.
Olli inter ſe ſe vario ſermone volutant,
Quid ſuperûm mandata velint, quas quærere cunas,
Quos jubeant reges, quæ cingere frondibus antra.
Continuo variis innectunt tempora ramis:
Nectitur & lentiſcus, opacæque arbutus umbræ,
Roſque maris, buxuſque, & denſa comas terebinthus:
Cunctaque frondenti redimitur turba corona.
Mox ſilvam exquirunt omnem: ſaltuſque repoſtos
Flammiferis luſtrant tædis. ardere putares
Arva procul, totumque incendi lumine montem.
Tandem inter dumos feſſi, ſub rupe cavata

Speluncam adſpiciunt: vocemque rudentis aſelli
Auribus accepere. vident ipſumque, bovemque,
Longævumque ſenem, ſtantemque ad lumina Matrem
Inſomnem, & preſſis refoventem pignus in ulnis.
Ergo inſperatæ gaviſi munere ſortis,
Ocyus ingentem procero ſtipite laurum,
Avulſamque ſolo palmam ab radicibus imis
Adtollunt humeris: perque intervalla canentes
Cum plauſu, choreiſque, & multiſono modulatu
Veſtibuli ante aditum ſtatuunt: omnēque coronant
Fronde locum: grandes oleas, eedroſque comanteis
Adfigunt: longiſque advelant limina ſertis:
Et late Idaliam ſpargunt cum baccare myrtum.
Quos bonus ex antro dictis ingreſſus amicis
Compellat ſenior: placidaque hæc voce profatur:
Dicite, paſtores (neque enim ſine numine, credo,
Tam certum tenuiſtis iter) cui tanta paratis
Munera? cui virides ramis frondentibus umbras
Texitis? anne aliquis ſuperûm Patre miſſus ab alto
Has docuit ſedeis, locaque hæc adcedere juſſit?
Sic memorans, ſe ſe lætum venientibus obfert.
Illi autem: Nova per tenebras, nova lucis imago,
O genitor, media viſa eſt modo lumina ſilva
Spargere, & in noſtras diffundere gaudia menteis:
Sive Deus cælo veniens, ſeu forte deorum
Nuntius, in dubio eſt: nos vultum, habitumque loquentis
Vidimus: & motas per noctem audivimus alas.
Sic fati, jungunt dextras: mox ordine longo
Antrum introgreſſi, calathis ſilveſtria plenis
Dona ferunt: Matrem & læto ſimul ore ſalutant.
Tum Puero adſtantes Lycidas, & maximus Ægon,
Ægon, Gætulis centum cui paſcua campis,
Centeni per rura greges Maſſyla vagantur:
Ipſe caput late, qua Bagrada, qua vagus errat
Triton, Cinyphiæ qua devolvuntur arenæ,

In-

Ingens agricolis, ingens paſtoribus Ægon.
At Lycidas vix urbe ſua, vix colle propinquo
Cognitus, æquoreas carmen deflexit ad undas:
Et tamen hi non voce pares, non viribus æquis,
Inter adorantum choreas, plauſuſque deorum
Ruſtica ſeptena modulantur carmina canna:
Hoc erat, alme Puer, patriis quod noſter in antris
Tityrus adtritæ ſprevit rude carmen avenæ,
Et cecinit dignas Romano conſule ſilvas:
Ultima Cumæi venit jam carminis ætas:
Magna per exactos renovantur ſæcula curſus.
Scilicet hæc Virgo, hæc ſunt Saturnia regna:
Hæc nova progenies cælo deſcendit ab alto,
Progenies, per quam toto gens aurea mundo
Surget, & in mediis palmes florebit ariſtis.
Qua duce, ſiqua manent ſceleris veſtigia noſtri,
Irrita perpetua ſolvent formidine terras:
Et vetitum magni pandetur limen olympi.
Occidet & ſerpens, miſeros quæ prima parentes
Eluſit portentificis imbuta venenis.
Tune deûm vitam accipies? diviſque videbis
Permiſtos heroas, & ipſe videberis illis?
Pacatumque reges patriis virtutibus orbem?
Adſpice felici diffuſum lumine cælum,
Campoſque, fluvioſque, ipſaſque in montibus herbas.
Adſpice, venturo lætentur ut omnia ſæclo.
Ipſæ lacte domum referent diſtenta capellæ
Ubera; nec magnos metuent armenta leones:
Agnaque per gladios ibit ſecura nocenteis:
Biſque ſuperfuſos ſervabit tincta rubores.
Interea tibi, parve Puer, munuſcula prima
Contingent, hederæque, intermiſtique corymbi.
Ipſa tibi blandos fundent cunabula flores:
Et duræ quercus ſudabunt roſcida mella:
Mella dabunt quercus: omnis feret omnia tellus.

At poſtquam firmata virum te fecerit ætas,
Et tua jam totum noteſcent facta per orbem:
Alter erit tum Tiphys, & altera quæ vehat Argo
Delectos heroas: erunt etiam altera bella:
Atque ingens Stygias ibis prædator ad undas.
Incipe, parve Puer, riſu cognoſcere Matrem,
Cara Dei Soboles, magnum cæli incrementum.
Talia dum referunt paſtores: avia longe
Reſponſant nemora: & voces ad ſidera jactant
Intonſi montes: ipſæ per confraga rupes,
Ipſa ſonant arbuſta: Deus, Deus ille, Menalca.
Hic ſubito magnum viſi per inane volatus
Cæleſtum, curſuſque alacres, alacreſque recurſus:
Auditæque procul voces, ſonituſque rotarum.
Scilicet innocuis per ſudum exercitus armis
Ibat ovans: diviſæ acies, terna agmina ternis
Inſtructa ordinibus belli ſimulacra ciebant.
Ter clypeis jam cedenteis invadere nubes
Adſpiceres: vacuas ter mittere tela per auras:
Ter clamare ducem: mox diſſita cogere ſigna;
Atque unam lætæ faciem præferre phalangis:
Rurſus & aërios percurrere milite campos.
Semotoſque alios conſtanti incedere paſſu
Nubila per, lataſque vias: & jungere nexu
Brachia, perpetuis quatientes motibus alas,
Geſtanteſque manu noſtræ argumenta ſalutis,
Spinaſque, clavoſque, horrenti & vimine faſceis,
Hæſuramque haſtam lateri, medicataque felle
Pocula, ſublimemque crucem, immanemque columnam.
Ibant, & dulci mulcebant æthera cantu.
Innumeras alii laudes, & magna Parentis
Facta canunt: Ut prima novi fundaverit orbis
Mœnia, telluremque vagis diſcluſerit undis:
Ut paſſim varios cælo ſuſpenderit ignes,
Lunamque, ſtellaſque: ut magni lumina Solis,

Jam

Jam late extremo tenebris Oriente fugatis,
Protulerit. Tu belligeras, metuende, cohortes
Dejicis, exturbasque polo: tu fulmine quassas
Cum duce signa suo, nigroque involvis Averno,
Cocytumque jubes, tristeisque habitare lacunas.
Te gemini cecinere axes, te maxima tellus:
Victorem cecinit vastis cum fluctibus æquor.
Nec te hominum fraudes, non avertére nefanda
Crimina: sed læto spectas mortalia vultu:
Dignatasque tuo solaris numine terras.
Salve, magne opifex cæli, Rex maxime divûm,
Terrarumque, hominûque salus: quem sidera, quem Sol,
Quem metuunt reges tenebrarum, & Tartarus ingens:
Cui late humanum servit genus: omnia solus
Qui regis: omnia amas pariter. tibi nomina mille,
Mille potestatum, regnorum insignia mille.
Salve, auctor: salve, immensi dominator olympi:
Et nobis felix, terrisque labantibus adsis.
Ingeminant plausum nubes: lateque per auras
Discursat vox: & cæli convexa resultant.
Herboso tum forte toro, undisoniisque sub antris
Venturas tacito volvebat pectore sorteis
Cæruleus rex, humentum generator aquarum
Jordanes. quem juxta hilari famulantia vultu
Agmina densentur natæ, pulcherrima Glauce,
Doroque, Proroque, Galenaque, Lamprothoëque
Nudæ humeros, nudis discincta veste papillis:
Callirhoë, Bryoque, Pherusaque, Dinameneque,
Asphaltisque adsueta leves fluitare per undas:
Ipsaque odoratis perfusa liquoribus Anthis:
Anthis, qua non ulla novos miscere colores
Doctior, aut pictis caput exornare coronis.
Mox Hyale, atque Thoë, & vultu nitidissima Crene,
Gongisteque, Rhoëque, & candida Limnoria,
Et Dryope, & virides Botane resoluta capillos.

Ore omnes formoſæ, albis in veſtibus omnes,
Omnes puniceis evinctæ crura cothurnis.
Ipſe antro medius, pronaque adclinis in urna
Fundit aquas. nitet urna novis variata figuris
Cryſtallo ex alba, & puro perlucida vitro,
Egregium decus, & ſuperûm mirabile donum.
Umbroſis hic ſilva comis, denſiſque virebat
Arboribus. cervi paſſim, capreæque fugaces
Æſtivum viridi captabant frigus in umbra.
In medio, auratis effulgens fluctibus amnis
Errabat campo, & curſu læta arva ſecabat.
Hic juvenis fulvis velatus corpora ſetis
Stans celſo in ſcopulo, Regem, Dominumque deorum
Vorticibus rapidis, medioque in fonte lavabat.
At viridi in ripa lecti de more miniſtri
Subcincti exſpectant: proniſque in flumina palmis
Protendunt niveas cæleſtia lintea veſtes.
Ipſe Pater cælo late manifeſta ſereno
Signa dabat, Natoque levem per inane Columbam
Inſignem radiis mittebat, & igne coruſco.
Adtonitæ circum venerantur numina Nymphæ:
Et fluvius refugas ad fontem convocat undas.
Talia cælata genitor dum ſpectat in urna
Fatorum ignarus, oculoſque ad ſingula volvit
Admirans: videt inſolitos erumpere fonteis:
Ingentemque undare domum: cavaque antra repleri
Fluctibus, atque novum latices ſumſiſſe ſaporem.
Dumque hæret, pavitatque ſimul, dum ſublevat undis
Muſcoſum caput, & taurino cornua vultu;
Adſpicit inſuetas late floreſcere ripas,
Claraque per denſas diſcurrere lumina ſilvas
Paſtorum ludo: & lætos ad ſidera cantus,
Divinaſque audit voces, & numina paſſim
Adveniſſe Deum teſtantia. protinus ambas
Ad cælum palmas hilaris cum voce tetendit:

O ma-

O maris, o terræ, divûmque, hominumque repertor,
Quis tua vel magno decreta incognita cælo
Detulit huc audax, mediisque abscondit in undis?
Ipse mihi hæc quondam (memini) dum talia mecum
Sæpe agitat, repetitque volens, narrare solebat
Cæruleus Proteus: mendax si cetera Proteus,
Non tamen hoc vanas effudit carmine voces:
Adveniet tibi, Jordanes, properantibus annis,
Adveniet, mihi crede, inquit (certissima cælum
Signa dedit, nec me delusum oracula fallunt:)
Qui te olim Nili supra septemplicis ortus,
Supra Indum, & Gangen, fontemque binominis Istri
Adtollet fama: qui te Tiberique, Padoque
Præferet, atque tuos astris æquabit honores.
Cujus in adventu tristes discedere morbi
Corporibus passim incipient. Jam victa repente
Cessabit, turpeis squamas maculasque remittet
Dira lues: laceroque elephas effusus in artus,
Ulcera sanguineo sistet manantia tabo.
Quin & letales (dictu mirabile!) febres
Diffugient jussæ, possessaque membra relinquent:
Cedet & infestæ violentior ira Dianæ:
Ira nocens, quæ fulminea velut icta ruina,
Corpora cum gemitu ad terram prosternit, & igni
Interdum, nunc perdere aqua (miserabile visu)
Festinat. Stygio nimirum armata veneno
Exsuperat vis, & spumas agit ore tumenteis.
Nec jam ultra longo vires minuente veterno,
Tabificus per operta impune vagabitur hydrops
Exitio obrepens miserorum: atque omnia late
Viscera per varios perdet tumefacta dolores.
Non alias vinctæ tam crebra silentia linguæ
Abrumpent: noctem aut toties, tenebrasque priores
Excutient oculi, qui numquam sidera, numquam
Ardentem magni viderunt lampada Solis.

Mul-

Multa quidem, majora fide, sed vera, sed ipsos
Quæ teneant spectantum oculos, possum ore referre:
Sed propero: ventura tamen mirabitur ætas.
Cernere erit, claudos passim genua ægra trahentes
Firmato subitos extendere poplite gressus.
Tum nervis labefacta, diuque trementia membra
(Quis credat, nisi certa meus mihi cantet Apollo?)
Restringi; & validas cum robore sumere vires.
Atque alius rapto jussus consurgere lecto,
Haud mora, prosiliet: passuque in templa citato
Contendens, onus ipse humeris portabit: ibi ingens
Clamor, & innumeræ circum donaria voces
Spectantis populi, & rerum novitate paventis.
Parte alia exstinctam penitus, sensuque carentem
Ad sua jam cernes revocari munera dextram.
Nec minus & tacta compesci veste cruorem
Femineum: exsangueisque artus, pallentiaque ora
Ilicet obstructis calefacta rubescere venis.
Ipsas quin etiam Furias sub Tartara pelli,
Immanes Erebi Furias: tum fessa levari
Pectora, vexatosque malis cruciatibus artus:
Hinc vacuas late impleri stridoribus auras
Dirarum frustra clamantum, ac sæva trementum
Verbera, perque cavas conantum evadere nubeis.
Jam deploratis vitam post funera reddi
Corporibus video: jam mœstam incedere pompam:
Feralemque anteire tubam: mox gaudia matrum
Insperata, patrumque hilares verso ordine fletus;
Et circumfusam populis lætantibus urbem.
Huic tu nutanteis quoties adsurgere montes,
Et (mirum!) insuetas curvare cacumina silvas
Adspicies! quoties humenti in gramine ripæ
Aut solantem æstus, aut lenes pectore somnos
Carpentem, tenui adsuescès mulcere susurro!
Macte tuis merito ripis, macte omnibus undis.

Ad

Ad te depoſito properabunt numina faſtu:
Nudabuntque ſacros artus, & carmina dicent
Ad numerum: quum tu felix jam flumine ſancto
Auctorem rerum, divûmque, hominumque Parentem
(Tantus honos, laus tanta tuo, rex maxime, fonti)
Exutum veſte accipies: atque hoſpite tanto
Adtonitus, trepidas hortabere voce Napæas:
Ite citæ, date tura pias adolenda per aras,
Cæruleæ comites: viridique ſedilia muſco
Inſtruite: & vitreis ſuſpendite ſerta columnis.
Purpureas miſcete roſas: miſcete hyacinthos,
Liliaque, & pulchro Regem conſpergite nimbo.
Tunc nomen late clarum Jordanis ad auras
Adtollent montes: Jordanen maxima circum
Æquora, Jordanen ſilvæque, amneſque ſonabunt.
Illa autem humanis quamvis latura ruinis
Auxilium, finemque dies, gratiſſima quamvis
Urbibus adveniat, totumque optanda per orbem:
Fluminibus tamen, & noſtris felicior undis
(Siqua fides, ſiqua eſt veri prudentia Proteo)
Oſtendet roſeos ſtellis ridentibus ortus.
Quandoquidem non divitias, non quæret honores
Ille Patris decus, ac virtus; mortalia poſtquam
Membra ſibi, & fragiles jam ſponte induxerit artus:
Non ſceptrum invadet CYRI: non Caſpia regna
Diripiet: non exuviis Babylona ſuperbam
Eruet: aut alto ſcandet Capitolia curru,
Militibus circum, & læto comitante ſenatu.
Sed maris undiſoni tractus, & litora longe
Curva ſecans, media ſocios ſibi quæret in acta:
Diſperſoſque mari nautas, nudoſque colonos
Undarum, ſinuoſa fretis jactare parantes
Retia, vexatas aut jam reparare ſagenas
Sollicitos, Patris ad ſolium, ac ſua tecta vocabit:
Atque ollis jus omne, poteſtatemque medendi

Ad-

Adjiciet: pellent morbos, denteiſque retundent
Vipereos: Orcique acies, ac monſtra fugabunt.
Quin & cuſtodes foribus radiantis olympi
Præficiet. ſervare aditus, & clauſtra jubebit
Aurea: queis non ulla queat vis ſæva nocere
Eumenidum, durique umbrarum obſiſtere poſtes.
Tum ſedes paſſim emeritis duodena per aſtra
Inſtituet: diſtincta ſuos de more ſequetur
Turba duces. illi leges, & ſancta vocatis
Jura dabunt, plauſu ſociorum, atque agmine læti.
Felices, qui jam cymba, remiſque relictis,
Alta ſerenati conſcendent culmina cæli.
Præterea (ſi certa fides, nec vana futuri
Gaudia) cognatas etiam ſpectabimus undas
Lenæos verti in latices. ea prima deûm Rex
Arcana, hos primos per ſigna oſtendet honores
Accepti late imperii. mirabitur auctus
Lympha ſuos, juſſa inſuetum ſpumare capaces
Per pateras, largeque novum diffundere nectar,
Et menſas hilarare, & felices hymenæos.
Nec ſemel ille altum remis evectus in æquor,
Quum jam fruſtrato ſocios rediiſſe labore
Accipiet, præda ingenti ditabit, & udos
Squamigerûm ſtrata cumulos exponet in alga.
Iratos etiam fluctus, tumidaſque procellas,
Miſcenteſque imo turbatam gurgite arenam,
Jamque ſuperjecto merſuras æquore puppim,
Imperio premet increpitans. cadet arduus undæ
Impetus: atque audiſſe minantis juſſa putares
Euroſque, Zephyroſque, & ovanteis turbine Coros.
Quid loquar, ut gemino numeroſas piſce catervas,
Munere & exiguo Cereris, miſerabile vulgus
Matres, atque viros pariter per gramina paſcet:
Ut jam bis ſenis redeant fragmenta caniſtris?
Aut intempeſta gradiens ut nocte per altum

Li-

Libera ſubſtrato ponet veſtigia ponto:
Vixque undas ſicco tanget pede? ſcilicet olli
Adnabunt blandæ Nereïdes. humida paſſim
Sternent ſe freta: tum fundo Neptunus ab imo
Excitus, agnoſcet Dominum: poſitoque tridente
Cum Phorco, Glaucoque, & ſemifero comitatu
Proſiliet, trepiduſque ſacris dabit oſcula plantis.
Sed quid ego exili vectus ſuper alta phaſelo
Cuncta ſequor memorans? non ſi Parnaſſia Muſæ
Antra mihi, ſacroſque aditus, atque aurea pandant
Limina, ſufficiam. non ſi mihi ferrea centum
Ora ſonent, centumque ærato e gutture linguæ
Vocibus exſpument agitantem pectora Phœbum;
Laudatos valeam venturi Principis actus
Enumerare, novoque amplecti ſingula cantu.
Hæc ſenior quondam felici pectore Proteus
Vaticinans (ut forte meo diverterat antro)
Præmonuit: nunc eventus ſtat ſigna futuri
Exſpectare. Nitor roſeo ſed fulſit ab ortu
Clarior: & radiis dux prævia matutinis
Oceani procul extremo ſe litore tollit
Exoriens Aurora: ſinuſque induta rubenteis,
Ante diem citat auricomos ad frena jugales.
Et jam conſuetis tempus me currere ripis
Undantem, magnoſque lacus, & prata ſecantem
Vorticibus. viden', ut noſtros agit impetus amnes?
Jordanenque vocat tumidarum murmur aquarum?
Sic fatus, confeſtim humeris circumdat amictus
Inſolitos: quos pulchræ udis nevere ſub antris
Naïades, molli ducentes ſtamina muſco;
Sidonioque rudeis ſaturantes murice telas,
Aurea conſperſo variarunt ſidera limbo:
Atque ita ſe tandem currenti reddidit alveo
Spumeus, & motas adſpergine miſcuit undas.
Hactenus, o ſuperi, partus tentaſſe verendos

Sit

Sit ſatis. optatam poſcit me dulcis ad umbram
Pauſilypus, poſcunt Neptunia litora, & udi
Tritones, Nereuſque ſenex, Panopeque, Ephyreque,
Et Melite, quæque in primis mihi grata miniſtrat
Otia, Muſarumque cavas per ſaxa latebras,
Mergillina: novos fundunt ubi citria flores,
Citria Medorum ſacros referentia lucos:
Et mihi non ſolita nectit de fronde coronam.

ACTII SYNCERI SANNAZARII *NEAPOLITANI* DE MORTE CHRISTI DOMINI

AD MORTALES LAMENTATIO.

I QUANDO magnum mirati ſurgere Solem
Oceano, & toto flammas diffundere cælo:
Certatimque ſuo terras ambire meatu
Noctivagam Phœben præcinctam cornibus aureis:
Æternoſque aſtrorum ignes, cælique micantes
Scintillare oculos, aliquem dare jura putaſtis,
Atque polo regnare hominum, rerumque Parentem,
Cui mare, cui tellus, cui pareat arduus æther,
Cuncta ſupercilio qui temperet: hunc ſimul ægri
Mortales (ſi veſtra dolor præcordia tangit)
Adſpicite immiti trajectum pectora ferro,
Pectora, fœdataſque manus, perfuſaque tabo
Ora, cruentatumque caput, crineſque revulſos:
Adſpicite, & plenos lacrimarum fundite rivos.
Heu ſcelus, heu crudele nefas! jacet altus olympi
Rector: & amiſſo torpent elementa magiſtro.
Quin etiam vacuum adſueto ſine pondere cælum
Nutat, & ipſa ſuum quærunt ſolia aurea Regem.
Quem diverſa procul ſævo cum crimine tellus
Ignotum populis caput, & miſerabile corpus

Sufti-

Suſtinet, exſangueſque ſinu complectitur artus,
Et tremefacta, graves teſtatur murmure queſtus.
Teſtatur Sol ipſe ſuum ſub nube dolorem
Jam latitans, atraque notans ferrugine frontem.
Tu quoque deformeſque genas, pallentiaque ora
Contegis, inferiaſque tuo das, Luna, Tonanti,
Auratum flavo tondens de vertice crinem,
Et lacrimas uda fundens in nocte tepenteis.
Nec minus abruptis fama eſt exiſſe ſepulcris,
Perque vias erraſſe novis ſimulacra figuris:
Excitaſque umbras medias ululaſſe per urbes
Sub noctem, & notos queſtu impleviſſe penates.
Quid? non & pelagi rabies adtollere fluctus
Immanes viſa eſt, monteiſque evolvere aquarum,
Dejectura urbes, terraſque hauſtura profundo?
Quum ſimul & caput undiſonis emerſus ab antris
Cæruleus Triton rauco ſuper æquora cornu
Conſtreperet, nautaſque horrenda voce moneret,
Naturæ cecidiſſe Patrem, Regemque, Deumque.
Hæne manus vaſti junxerunt fœdera mundi?
Harum opus eſt, quodcumque jacet, quodcũque movetur?
Quidquid ubique parens rerum Natura gubernat,
Frugiferens tellus, fœtumque animantibus æquor,
Vitaliſque aër, atque ignibus æthra coruſcis?
Et nunc (proh facinus, quantum potuere nocentum
Flagitia!) immiſſis dant pervia vulnera clavis,
Liventeiſque atro fœdant ſqualore lacertos.
Heu caput indignum ſpinis, venerandaque cælo,
Et toties clara ſtellarum implexa corona
Cæſaries: heu pectus hians: convulſaque dira
Barba manu: tunſique artus: & frigida membra.
Voſne, pedes, cælum premere, & vaga ſidera ſueti,
Fulgenteſque domos ſuperûm, ſublimia tecta,
Tam ſævæ immanes perpeſſi cuſpidis ictus,
Et terram, & duras ſparſiſtis ſanguine cautes?

Nec

Nec trepidat mens cæca hominum? quæ tanta tenaci
Durities in corde riget? num nigra videtis
Tartara, tot claris hominum viduata trophæis,
Deſertaſque in nocte domos, & triſtia regna?
Feliceſque animas lætum Pæana canentes
Pone ſequi Regem, & cælo inſediſſe ſereno?
Quid ſi non tantos ſubiiſſet ſponte labores,
Humanamque ſua penſaſſet morte ſalutem
Ille ſator rerum, & ſummi mens certa Parentis,
Qui nutu ingentes mundi moderatur habenas?
Ut tandem intactos picea Phlegethontis ab unda
Poſt obitum æternæ donaret munere lucis,
In partemque ſuorum operum, regnique vocaret:
Tantus amor generis ſervandi, & gloria noſtri.
Quare agite, ex animis, mortales, pellite veſtris,
Siquid adhuc manet antiqua de ſorde relictum:
Mendaceſque deos, & deteſtanda priorum
Sacra profanatis tandem detrudite ab aris.
Imbuat effuſo terram nec ſanguine taurus:
Nec miſer ille ſuæ divulſus ab ubere matris
Ignotos agnus balet ſuper hoſtia cultros.
Vivat ovis: vivat quidquid ſub Sole creatum eſt.
Mentem, animumque Deo, non tura, aut exta parate.
Has illi pecudum fibras, hæc reddite dona.
Cernitis, ut pronum flectat caput? ut pia pandat
Brachia? & ingratas vocet ad ſua vulnera gentes?
Oblitaſque viæ moneat meminiſſe relictæ,
Scilicet amplexus non rejecturus amicos?
At vos obtuſas ignari avertitis aures,
Infelix genus, & ſævæ ludibria mortis:
Nec, quanta a tergo jam inſtent tormenta, videtis.
Tempus erit, quum veſtra illum commiſſa notantem,
Multantemque reos, altaque in nube ſedentem
Adſpicietis: & horrentes tremor opprimet artus.
Nec jam ferre oculos flammarum ardore correſcos,

Aut tumidos acie vultus contendere contra
Audebit quiſquam ſibi conſcius. Ibit in ignes
Turba nocens: ſonteſque exſolvet corpore pœnas:
Pallenteſque æternum amnes, vaſtaſque lacunas
Cocyti colet: & Furias horreſcet hiantes:
Atque animum monitis non intendiſſe pigebit.
Tunc vos exactæ capient mala tædia vitæ
Expertes cæli, atque auræ ſub nocte profunda:
Inque caput trifidos nequicquam optabitis ignes:
Et fruſtra erectas tolletis ad æthera palmas.
Quos ſuperûm cœtus, & fortunata piorum
Agmina vix lacrimis poterunt ſpectare retentis,
Invidiæ ſtimulis, Diriſque ultricibus actos.
Ergo vitales, miſeri, dum carpitis auras,
Dum compos mens ipſa ſui eſt, dum certa facultas,
Dum ratio, tempuſque ſinunt, ſimul ite frequentes:
Ite pii, veniam factis expoſcite veſtris:
Ite animos purgate: Orcique inhibete rapinas:
Et tandem patrio mentem convertite cælo.
Sic Rex ille hominum vacui ſpoliator Averni,
Oblitus ſcelerum, cognatæ ſtirpis amore,
Promiſſique memor, menteis intrabit amicas,
Veſtraque poſthabitis recolet præcordia templis.
Poſtque tot exhauſtos vitæque, obituſque labores,
Illo quo pluvias, quo pellit nubila, vultu
Ablutos labe excipiet, lætuſque reponet
Sidereos inter proceres, ſanctumque ſenatum,
Sub pedibuſque dabit ſtellantia cernere clauſtra.

ACTII SYNCERI

SANNAZARII

NEAPOLITANI

VIRI PATRICII

ECLOGÆ.

ACTII SYNCERI

SANNAZARII

NEAPOLITANI

PISCATORIA.

ECLOGA PRIMA,

PHYLLIS.

LYCIDAS, MYCON.

Lyc. MIrabar, vicina, Mycon, per litora nuper
Dum vagor, exſpectoque leves ad pabula thynnos,
Quid tantum inſuetus ſtrepe-
ret mihi corvus, & udæ
Per ſcopulos paſſim fulicæ, perque antra repoſtæ
Triſtia flebilibus complerent ſaxa querelis:
Quum jam nec curvus reſiliret ab æquore delphin,
Nec ſolitos de more choros induceret undis.
Ecce dies aderat, caram qua Phyllida terræ
Condidimus, tumuloque pias deflevimus umbras
Ah miſeri: & poſthac nec triſtes linquimus auras:

Nec dubitat ſævus ſolatia ferre Pylemon.
Myc. Scilicet id fuerat, tota quod nocte vaganti
Huc illuc, dum Pauſilypi latus omne pererro,
Piſcoſamque lego celeri Neſida phaſelo;
Neſcio quid queruli gemerent lacrimabile mergi.
Phyllis ad inferias, Phyllis, (ſi credimus,) illos
Ad gemitum, o Lycida, tumulique ad ſacra vocabat.
Lyc. Eheu, care Mycon, qualis ſpectacula pompæ,
(Nunc recolo) quas ipſe manus, quæve ora notavi
His oculis! his, inquam, oculis quæ funera vidi
Infelix! nec me tandem dolor improbus egit
In ſcopulos, in ſaxa, rogove abſumſit eodem
Ignea vis, vel ſaltem aliquis deus æquore merſit.
Myc. O Lycida, Lycida; nonne hoc felicius illi
Eveniſſe putas, quam ſi fumoſa Lycotæ
Antra, vel hirſuti tegetem ſubiiſſet Amyntæ?
Et nunc heu viles hamo ſibi quæreret eſcas:
Aut tenui laceras ſarciret vimine naſſas.
Sed tu, ſiquid habes veteres quod lugeat ignes,
Quod manes, cineresque diu teſtetur amatos;
Incipe: quandoquidem molles tibi litus arenas
Sternit: & inſani poſuerunt murmura fluctus.
Lyc. Immo hæc, quæ cineri nuper properata parabam
Carmina, ab extremo quum jam cava litora portu
Proſpicerem, & nivei venerarer ſaxa ſepulcri;
Incipiam. tu coniferas ad buſta cupreſſus
Sparge manu: & viridi tumulum ſuper intege myrto.
Myc. En tibi cærulei muſcum æquoris, en tibi conchas
Purpureas, nec non toto quæſita profundo,
Et vix ex imis evulſa coralia ſaxis
Adferimus. tu ſolennes nunc incipe cantus:
Incipe, dum ad Solem Bajanus retia Milcon
Explicat, & madidos componit in orbe rudentes.
Lyc. Quos mihi nūc, divæ, ſcopulos, quæ pāditis antra,
Nereïdes? quas tu ſecreti litoris herbas,

Glau-

Glauce pater, quæ monſtriferis mihi gramina ſuccis
Oſtendes nunc, Glauce? quibus tellure relicta,
Ah miſer, & liquidi factus novus incola ponti,
Te ſequar in medios mutato corpore fluctus,
Et feriam biſida ſpumantia marmora cauda.
Nam quid ego heu ſolis vitam ſine Phyllide terris
Exoptem miſer? aut quid nam rapta mihi luce
Dulce putem? quidve hic ſperem? quid jam morer ultra
Infelix? an ut hac vili projectus in alga,
Arenteis tantum frutices, deſertaque cernam
Litora, & ingrato jactem mea verba ſepulcro?
Scilicet hos thalamos, hos felices hymenæos
Concelebrem? ſic ſperatæ mihi gaudia tædæ
Dat Venus? ambiguos ſic dat Lucina timores?
Quis mihi, quis te te rapuit, dulciſſima Phylli?
Phylli, meæ quondam requies, ſpeſque unica vitæ,
Nunc dolor, æternuſquæ imo ſub pectore luctus.
Non licuit tecum optatos conjungere ſomnos,
Dilcia nec primæ decerpere dona juventæ,
Aut ſimul extremos vitam producere in annos.
Nunc te (quis credat?) lapis hic habet: & mihi nuſquā es,
Nuſquam terrarum, Phyllis: ſed fabula, & umbræ
Fruſtrantur miſeras per dira inſomnia noctes.
Me miſerum: qua te tandem regione requiram?
Quave ſequar? per te quondam mihi terra placebat,
Et populi, lætæque ſuis cum mœnibus urbes:
Nunc juvat immenſi fines luſtrare profundi,
Perque proceſſoſas errare licentius undas
Tritonum immiſtum turbis, ſcopuloſaque cete
Iuter, & informes horrenti corpore phocas,
Quo numquam terras videam. Jam jam illa tot annis
Cuta mihi tellus, populique, urbeſque, valete:
Litora cara, valete: vale ſimul, optima Phylli,
Nos ibi, nos liquidis ſeptem pro fluctibus aras
Ponemus: ſeptemque tibi de more quotannis

Monſtra maris magni vitulos mactabimus hirtos:
Et tibi ſeptenis pendebunt oſtrea ſertis,
Oſtrea muricibus variata, albiſque lapillis.
Hic tibi Niſæe, & flavos reſoluta capillos
Cymodoce, mitiſque pia cum matre Palæmon,
Et Panope, & Siculi cuſtos Galatea profundi
Solenneis nectent choreas, & carmina dicent:
Quæ Proteus quondam divino pectore vates
Edocuit, magni quum funera fleret Achillis:
Et Thetidis luctus conſolaretur amaros.
At tu, ſive altum felix colis æthera, ſeu jam
Elyſios inter manes, cœtuſque verendos
Lethæos ſequeris per ſtagna liquentia piſces;
Seu legis æternos formoſo pollice flores,
Narciſſumque, crocumque, & vivaceis amaranthos;
Et violis teneras miſces pallentibus algas,
Adſpice nos, mitiſque veni. tu numen aquarum
Semper eris, ſemper lætum piſcantibus omen.
Ut Nymphis, Nereoque, ut flavicomæ Amphitrite,
Sic tibi victrices fundent libamina cymbæ.
Interea tumulo ſupremum hoc accipe carmen,
Carmen, quod, tenui dum nectit arundine linum,
Piſcator legat: & ſcopulo ſuſpiret ab alto:

IN. GREMIO. PHYLLIS. RECVBAT. SIRENIS. AMATAE
CONSVRGIS. GEMINO. FELIX. SEBETHE. SEPVLCRO

Myc. Dulce ſonant, Lycida, tua carmina: nec mihi ma-
Halcyonum lamenta, aut udo in gramine ripæ (lim
Propter aquam dulces cycnorum audire querelas.
Sed tu: ſic faciles vicina Megaria ſemper
Sufficiat conchas: ſic proxima Mergilline
Oſtrea, ſaxoſæquæ ferat tibi rupis echinos:
Quandoquidem nox obſcuras jam diſtulit umbras,
Necdum permenſus cælum Sol: incipe rurſus,
Atque itera mihi carmen: habent iterata leporem.
Lyc. Ne miſerũ ne coge, Mycon. ſat lumina, ſat

Ex-au-

Exhauſtæ maduere genæ. dolor (adſpice) ſiccas
Obduxit fauces: quatit & ſingultibus imum
Pectus: anhelantemque animam vox ægra relinquit.
Et tamen hæc alias tibi nos, & plura canemus,
Fortaſſe & meliora, aderit ſi Muſa canenti.
Quin & veliferis olim hæc ſpectanda carinis,
Seu Prochytæ, ſeu Miſeni ſub rupe patenti
Inſcribam: grandeiſque notas ferrugine ducam:
Præteriens quas nauta mari percurrat ab alto:
Et dicat: Lycidas, Lycidas hæc carmina fecit.
Sed quoniam ſocii paſſim per litus ovantes
Exſpectant, poſcuntque tuas ad retia vires;
Eja age jam ſurgamus. ego hæc ad buſta ſedebo,
Tu ſocios inviſe: eſcas nam quærere tempus:
Et tibi nunc vacuæ fluitant ſine pondere naſſæ.

ECLOGA SECUNDA.

GALATEA.

FORTE Lycon vacuo feſſus conſederat antro
Piſcator, qua ſe ſcopuli de vertice, lato
Oſtentat pelago pulcherrima Mergilline.
Dumque alii notoſque ſinus, piſcoſaque circum
Æquora colluſtrant flammis, aut linea longe
Retia, captivoſque trahunt ad litora piſces;
Ipſe per obſcuram meditatur carmina noctem.
Immitis Galatea: nihil te munera tandem,
Nil noſtræ movere preces? verba irrita ventis
Fudimus: & vanas ſcopulis impegimus undas.
Adſpice, cuncta ſilent, orcas & maxima cete
Somnus habet, tacitæ recubant per litora phocæ:
Non Zephyri ſtrepit aura: ſopor ſuus humida mulcet
Æquora: ſopito connivent ſidera cælo.
Solus ego (hei miſero) dum triſti pectore queſtus
Nocte itero, ſomnum tota de mente fugavi:

Nec

Nec tamen ulla meæ tangit te cura salutis.
At non Praxinoë me quondam, non Polybotæ
Filia despexit, non divitis uxor Amyntæ,
Quamvis culta sinu, quamvis foret alba papillis.
Quin etiam Ænaria, (si quicquam credis,) ab alta
Sæpe vocor, solet ipsa meas laudare Camœnas
In primis formosa Hyale: cui sanguis Iberis
Clarus avis: cui tot terræ, tot litora parent:
Quæque vel in mediis Neptunum torreat undis.
Sed mihi quid prosunt hæc omnia, si tibi tantum
(Quis credat, Galatea?) tibi si denique tantum
Displiceo? si tu nostram, crudelis, avenam
Sola fugis? sola & nostros contemnis amores?
Ostrea Miseni pendentibus eruta saxis
Mille tibi misi: totidem sub gurgite vasto
Pausilypus, totidem vitreis Euplœa sub undis
Servat adhuc: plures Nesis mihi servat echinos,
Quos nec vere novo foliis lentiscus amaris
Inficit, aut vacuæ tenuant dispendia Lunæ.
Præterea mihi sub pelago manus apta legendis
Muricibus: didici Tyrios cognoscere succos,
Quoque modo plena durent conchylia testa.
Quid refugis? tingenda tibi jam lana paratur,
Qua niteas, superesque alias, Galatea, puellas;
Lana maris spumis quæ mollior. hanc mihi pastor
Ipse olim, dedit hanc pastor Melisæus, ab alta
Quum me forte senex audisset rupe canentem:
Et dixit: Puer, ista tuæ sint præmia Musæ,
Quandoquidem nostra ceciniisti primus in acta.
Ex illo in calathis servavi, ut mittere possem.
Sed tu, (nequa mihi superet spes, nequa futuri
Conditio, Galatea,) manum mihi dura negasti.
Hoc est, hoc, miserum quod perdidit. ite, Camœnæ,
Ite procul: sprevit nostras Galatea querelas.
Scilicet, (exiguæ videor quod navita cymbæ,

Quod

Quodque leves hamos, nodoſaque retia tracto,)
Deſpicis. an patrio non hoc quoque litore Glaucus
Fecerat? æquoreæ Glaucus ſcrutator arenæ,
Et nunc ille quidem tumidarum numen aquarum.
Sed nec, (quæ nimium vel me ſic falſa fatigat,)
Fabula te moveat Lydæ. licet illa puellis
Jactet, neſcio quas mihi ſe miſiſſe corollas;
Non me Lyda tamen non impulit, æquora teſtor,
Nereidaſque omneis. ſi fallo, naufragus illas
Experiar, ſalſoſque bibam ſub gurgite fluctus.
Heu quid agam? externas trans pontum quærere terras
Jam pridem eſt animus: quo nūquam navita, numquam
Piſcator veniat. fors illic noſtra licebit
Fata queri. Boreæ extremo damnata ſub axe
Stagna petam, & rigidis numquam non cana pruinis?
An Libyæ rapidas, Auſtrique tepentis arenas,
Et videam nigros populos, Solemque propinquum?
Quid loquor infelix? an non per ſaxa, per ignes,
Quo me cumque pedes ducent, mens ægra ſequetur?
Vitantur venti: pluviæ vitantur, & æſtus:
Non vitatur amor. mecum tumuletur oportet.
Jam ſaxo me me ex illo demittere in undas
Præcipitem jubet ipſe furor. Vos o mihi, Nymphæ,
Vos, maris undiſoni Nymphæ, præſtate cadenti
Non duros obitus, ſævaſque exſtinguite flammas.
Scilicet hæc olim, veniens ſeu litore curvo
Cajetæ, ſeu Cumarum navalibus altis,
Dum loca tranſibit, raucus de puppe magiſter
Hortatus ſocios, Dextrum deflectite dicet,
In latus, o ſocii: dextras deflectite in undas:
Vitemus ſcopulos infames morte Lyconis.
Talia nequicquam ſurdas jactabat ad auras
Infelix piſcator, & irrita vota fovebat:
Quum tandem extremo veniens effulſit ab ortu
Lucifer, & roſeo perfudit lumine pontum.

ECLO-

ECLOGA TERTIA,

MOPSUS.

CELADON, MOPSUS, CHROMIS, IOLAS.

Cel. DIc mihi (nam Baulis, verum si rettulit Ægon,
Bis senos vos, Mopse, dies tenuere procellæ)
Quid tu, quid Chromis interea, quid vester Iolas?
Dum Notus insultat pelago, dum murmurat unda,
Ecquid desertis vacui lusistis in antris?
Mop. Quid nostræ facerent ingrata per otia Musæ,
O Celadon? neque tum conchas impune licebat
Per scopulos, non octipedes tentare paguros.
Jam fragilem in sicco munibant saxa phaselum:
Raraque per longos pendebant retia remos.
Ante pedes cistæque leves, hamique jacebant:
Et calami, nassæque, & viminei labyrinthi.
Tum Chromis Inarimen spectans, His, inquit, ab oris
(Ah dirum exsilium) nostræ solvêre carinæ:
Quum regem post bella suum comitata juventus
Ignotis pelagi vitam committeret undis.
Quæ tamen, ut fama est, Ligurum per saxa, per altas
Stœchadas emicuit: Rhodanique invecta per amnem
(Nam, bene si memini, Rhodanum referebat Amilcon)
Oceani madidas vidit refluentis arenas,
Et quæ cæruleos procul adspicit ora Britannos;
Qua, (nisi vana ferunt,) quoties maris unda recedit,
Indigenæ captant nudos per litora pisces.
Ne, Chromi, ne luctus renova, respondit Iolas:
Sat tuus hæc nobis Lucrini nuper ad undam
Narravit Lycabas: Solem se scilicet illic
Trans fluctus, trans & nubes vidisse cadentem

Haud

Haud aliter, quam si nostris e montibus illum
Cajetæ adspiceret longe post litora ferri,
Nec strepitum sensisse ruentis ab æthere currus.
Præterea mores populorum, urbesque, locosque
Exposuit, quernasque domos, & lignea tecta.
Addidit & varias, (heu barbara nomina,) gentes:
Bellovacos, Morinosque: &, quos quis dicere possit,
Tarbellos? latis errare & flumina campis:
Nescio quem Ligerim tectis se innasse carinis.
Sed mea nunc aliæ poscunt sibi pectora curæ.
Tu modo, si quid habes (& te quoque Chloridis ardor
Excruciat) scopulo hoc mecum meditare vicissim.
Audiet, & gracilem percurret Mopsus avenam.
Sic illi. ast ego nil contra, sed quæ mihi collo
Garrula pendebat, manibus tunc sumta cicuta est.
Scilicet alternos conabar arundine versus
Excipere. alternis nam dicere uterque parabat.
Nec mora, jam Chromis hos, hos & referebat Iolas.

Chr. Nereïdes, pelagi sacrum genus, aut mihi vestris
Munera ferte vadis, duram queis Chlorida placem:
Aut, si muneribus flecti nequit, æquore toto
Quærite, quæ nostrum sanet medicina furorem.

Iol. Sirenes, mea cura, audite hæc ultima vota.
Aut revocet jam Nisa suum, nec spernat Iolam,
Aut videat morientem. hæc saxa impulsa marinis
Fluctibus, hæc misero vilis dabit alga sepulcrum.

Chr. Qualis tranquillo quæ labitur æquore cymba,
Quum Zephyris summæ crispantur leniter undæ,
Tuta volat, luditque hilaris per transtra juventus;
Talis vita mihi, mea dum me Chloris amabat.

Iol. Adspicis, iratæ ferant ut saxa procellæ:
Ut validis imæ Coris turbentur arenæ.
Jam scopulis furit unda, tremit jam terra tumultu.
Fallor, an hæc ipsa est Nisæ indignantis imago?

Chr. O Proteu, pastor liquidi maris, o pater, o rex,

(Quan-

(Quandoquidem insanos odistis numina fastus)
Quære Pithecusas tu, cui licet: atque superbæ
Dic Hyale, salsum te pascere monstra per æquor.
Iol. Ille habet, ille meos scopulus mihi servat amores,
Qui propior terræ est. illum pete, Glauce, natatu:
Neve manus duri contemnat Nisa mariti,
Dic te squamigeras traxisse ad litora prædas.
Chr. Est Veneri Cypros gratissima, Creta Tonanti,
Junonique Samos, Vulcano maxima Lemnos:
Ænariæ portus Hyale dum pulchra tenebit,
Nec Samos Ænariam vincet, nec maxima Lemnos.
Iol. Gradivus Rhodopen, & Mercurius Cyllenen,
Ortygiam Phœbe, Tritonia jactat Hymetton:
Nisa colit Prochyten: Prochytes si commoda norint,
Ortygiam Phœbe, Tritonia linquat Hymetton.
Chr. Hic specus, hic rupes, texendisque optima nassis
Vimina sunt, junci, densæque per avia myrtus:
Si mihi nunc Pholoë, vel tantum Chloris adesset,
Quam bene pugnaces possem contemnere ventos!
Iol. Nulla mihi sine te rident loca, displicet æquor,
Sordet terra, leves odi cum retibus hamos:
At si aderis tu, Nisa, placebunt omnia: lætus
Tunc ego vel Libycis degam piscator arenis.
Chr. Dat rhombos Sinuessa, Dicarchi litora pagros,
Herculeæ mullum rupes, synodontas Amalphis:
Parthenope teneris scatet ambitiosa puellis:
Quis mihi nunc alias scrutari suadeat algas?
Iol. In fluviis mugil versatur, sargus in herbis,
Polypus in scopulis, mediis melanurus in undis:
Ante tuas, mea Nisa, fores ego semper oberro:
Quæ mihi det tales jucundior insula portus?
Mop. Hactenus, o Celadon, resonis sub rupibus illos
Inter se vario memini contendere cantu,
Horrida ventosi ridentes murmura ponti.
Qui tamen & laudes, & munera digna tulere

Car-

Carminibus, ſed quæ nequeat contemnere Triton:
Hic, quam Circejo nudus ſub gurgite cepi,
Nativis concham maculis, & murice pictam:
Ille recurvato nodoſa coralia trunco.

FERDINANDO FEDERICI

REGIS F. ARAGONIO, CALABRIÆ DUCI

ECLOGA QUARTA,

PROTEUS.

NUNC primum notas velis majoribus undas
Currimus, o Nymphæ Crateridès: ordine quando
Suadet amor, caræ primos Telluris honores
Dicere: cæruleæ magni Crateris alumnæ,
Telluris primos caræ dicamus honores,
Dum radiis fervens medium Sol excoquit æquor.
Tu vero, patriæ Juvenis decus, edite cælo,
Spes generis tanti: ſeu te nimboſa Pyrene
Produlci Latio, pro noſtris detinet arvis:
Seu vagus objecto munimine claudit Iberus:
Rumpe moras, nec te latis Hiſpania regnis
Adliciat, ſtirpiſve tuæ primordia, & ille
Gentis honos: licet effuſo Tagus impleat auro,
Et pater Oceanus ſpumanti perluat unda.
Nam mihi nam tempus veniet, quum reddita ſceptra
Parthenopes, fractoſque tua ſub cuſpide reges
Ipſe canam: nunc litoream ne deſpice Muſam;
Quam tibi poſt ſilvas, poſt horrida luſtra Lycæi,
(Siquid id eſt,) ſalſas deduxi primus ad undas,
Auſus inexperta tentare pericula cymba.
Quæ vada non norunt, quis neſcit Protea portus?

Illum

Illum olim veteris pascentem ad saxa Minervæ,
Mulcentemque suas divino carmine phocas,
E puppi sensere Melanthius, & Phrasidamus,
Ut forte a Capreis obscura nocte redibant:
Sensere & vario delphinas ludere cursu,
Tritonumque choris longe freta pulsa sonare.
Ipse autem haudquaquam mortali digna referri
Verba sono vacuas lætus cantabat ad auras:
Terrigenæ ut quondam matris de ventre Typhœus
Exsiliens, infanda deos ad bella vocasset:
Ut fratrum primus, Furiis, & hiantibus hydris
Instructus, densas ductaverit ipse catervas:
Ut nisu ingenti partes de monte revulsas
Ænariam, Prochytenque altis immiserit astris;
Ac totum subito cælum tremefecerit ictu:
Tum pater haud segni molitus fulmina dextra
Immanes acies dejecerit, atque trophæum
Jusserit ardenteis testari sulfure Bajas,
Quod gens victa illis laviſſet vulnera lymphis.
Hinc magni Alcidæ tauros, stratumque profundum
Aggeribus memorat, ductamque per oppida pompam.
His veteres addit Cumas, loca cognita Phœbo,
Vatis & horrendæ lucos, Triviæque recessus,
Cimmeriûmque domos, & opaca in vallibus antra.
Te quoque formosæ captum Nesidos amore,
Pausilype, irato compellat ab æquore questu.
Ah miser, ah male caute, tuæ quid fata puellæ
Adceleras? cupit in medios evadere fluctus
Infelix: cupit insuetum finire dolorem.
At tibi nec curæ est, quod eam Neptunia monstra
Circumstent, mare nec rapido quod sorbeat æstu.
Ah miser, ah male caute, ultra quid brachia tendis?
Siste gradum, riget illa jugis adsuera nivosis
Venatrix: quam mille feræ timuere sequentem
Per saltus. vos hanc, Panope, vos, candida Drymo,

Cy-

Cymothoëque, Rhoëque, Pheruſaque, Dinameneque,
Accipite, & veſtris ſociam luſtrate choreis.
Tum canit antiquas ſedes, opulentaque regna
Auricomæ Sirenis, & altum in monte ſepulcrum,
Sacraque, Chalcidicoſque deos, magniſque per æquor
Auſpiciis vectas hæc ipſa ad litora claſſes.
Tum liquidos fonteis ſubter cava mœnia ducit,
Adtollitque arces, & culmina montibus æquat
Tectorum: vaſtas protendit in æquora moles,
Euploeamque procul trepidis dat cernere nautis,
Atque Pharon. vincit ſcopulos, præruptaque ſaxa
Teleboûm, Sarnique amnes, & pinguia culta.
Tum canit, ut Corydona ſacro Meliſæus in antro
Viderit, & calamos labris admoverit audax,
Formoſum quibus ille olim cantarat Alexin,
Dixerat & Muſam Damonis, & Alpheſiboei.
Queis fretus, dictante dea, tot ſidera nobis
Prodiderit, tantas cæli patefecerit oras.
Quid referam aut Stabias, aut quæ tenuiſſe canoris
Virginibus fama eſt abeuntes ſaxa carinas?
Aut ut terrifici ſonitus, ignemque Veſevi,
Et deſolatas paſſim defleverit urbes?
Poſtremo reges, regumque ex ordine pugnas
Enumerat: bellique artes, & præmia narrat.
Addit triſtia fata: & te, quem luget ademtum
Italia infelix (ſive id gravis ira deorum,
Seu fors dura tulit) trans altas evehit Alpes.
Mox agit Oceani prope litora: denique ſiſtit
Spumantem ad Ligerim, parvaque includit in urna.
Heu ſortem miſerandam, heu pectora cæca futuri.
Hæccine te feſſum tellus extrema manebat
Hoſpitiis, poſt tot terræque mariſque labores?
Pone tamen gemitus: nec te monumenta parentum,
Aut moveant ſperata tuis tibi funera regnis:
Grata quies patriæ: ſed & omnis terra ſepulcrum.

Hæc ille, & quæ vix audita prioribus annis
Heroum longæva queat meminiſſe vetuſtas,
Commemorat. ſocio reſpondent æquora plauſu:
Luna ſuam donec paullatim fundere lucem
Cœpit, & ad vitreas redierunt numina ſedes.

CASSANDRÆ MARCHESIÆ,

MULIERI PRÆSTANTISSIMÆ

ECLOGA QUINTA,

HERPYLIS PHARMACEUTRIA.

DORYLAS, THELGON.

SED jam vulgatos & nos referamus amores:
Quos pariter grata ſcopuli pendentis in umbra
Hinc Dorylas, hinc Teleboi maris adcola Thelgon
Certantes docuere. quibus cava litora, & ipſe
Æquoreus Platamon, ſacrumque Serapidis antrum
Cum fonte, & Nymphis adſultavere marinis.
Tu mihi, ſeu doctas percurris Palladis artes,
Mæoniæque aurum, & ſubtegmina vincis Arachnes;
Seu Dryadum choreis, cœtuque immiſta Dianæ
Haud minor incedis; pictaque adcincta pharetra
Venatu Prochyten, maternaque regna fatigas;
Sive Dicarchæis qua molibus adſilit æquor,
Ludenteis ſpectas Nereïdas: en age noſtros,
(Siquis honos pelagi) Caſſandra, en adſpice luſus.
Non ingrata cano, penituſque injuſſa. neque umquam
Arguerint ventura meis te ſæcula chartis
Præteritam. faveat modo non invitus Apollo,
Et quæ me facili vexere per æquora remo

Pie-

Pierides: queis longa dies, & nomina curæ.
Interea Dorylan juvet hic audire canentem.
Dor. Sebethi ad liquidas descenderat Herpylis undas,
Herpylis Euboïdum non ultima: quam pater Alcon
Erudiit, Musis & Phœbo cognitus Alcon.
Venerat & socii partem subitura laboris
Unanimis soror, & calathum de more ferebat.
Ipsa comas effusa, pedemque exuta sinistrum
Cum philtris longum submurmurat: atque ita fatur:
Pone aram, & vivos hauri de flumine tores,
Canaque vicino decerpe absinthia campo.
Illum illum magicis conabor adurere sacris,
Qui miseram tota spoliatam mente reliquit.
Volvite præcipitem jam nunc, mea licia, rhombum.
Rhombus ad Hæmonias revocetur aheneus arteis:
Sistere qui pluvias, qui pellere nubila cælo,
Qui potis est trepidos undis abducere pisces.
Volvite præcipitem, mea licia, volvite rhombum.
Alga tibi hæc primum tumidi purgamina ponti
Spargitur, & rapidis absumitur arida flammis:
Sic mihi sic, Mæon, uratis ad usque medullas.
Volvite præcipitem jam nunc, mea licia, rhombum.
Ter muscum, Clearista, ter hunc sine forcipe carptum
Ure simul, Cumque his, dic, viscera Mæonis uro.
Volvite præcipitem, mea licia, volvite rhombum.
Spongia nunc lacrimis perfunditur. heus bona magno
Spongia nata mari, lacrimas bibe sedula nostras.
Utque rapis sitiens illas, sic Mæonis omnem
Mæonis ingrati rapias de pectore sensum.
Volvite præcipitem jam nunc, mea licia, rhombum.
Ut pumex pinguescat, ut æquoris unda quiescat,
Quæ ventis agitata huc illuc concita fertur.
Sed quid ego heu tristi pectus concussa dolore
Imprecer, & vanis jactem convicia ventis?
Mæon tot mihi damna, ego Mæoni verba rependam?

Volvite præcipitem, mea licia; volvite rhombum.
Huc huc, qui rigida meditaris vulnera cauda,
Sæve trigon, & tu, proprium cui sistere naveis
Veliferas, echeneïs, adeste: & Mæonis acres
Tu retinere pedes, tu figere corda labora.
Volvite præcipitem jam nunc, mea licia, rhombum.
Tunde jecur, spumamque simul torpedinis atræ.
Hæc ego cras illi letalia pocula mittam:
Ebibat, & subito pallenteis torpeat artus.
Volvite præcipitem, mea licia, volvite rhombum.
Scinde manu leporem: leporis penetrabile virus.
Nascitur Eois hic fluctibus: adtulit Ægle,
Docta Ægle, jussitque inimicum tangere limen.
Curre age, tange simul, simul obline. cras mihi pœnas
Perfidus ille dabit: gemet ipso in limine Mæon.
Sistite præcipitem jam nunc, mea licia, rhombum.
Contere & Halcyonis nidum mihi. pellere ventos
Dicitur, & sævas pelagi mulcere procellas.
Forsitan hic nostros sedabit pectoris æstus.
Sistite præcipitem, jam sistite, licia, rhombum.
Hactenus ille. quid hinc subjunxerit ordine Thelgon,
Accipe. non omnes unus dolor angit amantes.
Thel. Rupe sub hac mecum sedit Galatea. videbam
Et Capreas, & quæ Sirenum nomina servant
Rura procul. veteres alia de parte ruinas
Herculis, ambusta signabat ab arce Vesevus.
Exsere cæruleos, Triton, de gurgite vultus.
Ipse meas, Triton, Nereo deferre querelas,
Ipse potes curva resonans super æquora concha
Et scopulis narrare, & fluctivagis balænis.
Exsere cæruleos, Triton pater, exsere vultus.
Hic primos mihi congressus dedit illa roganti:
Hic niveam formosa manum porrexit, & (eheu
Quid recolo?) tacitos in me defixit ocellos.
Exsere cæruleos, Triton, de gurgite vultus.

Huc

Huc ades, o mea cura. quid o quid lenta moraris?
Ipse ego te propter, socios, cymbamque reliqui.
Exsere cæruleos, Triton pater, exsere vultus.
Hic tibi consuetas formosior explicat umbras
Populus. amplector sæpe hanc, atque oscula figo
Corticibus: sæpe ipsa pedum vestigia quæro:
Et siquid manibus tetigisti, floribus orno.
Exsere cæruleos, Triton, de gurgite vultus.
Quem mihi nunc præfers? si te juga frondea, si te
Arbuta, pascentesque juvant per rura capellæ:
Nos quoque non graciles nunc primum jungere avenas
Discimus. incisas implent mea carmina fagos:
Et mea Mænaliis pendet jam fistula silvis.
Exsere cæruleos, Triton pater, exsere vultus.
Sin magis adridենt hæc litora, sin magis alti
Divitiæ pelagi; sparsos quis cogere pisces
Doctior, aut rigidum dextra jactare tridentem?
Exsere cæruleos, Triton, de gurgite vultus.
Non ego delphinis, te judice, non ego thynnis
Æquore vel medio dubitem certare natando.
Quid tibi me jactem? cui vix numerare vel hamos
Nunc vacat, aut restes, oneratæque retia plumbo,
Et Sinuessano textas de vimine nassas.
Exsere cæruleos, Triton pater, exsere vultus.
Me Ligurum duræ rupes, me Gallica norunt
Litora: piscantem pariter me Varus, & ingens
Sensit Arar, sensere maris fera monstra Britanni.
Obrue cæruleos, Triton, sub gurgite vultus.
Et post hæc heu, dura, fugis. non te mihi tellus
Extera, non venti rapuere, sed accipe munus,
Accipe. non ultra tecum, Galatea, sedentem
Adspicies. I, læta novas meditare choreas.
Obrue cæruleos, Triton pater, obrue vultus.

TRAJANO CABANILIO,

TROJÆ, AC MONTELLÆ

DOMINO,

SALICES.

SI VACAT, & blandos etiam num ventilat ignes
Quæ dea cærulea vehitur super æquora concha,
Turrigeramque Paphon, ditemque Amathunta tuetur;
Accipe flumineas properatum carmen ad undas,
O mihi non dubia Cabanili cognite fama,
Sed longe varios rerum spectare per usus.
Nam tibi me doctæ sic devinxere sorores,
Sic mea felici permulcent pectora cura;
Ut vix ulla queam melioris tempora vitæ
Te sine, vix placidos per noctem ducere somnos.
En agedum, Trajane, tuis hæc prævia jussis
Tractanti, jam jamque animo majora paranti
Da veniam, & tenues ne dedignare Camœnas.
Forte inter virides, si vera est fama, genistas,
Capripedes Satyri, passimque agrestia Panes
Numina cum Faunis, & montivagis Silvanis,
Exercet dum Sol raucas per rura cicadas,
Vitabant æstus, qua pinguia culta vadosus
Irrigat, & placido cursu petit æquora Sarnus.
Grata quies nemorum manantibus undique rivis,
Et Zephyris densas inter crepitantibus alnos.
Dumque leves aptant calamos, dum sibila pressis
Explorant digitis, tenuique foramina cera
Obducunt, vario modulantes carmina cantu;
Auricomæ viridi speculantur ab ilice Nymphæ

Dul-

Dulcit clarisonis solventes ora cachinnis:
Sed prope ferre pedem metuunt. nam sæpe labores
Audierant, Penea, tuos, & qualibus olim
Infelix heu virgo Nonacria fatis,
Infelix virgo (quid enim non illa moveret?)
Pana metu fugiens e vertice Cylleneo,
Panaleum Arcadiæ, quamvis pulcherrima, quamvis
Dianæ sacros inter lectissima cœtus,
Nodoa tenerum mutarit arundine pectus.
Quasimul ac nemorum petulans, effrenaque pubes
Semifiri videre per herbida prata vagantes:
Occulamque imis flammam traxere medullis;
Sic tinidas blandis hortantur vocibus ultro:
Huc huc, o teneræ, placidissima turba, puellæ:
Quid procul adstatis? potius succedite ripæ,
Et virili in prato molles de more choreas
Ducite. quandoquidem calamos inflamus inertes:
Et frusta ad surdas jactamus carmina silvas.
Illæ nil contra: celeri sed nuda parabant
Crura fugæ, tutosque agitabant mente receptus.
Si qua ferte viam per saxa irrumpere, & altis
Evasisse ægis deus, aut sua fata dedissent.
Tum juvenes, Procul o, clamant, procul iste, puellæ,
Sit timor ignavas animo depellite curas:
Nullæ hic insidiæ, nullæ per aperta latebræ:
Cuncta patent: nullas abscondunt hæc loca fraudes.
Nos quoquenon Lernæ monstris, non igne Chimæræ,
Scyllæisve upis geniti, aut latrante Charybdi,
Qui vestra immani laceremus viscera morsu:
Sed divûm gnus, & qui semper rupibus altis
Vobiscum cebris venatibus insultemus.
His dictis prmulsi animi, securaque tristem
Corda metun ejiciunt: gressuque per uda citato
Prata, deis undem cupidis, ripæque propinquant.
Tum manibusimul implicitis per gramina festas

Exercent choreas: alioſque, alioſque reflexus
Inter ſe lætæ repetunt: nunc corpora librant
In ſaltus: nunc molle latus, nunc candida jactant
Brachia: & alterna quatiunt veſtigia planta.
Hic Satyri, quamquam voces audire canentum
Crudeles, quamquam niveas ſpectare papillas
Exſultant, oculiſque bibunt ſitientibus ignem
Tanta tamen ſævi gliſcit vis effera morbi
Pectoribus, præcepſque amor, & maleſana libido;
Ut calamis ſenſim ejectis, ruptoque repente
Fœdere, ſurgentes ab humo, vento ocyus omnes
Exſiliant: ſpretaque deûm pietate, fideque,
Ah pavidas Nymphas, ſubitoque horrore rigentes
Invadant avidi, ſævorum more luporum,
Qui lætas mediis proturbant luſibus agnas,
Oblitaſque ſui paſſim rapiuntque, trahuntque,
Dum viridi in campo curſant, aut valle ſub alta,
Et cuſtos ignarus abeſt, & amica canum vis.
Sic illi. at miſeræ diſciſſo pectore Nymphæ
Frondiferam mœſtis ſilvam clamoribus implent:
Atque huc, atque illuc fugiunt. non ſaxa, nec altis
Tuta putant loca ſenta rubis. hinc ardua montis
Prærupti juga, diffuſos hinc ſtagna per agros
Adtonitæ circumſpiciunt. via nulla ſaluti:
Et jam ſpes prærepta fugæ: tum denique ad undas
Conſiſtunt trepidæ, flavoſque a vertice crines
Cum lacrimis, gemituque, & flebilibus mentis
Abſcindunt, Sarnumque vocant, liquidaſque ſorores:
Dumque vocant, fundo properat chorus omnis ab imo
Naïadum: properat vitreæ rex cærulus undæ
Sarnus, inexhauſtumque vadis ciet agmen quarum
Rauca ſonans. Sed quid Sarnuſve, aut illi natantum
Agmina Naïadum poſſint, ubi ferrea contra
Stant fata, & duro leges adamante rigeſcunt?
Ergo defectæ cura, auxilioque deorum

Ac

Ac cælum pariter Nymphæ, lucemque peroſæ,
Unum illud, rebus tandem quod reſtat in arctis,
Finem optant. jamque in fluvium ſe mergere adortæ,
Membra reclinabant, & aquas prono ore petebant:
Quum ſubito obriguere pedes, lateque per imos
Exſpatiata ungues radix, fugientia tardat,
Adfigitque ſolo veſtigia. tum vagus ipſis
Spiritus emoritur venis: indignaque pallor
Occupat ora: tegit trepidantia pectora cortex.
Nec mora: pro digitis ramos exire videres,
Auratasque comas glauca caneſcere fronde:
Et jam vitalis nuſquam calor: ipſaque cedunt
Viſcera paullatim venienti frigida ligno.
Sed quamvis totos duratæ corporis artus,
Caudicibuſque latus, virgultiſque undique ſeptæ,
Ac penitus Salices; ſenſus tamen unicus illis,
Silvicolas vitare deos; & margine ripæ
Hærentes, medio procumbere fluminis alveo.

FRAGMENTUM
EJUSDEM AUCTORIS.

OPTATOS jam, Euplœa, mihi circumſpice portus,
Quo liceat trepidas piſcanti includere prædas,
Et Zephyris relevare graves ſpirantibus æſtus;
Siqua movet cupidam velocis gratia cymbæ.
Tuque ades, o noſtri merces non parva laboris,
Quem Phœbus mihi, quem doctæ, mea turba, puellæ
Conciliant; dumque ipſe ratem de litore pello,
Da vela inſinuans, pelagoque excurre patenti,
Pars animæ, Puderice, meæ. te nam ſua Nereus
Per vada, te medio Doris vocat æmula fluctu,
Dum late horriſonum campus ſtrepit omnis aquarum.

Lu-

Lucrinæ ad Veneris templum convenerat omnis
Ænariæ, Prochytæque manus: Zephyræus opaca
Scilicet Ænaria, Prochyta venit Euthycus alta,
Insignes ambo calamis, & versibus ambo,
Aptus uterque fretis, piscatibus aptus uterque;
Ille hamos versare, hic retia solvere in æquor.
Tum prior hæc Zephyræus: Adeste o litore ab omni,
Piscatorum artes; liquidas exquirite sedes;
Vertite Tritonum latebras; penetrate recessus
Nereïdum: numquam nostros sedabitis ignes:
Numquam me Pholoë, numquam me Chloris amabit,
Ede tuos mecum tandem, cava buccina, cantus.
Testis Cymothoë, testis mihi candida Clotho,
Optavi quoties mediis in fluctibus ægram
Projicere hanc animam; quoties ego gurgite in alto
Occurri monstris immanibus, horrida cete
Ut saltem miseros lacerarent dentibus artus.
Ede tuos tandem mecum, cava buccina, cantus.
Omnia tentavi, terras, mare, nubila, cælum,
Ventorumque domos, & tempora quattuor anni:
Omnia sed nocuere simul. vos ite, puellæ,
Ite, deæ pelagi, furiis arcessite nostris
Nunc alios succos, aliasque Melampodis herbas.
Ede tuos tandem mecum, cava buccina, cantus.
Non magicos versus, ignotaque nomina rerum,
Dissimilesque deos, Erebumque, Chaosque refugi.
Ipsos quin etiam filo convolvere rhombos
Edidici, partesque meas de litore echinos,
De scopulis muscum, de fluctibus hausimus undam.
Ede tuos tandem mecum, cava buccina, cantus.

ACTII SYNCERI

SANNAZARII

NEAPOLITANI

VIRI PATRICII

ELEGIARUM

LIBRI TRES.

ACTII SYNCERI

SANNAZARII

NEAPOLITANI

ELEGIARUM

LIBER I.

ELEGIA PRIMA,

AD LUCIUM CRASSUM.

TE Foecunda tenent saxosi rura Petrini,
Rura olim proavis facta superba meis:
Et Sinuessanas spectas, mea gaudia, Nymphas,
Quique novo sēper sulfure fumat ager.
Et modo miraris veteres in litore portus;
Nunc Liris gelida qua fluit amnis aqua.
Cunctaque felici figis vestigia cura,
Observas Latiæ dum monumenta viæ.
At mihi paganæ dictant silvestria Musæ
Carmina, quæ tenui gutture cantat Amor.
Fidaque secretis respondet silva querelis:
Et percussa meis vocibus antra sonant.

Nec

Nec tantum populos, nec tantum horreſcimus urbes,
Quantum non juſtæ ſævitiam dominæ.
Hoc vitæ genus, hoc ſtudium mihi fata miniſtrant:
Hinc opto cineres nomen habere meos.
Me probet umbroſis paſtorum turba ſub antris,
Dum rogat agreſtem lacte tepente Palem.
Me rudis indocta moduletur arundine Thyrſis;
Et tam conſtanti laudet amaſſe fide.
Inde ſuper tumulumque meum, maneſque ſepultos
Tityrus ex hedera ſerta virente ferat.
Hic mihi ſaltabit Corydon, & pulcher Alexis:
Damœtas flores ſparget utraque manu:
Fluminibuſque ſacris umbras inducet Iolas,
Dum coget ſaturas Alpheſibœus oves.
Non mihi Mœoniden, Luci, non cura Maronem
Vincere: ſi fiam notus amore, ſat eſt.
Quid feret Æacides nobis, quid cautus Ulyſſes?
Quid pius Æneas, Aſcaniuſve puer?
Iſta canant alii, quorum ſtipata triumphis
Muſa vagum e tumulis nomen in aſtra ferat.
At mihi te te avidis liceat vincire lacertis;
Oſculaque optata ſumere longa mora.
Et liceat poſita mirari membra lucerna;
Noctis & inſolitas nectere blanditias:
Atque manus, atque ora tuis componere in ulnis;
Teque meo laſſam ſæpe fovere ſinu.
Sed quid ego, hei miſero, ventoſus inania fingo
Somnia; quæ forſan non feret ulla dies?
Felix, qui potuit duram exorare puellam;
Et capere optati gaudia conjugii.
Ille dies noctesque ſuos decantat amores;
Et recolit Veneris dulcia furta ſuæ.
Ille etiam liquido perfuſus odore capillos,
Exercet tenerum nocte juvante latus:
Inque ſinu dominæ primos reminiſcitur ignes;
Quos leviter pennis aureus afflat Amor.

Nec

Nec cupit, Æthiopum quæ canent vellera ſilvis;
Nec, quæ Sidonio lana cruore rubet.
Solus habet, fuſcis quidquid portatur ab Indis:
Solus habet ripas, aurifer Herme, tuas;
Et quaſcumque metit ſegetes fragrantibus arvis
Medus, & aſſiduo Sole peruſtus Arabs.
Non auro, aut gemmis miſeri torquemur amantes:
Qui dominam poterit flectere, dives erit.
Dives ero ante alios, ſi te, mea vita, volentem
Suſtineam ignota pauper, & exſul humo.
Nam quid rubra juvant fulgentibus æquora conchis?
Aut quæ multa niger rura Sabæus arat?
Quidve torus prodeſt pluma ſpectandus, & oſtro;
Si non eſt gremio cara puella meo?
Si trahere infelix inter ſuſpiria noctem
Cogor; & æternos eſſe, negare deos?
Num me neglectis devovit ſaga ſepulcris?
Num rumpunt ſomnos carmen, & herba meos?
Carmen inacceſſa traducit ab ilice glandes:
Carmen nocturnæ ſupprimit ora canis.
Carmen & informi pallentem ſanguine Solem
Inficit; & Lunæ ſiſtit euntis equos.
Quid queror infelix? utinam mihi ſola nocerent
Carmina; nec noſtro pectore ineſſet Amor.
Ille vel Æææ ſuperat cantamina Circes:
Ille vel Hæmoniis nata venena jugis.
Parce, puer: non vana queror: tu vulnere noſtro
Creſcis; & exſultas, ſæve, cruore meo.
Quod ſi te noſtræ ceperunt tædia vitæ;
Ne ceſſet, quæſo, funeris atra dies.

Stabunt capripedes abiegno robore Fauni:
Stabit & indocta falce dolata Pales.
Quorum solennes ictus cadet agnus ad aras;
Ictus, ut innumeras expiet agnus oves.
Tum milium, & niveo statuet fumantia lacte
Pocula; votivas concipietque preces:
Et ter transiliet flammantes potus aristas,
Ter quoque non tardo rustica turba pede.
Dii facite, inter oves, interque armenta canendo
Deficiam; & silvis me premat atra dies:
Ut me non docta deploret pastor avena:
Utque sub umbrosa contumuler platano:
Ossaque pascentes venerentur nostra capellæ:
Nec procul a tumulo candida balet ovis.
Exsultent alii Panchæo munere manes;
Et quærant Pariis marmora cæsa jugis.
Mi sat erit, veteres recolat si Phyllis amores;
Conferat & vernas ante sepulcra rosas.

Elegia Tertia,

AD AMICAM.

NULLA meos poterit mulier prævertere sensus;
Ipsa licet cælum linquat, & astra Venus.
Tu puero teneris ignis mihi primus ab annis:
Ultima tu tremulo flamma futura seni.
Jam sanxere semel nos inter fœdera divi,
Fœdera ad extremos non solüenda rogos:
Ut, si nostra tuo supereſſet funere vita;
(Dii tamen in ventos omen abire sinant)
Ipse ego composito venerarer operta sepulcro
Ossa, ferens mœsta tura, merumque manu.
Umbrarumque sacer custos, tumulique sacerdos
Concinerem querula tristia verba lyra.

Nec me complexa quiſquam divelleret urna;
Quin cineri moriens oſcula ſumma darem.
At ſi, quod potius cupio, tibi fata dediſſent,
Lumina formoſa condere noſtra manu:
Tunc, mihi quum caros vultus ſpectare liceret;
Atque anima tecum jam fugiente loqui;
Ipſa meos tumulo manes laniata vocares;
Inque tuo legeres oſſa minuta ſinu:
Flebilis & longos ſcindens ad buſta capillos,
Clamares nomen jam moritura meum.
Tum cineri, & mutæ perſolvens juſta favillæ,
Miſta dares rutilis lilia cana roſis.
Illic mœſta dies, illic conſumere noctes
Optares; nec te vinceret alter amor:
Sed memor uſque viri, canis veneranda capillis,
Adferres tremula munera cara manu.
O mihi, dum tales tumulo reddantur honores,
Tam lentam Lacheſis ſcindat avara colum.
Non, ut noſtra novos Arabum bibat urna liquores;
Uſtus & Aſſyrio ſpiret odore cinis:
Aut ut clara mei noteſcat fama ſepulcri;
Altaque marmoreus ſidera tangat apex:
Sed magis ut liceat longas audire querelas;
Et gerere e lacrimis ſerta rigata tuis.
Tunc ego Lethææ ſpatiatus in aggere ripæ;
Qua nitet obtuſo lumine falſa dies;
Quaque levis caſiæ nemus, ambroſiæque virentis,
Et fortunatos abluit unda greges;
Dulcia præteritæ repetens inſomnia vitæ,
Oſtendam Elyſiis tot mea dona choris.
Feliceſque animas inter felicior ipſe
Excipiam plauſus lata per arva novos.
Atque aliquis comitum, lætuſque, hilariſque recentes
Sparget humi flores, & mihi ſerta feret.
Nec contentus eo, fidos extollet amores;
Narrabitque aliis de pietate tua.

Sed

Sed quoniam teneræ vernant nunc læta juventæ
Tempora; & amplexus jungere fata sinunt;
Dulcia lascivo jungamus gaudia lecto:
Jam properat mortis panda senecta comes.
Jam properant rugæque graves, & serior ætas.
Nec dabitur molli ludere posse toro.
Interea cupidis nectamus colla lacertis:
Ultima jam solvet, quum volet, hora duos.
Dii facite, hæc longos maneat spes certa per annos.
Candidus & pennis omina firmet Amor.

ELEGIA QUARTA,

AD LUCINAM, PARTURIENTE CORNELIA PICCOLOMINEA,

ANTONII GARLONII

ALLIFARUM DOMINI CONJUGE.

AFFER opem teneræ tandem, Lucina, puellæ:
Auxilio, digna est, quam tueare tuo.
Te vocat; & madidis solam suspirat ocellis;
Et roseo tacitas fundit ab ore preces:
Illa quidem insueto languet male firma dolore,
Vixque potest longæ tot mala ferre moræ.
At tu, diva, veni, tecumque unguenta repostæ
Pyxidis, & si qua est, quæ juvet, herba, feras.
Sic flentis miseros juvenis compescere questus,
Sic una poteris forte levare duos.
Lucis adest dea magna: metum jam comprime, Garlon:
Non frustra est lacrimis illa vocata tuis.
Da costum, myrrhamque focis, quæque orbe remoto
Cinnama per rubras navita vectat aquas.

Ipſe deam venerare, ſacras projectus ad aras;
Et Genio annoſum ſæpe refunde merum.
Sed trepidi ceſſere metus, ceſſere querelæ.
Jam parit adventu tacta puella deæ.
Jam puerum eſt enixa. vides, ut lumine matrem
Exprimat? en, tenero quantus in ore decor!
Salve, parve puer, cui jam felicia rident
Sæcula; cui pharetram ſponte remittit Amor.
Nam ſive auratis humeros armare ſagittis,
Seu juvet accenſas ſollicitare faces;
Seu potius jactare leves pueriliter alas,
Et dare neglectas poſt tua terga comas;
Quis te non Paphiis eductum vallibus, aut quis
Idaliæ puerum non putet eſſe deæ?
Vive, precor, blandumque oculis ridere parenti
Adſueſce; & dulces diſce movere jocos.

ELEGIA QUINTA,

AD JULIUM SENENSEM, EXSULEM.

QUUM mihi languentes dolor oppugnaret ocellos;
Cogerer & triſti ſolvere verba ſono;
Ingratos inter gemitus, mœſtaſque querelas
Allata eſt manibus litera miſſa tuis.
Inſpexi, agnovique tuas, mea numina, Muſas,
Pierioſque hauſtus, Caſtaliumque decus.
Poſcis, ut iratum placent mea carmina Phœbum;
Et flectant duras ad tua vota deas.
hoc ingenium, non hæc facundia noſtra eſt:
precor, atque alio flumine pelle ſitim.
ihi faciles jampridem denegat aures;
ntæ tangere fila lyræ.
ices de fonte miniſtrat,
lliopea choros.

Quid

Quid petis exſtinctam dilapſo a torre favillam?
Quid miſer a noſtro vulnere quæris opem?
Jam tibi felici decurrunt carmina vena;
Et rapit ad patrium te tua Muſa decus.
Ipſa mihi viſa eſt, te lamentante, Thalia
Ingemere, & triſti Delius ore queri:
Qualis Strymonias olim quum fleret ad undas
Orpheus indignis vocibus Eurydicen:
Qui cantu Iſmarii gelidis in rupibus Hæmi
Adtonuit quercus, adtonuitque feras:
Saxaque Biſtoniis deduxit montibus; & te
Currentem adſtrictis, Hebre, repreſſit aquis.
Scilicet egregios ſemper Fortuna poetas
Tanget, & ancipiti deprimet uſque rota?
Neve ſit extremos tantum ſubmotus ad axes
Ille, Tomitana qui jacet exſul humo;
Te quoque nunc rigidi premit inclementia fati;
Longius & patria cogit abeſſe domo.
Sed niſi per magnos quæratur fama labores;
Omnis in ardentes eſt abitura rogos.
Sic pius Æneas, ſic ſtirps Laërtis Ulyſſes
Majus poſt cineres emeruere decus.
Sic quoque ſublatis Tirynthius undique monſtris
Viſit ab OEtæa regna paterna pyra.
Et te, crede mihi, tot ſæva incommoda paſſum
Virtus ſublimi ducet in aſtra via.

Elegia Sexta,

IN FUNERE SARRI BRANCATII

LUCRETIA UXOR.

Ergo importunæ ruperunt ſtamina Parcæ,
Stamina lanifica tam bene ducta colo?
Ergo ego, quæ fueram tali modo nupta marito,
Frigida nunc triſti conqueror in thalamo?

Quique his dignus erat vitam exhalaſſe labellis,
Occidit externis advena litoribus?
Felices nimium, fortunatæque ſorores,
Quæ datis æternis tura Sabæa focis.
O utinam numquam amplexus, nūquam oſcula noſſem:
Eſſem pars veſtri nempe ego parva chori.
Care vir, audaci nimium confiſe juventæ,
Et nimium lacrimis umbra gemenda meis:
Quis te tam denſos immittere corpus in hoſtes
Juſſit? an ad pugnam non ſatis unus erat?
Me miſeram, non ulla tuæ te cura puellæ,
Non ſubiit mœſtæ certa ruina domus.
Tu mihi per ſanctos ſolitus jurare hymenæos,
Per non lædendi fœdera conjugii;
Te non immemorem caræ fore conjugis umquam;
Etſi Lethæus tingeret ora liquor.
Quin ipſa admonui, ne ſic violentus in arma
Irrueres: eheu quo, violente, ruis?
Quo raperis? quo jam noſtri tibi cura receſſit?
An potes uxoris non meminiſſe tuæ?
Vix equidem credo; quamvis heu credere cogar;
Tam cito pectoribus me cecidiſſe tuis.
Sed cecidi; ſic ſors tulit impia; nullaque pro me
Vota ſalutares demeruere deos.
Hectora ſic conjux, ſic conjux flevit Achillem;
Sic miſera exſtinctum Laodamia virum.
Nunc mea virginitas, quando inlibata remanſit,
Servetur cineri non violanda tuo.

Elegia Septima,

AD DIVUM JACOBUM PICENUM.

Sancte ſenex, quem nec ſceleris contagia noſtri,
Nec peſſum vitiis ſæcla dedere ſuis;
Æquaſti magnos qui paupertate triumphos,
Tantus amor niveæ ſimplicitatis erat.

Sil-

Silva tibi ſedes, viridique e ceſpite lectus:
Explebant menſas amnis, & herba tuas.
Talis erat priſcis victus mortalibus olim.
Sed priſcis tantum vivere cura fuit.
At te diverſos naturæ expendere caſus
Juvit, & inſtantes divûm aperire metus:
Submotumque oculis animo percurrere cælum:
Quaſque tenes ſedes, mente adiiſſe prius.
Noſcere præterea cunctarum exordia rerum:
Quod vix humanæ conditionis erat.
Magnum opus! ut prima ſurgentis origine mundi,
Omnia ſint ſenis edita luciferis:
Utque Pater ſancta demum ceſſare quiete
Perfecto artifices juſſerit orbe manus.
His addis cultuſque pios, rituſque verendos,
Cunctaque legifero tradita ſacra duci:
Quæque ſuis caſtæ ſæclis cecinere Sibyllæ:
Quæque ſacer vatum ſpiritus ore refert:
Sidereos partus, demiſſaque pignora cælo,
Atque inopes cunas, ſtramineumque torum:
Speratumque diu tetris, cæloque probatum
Verum hominem, verum mente, animoque Deum.
Hinc & ſupplicium infandum, atque obprobria mortis,
Claraque de Stygia ducta trophæa domo:
Denique, ut ad Patrem, populo ſpectante ſuorum,
Ceſſerit; igniferis præſideatque locis:
Quantaque nos maneant promiſſæ gaudia vitæ:
Quantaque venturæ gloria lucis erit.
Miremur, tibi ſi placidi penetrale tonantis,
Et patet immenſi regia clara poli;
Quum tantũ his ſuperas meritis ſit ſcandere in arces,
Qua plaga ſecurum lactea monſtrat iter?
Scilicet inde datur terras ſpectare jacentes,
Et circumfuſi brachia curva maris;
Solis & ardentes radios, Lunæque recurſus:
Qualiter & pacta ſtent elementa fide:

Nec minus æternis niteant ut ſidera flammis:
Et peragant varias noxque, dieſque vices.
Felix, qui noſtras potuiſti linquere curas;
Et procul humanas deſpicere illecebras.
Felices, qui te colles videre loquentem;
Quæque tibi gratos præbuit herba toros:
Quæque arbor, rupeſve ſacra te fovit in umbra:
Et quæ nunc manes continet urna tuos.
Nam licet ineultis fuerit, tibi vita ſub antris;
Nunc pedibus data ſunt aſtra terenda tuis.
Attamen o dic, ſancte pater, dic, addite cælo
Gloria, dic, patriæ fama, decuſque tuæ:
Ecquid te ſolitis mulcet ſapientia chartis,
Mollis ubi Elyſium concitat aura nemus?
An juvat aurata meditantem carmina canna,
Nectere purpurea tempora cana roſa?
An mage virgineis ſedet invigilare choreis:
Quum deceat cælo, quidquid in orbe libet?
An potius toto ſuperûm ſpectante ſenatu,
Diluis æthereo crimina noſtra foro?
Denique quidquid agis, nitidi novus incola cæli,
Pectoribus noſtris non leve numen eris.

ELEGIA OCTAVA,

AD PETRUM DE ROCCAFORTI,

MAXIMUM REGIS GALLIARUM CANCELLARIUM.

QUOD pectus tibi forte, quod ardua pectoris arx eſt;
Quod forti dignum pectore nomen habes:
Quod leges ſua jura tenent te vindice; quodque
Omnia virtuti pervia facta tuæ;
Autumni ſedem, chelaſque Aſtræa reliqui;
Advenique tuos, noſter alumne, lares.
In cunis ego te, ſi neſcis, ſedula fovi.
Reptaſti gremio ſarcina grata meo.

Ipſa

Ipſa tuos finxi mores, animumque, manuſque:
Ingeniumque ſagax, judiciumque dedi.
Hinc noſtri cultuſque frequens, optandaque rerum
Cognitio, hinc fidei nomina tanta tuæ.
Ad te igitur duplices ſubnixo poplite palmas
Inſuetis tendo ſollicitata malis:
Ne patiare, meas Latio langueſcere vires.
Pendet ab auxilio ſpes mea tota tuo.
Deprimor audaces inter deriſa miniſtros:
Nec fas ingenuum tollere ad aſtra caput.
Quodque diu partum eſt virtute, & fortibus armis
Imperium, fœdæ ſervit avaritiæ.
Nec mirum, veſtro tantum quum diſtet ab orbe,
Terraque cenſura ſit procul illa tua.
Quis credat? tectis cives pelluntur avitis;
Adrogat injuſtas dum ſibi fiſcus opes;
Fiſcus opes miſerorum. hoc eſt, heu, parcere victis?
Hoc eſt Auſonio reddere jura ſolo?
Cogitur infelix alienas ire per oras
Nobilitas, patriis exſpoliata bonis:
Culpaturque fides domino ſervata priori,
Et maris, & terræ non labefacta minis.
Scilicet eſt crimen duram contemnere mortem:
Scilicet eſt reges crimen amare ſuos.
O bene fortunæ memores, quicumque ſuperbas
Gentibus a victis abſtinuere manus.
Nam quamvis ſævos illectet præda tyrannos;
Magnanimos reges gloria ſola juvat.
Delentur nullos hominum benefacta per annos;
Quaque licet faciunt nos ratione deos.
At ſi quis feræ ſpernit præconia famæ,
Quercubus alpinis adnumerare potes.
Ergo tu, regem cui fas lenire potentem,
Da deſideriis vela ſecunda meis.
Effice, Juſtitiæ ſoliti reddantur honores:
Dignus es, altricem qui tueare tuam:

Sed

Sed ſoror ut noſtros æquet Clementia faſces:
Qua ſine, dura nimis, difficiliſque vocer.
O decus, o lapſi ſpes conſtantiſſima ſæcli;
O vir fortuna fortior ipſe tua.
Sic tibi contingat Solyma de gente triumphum,
Captaque per noſtros ſigna videre duces.
Sic Rhodanum Nilo ſpectes dare jura ſubacto:
Perque Araris ripas plurima laurus eat.
Hoc ego te, mecum hoc Phœbus, doctæque ſorores,
Hoc pietas, hoc jus, nobilitaſque rogant.

ELEGIA NONA,

DE STUDIIS SUIS, ET LIBRIS

JOVIANI PONTANI.

QUI primus patrios potuit liquiſſe penates,
Et maris, & longæ tædia ferre viæ;
Quem non mœſta domus, quem non revocare parentes,
Non potuit fuſis blanda puella comis;
Impius, & ſcopulis, & duro robore natus,
Atque inter tigres editus ille fuit.
Non mihi circumſtat ſolidum præcordia ferrum:
Nec riget in noſtro pectore dura ilex:
Ut poſſim dulceſque lares, limenque puellæ
Linquere; & ignoto quærere in orbe domum.
Sed Phœbi ſacros cogor luſtrare receſſus,
Vocalemque undam, Theſpiadumque choros:
Ut fugiam nigras ſupremo in funere flammas;
Et volitem populi docta per ora mei:
Meque inter claros adtollat fama poëtas;
Nec rapiat nomen nigra favilla meum:
Et noſtro celebrata ſuperbiat umbra ſepulcro;
Spernat & e Pariis marmora cæſa jugis:
Non tamen ut magni tumulum tentare Maronis
Audeat; aut tantum ſperet habere decus.

Sed

Sed quis tam niveis vellat mea colla lacertis?
Quis vetet optato membra fovere sinu?
An tanti fuerit sacro Parnassus hiatu,
Perque suas passim templa habitata deas;
Ut tibi sit nitidos lacrimis corrumpere ocellos,
Discessumque fleas, cara puella, meum?
Ah pereat, quicumque leves sectatur honores;
Et sequitur famæ nomina vana suæ.
Tecum ego nocturnis dubitem cessare choreis?
Tecum ego conspersa gaudia inire rosa?
Deductumque levi crinem perfundere amomo?
Et noctem insolitis ducere blanditiis?
Scilicet & Turcas Pontanus in æquora classes,
Alfonsi & fortes ducat in arma manus.
Qui nunc nascentis canit incunabula mundi,
Aureaque ætherea sidera fixa domo:
Utque imbres, lapidesque pluant, ut nubibus ignes
Exsiliant, salsas ut mare volvat aquas:
Hesperidumque hortos, excussaque poma draconi,
Rusticaque ad primos munera missa toros;
Delicias, Lepidina, tuas, resonansque vicissim
Pastorum argutis carmen arundinibus:
Qualiter & fulvis radiet Sertorius armis;
Et Pompejanus prœlia tentet eques:
Audeat arguto neu quis contendere versu,
Ille vel æterno digna Marone sonat.
Te pater irriguis audit Sebethus in antris,
Jurgia ad ingratas dum jacis ipse fores.
Inde vocas sacrum festas Hymenæon ad aras,
Optati referens fœdera conjugii:
Utque tuis primum surgens complexibus uxor,
Visa sit erepta virginitate queri.
Felix, qui fidos expertus conjugis ignes,
Vidisti sobolis pignora certa tuæ:
Næniolasque rudes ecinisti, & blanda parentis
Oscula, & ad cunas murmura nata suas.

Fe-

Felix, excultum torſit quæ Fannia vatem;
Quæque illi regnum Cinnama ſubripuit.
Quamvis diffidii leges patiantur amaras,
Spectabunt cineres nomen habere ſuos.
Eridani poſt hæc ſed te quis credat ad amnem
Populea canas fronde ligaſſe comas?
Et Stellam ecciniſſe, atque impendiſſe querelas;
Spectandos quum jam vix daret illa pedes:
Bajanoſque ſinus, myrtetaque cognita Nymphis,
Clauſaque ſulfureis antra recurva jugis:
Tum ſuperûm laudem, mutiſque inciſa ſepulcris
Nomina, collapſos & reparare rogos:
Denique Pindaricoſque modos, reſonantia plectra,
Et Methymnææ fila novaſſe lyræ:
Quum tamen interea motus, atque agmina regum,
Bellaque Campanæ diſcutis hiſtoriæ.
Quin & jucundo diſtringis ſæcula morſu,
Dum vafer in Stygio diſputat amne Charon.
Varroniſque tui, Nigidîque exempla ſecutus,
Grammaticæ haud ſpretas incipis ire vias.
Carminis hinc numeros noſtris depromis ab auſis,
Dignatus pueri verba referre ſenex.
Quid loquar, ut ſaeros Mariani exhauriat amnes
Ægidius, verum dum canit ore Deum?
Aut apta ingratos taxet ſub imagine mores
Qui ſuper infuſas ſpernit Aſellus aquas?
Te juveneſque, ſeneſque colunt præcepta ferentem,
Parthenope ſpreto quæ Cicerone legit:
Ex adytis quidquid divûm ſapientia pandit;
Et, Stagira, tui dogmata firma ſenis:
Quid deceat fortemque virum; quæ principis artes;
Largificas præſtet quæ dare dona manus:
Parendi leges quæ ſint, legeſque loquendi:
Edat ut argutos lingua diſerta ſales:
Quid fortuna homini, quid det prudentia: quantum
Immanes animos incitus ardor agat:

Ma-

Magnanimique viri quæ ſint ad ſingula partes,
Sive colat pacem, ſeu fera bella gerat.
Nec fugis aſtrorum cauſſas aperire latentes,
Et Ptolemææi fata repoſta poli.
Salve, ſancte ſenex, vatum quem rite parentem
Præfecit terris Delius Auſoniis.
Non te Lethææ carpent oblivia ripæ;
Nec totum in cineres vertet avara dies.
Nec tibi plebejo ponetur in aggere buſtum.
Niliacas dabitur vincere Pyramidas.
Quid tibi victrices exſpectas, Umbria, palmas?
Mœnibus has patriæ rettulit ille meæ,
Ille ſuis longum ſtudiis, & laude fruatur:
Me juvet in dominæ conſenuiſſe ſinu.

ELEGIA DECIMA,

AD JOANNEM SANGRIUM,

PATRICIUM NEAPOLITANUM,

DE SUO IMMATURO OBITU.

SI me ſævus Amor patriis pateretur in oris
Vivere, vel ſaltem matre vidente mori;
Ut, quæ vix uno nunc ſunt ingeſta libello,
Eſſent illa ſuis continuata locis:
Forſitan immites potuiſſem temnere Parcas,
Ductaque de pulla triſtia penſa colo:
Nec me plebejo ferret Libitina ſepulcro;
Aut raperet nomen nigra favilla meum.
Nunc cogor dulceſque lacus, & amœna vireta,
Pieridumque ſacros deſtituiſſe choros:
Nec pote, quæ primis effudit Muſa ſub annis,
Emendaturo ſubdere judicio.
Sic heu, ſic teneræ ſulcis refecantur ariſtæ:
Implumes nido ſic rapiuntur aves.

Proh

Proh ſuperi, tenues ibit Syncerus in auras?
Nec poterit nigri vincere fata rogi?
At tu, quandoquidem Nemeſis jubet, optime Sangri;
Nec fas eſt homini vincere poſſe deam:
Accipe concuſſæ tabulas, atque arma carinæ;
Naufragiique mei collige relliquias:
Errantesque cie quocumque in litore manes;
Taliaque in tumulo carmina cæde meo:
ACTIVS. HIC. IACEO. SPES. MECVM. EXSTINCTA. QVIESCIT
SOLVS. DE. NOSTRO. FVNERE. RESTAT. AMOR.

Elegia Undecima,

IN MALEDICOS DETRACTORES.

QUID ruis in ſacros, temeraria turba, poëtas?
Sævaque mordaci prœlia dente moves?
Deſine ſacrilega convicia fundere lingua;
Deſine; pro populo ſtat deus ipſe ſuo.
Quis novus in furias armat dolor? ite, profani,
Ite, nec immeritas conſcelerate deas.
An monet hoc Stygiis immerſus Scuccha lacunis;
Dum flens Eumenidum verbera torta timet?
Illum olim tinctæ juverunt felle ſagittæ:
Nunc miſerum facti pœnitet uſque ſui.
Parcite tam cari manes violare parentis,
Per ſtupra, & talos, per cyathoſque rogo.
Ars ſua quemque juvet: non vos Helicona ſubire,
Non fas virginei polluere amnis aquam.
Scilicet hanc ſumto Joviani Muſa cothurno
Hauriat; & magno digna Marone ſonet.
Cui comes intactæ luſtrans ſacraria ſilvæ
Altilius, docto pectore carmen hiet.
Nec minus & Muſæ repetens monimenta jocoſæ
Compater, argutos ingerat ore ſales.

Ely-

Elyſiuſque hedera comtus florente capillos,
Rara, ſed Aoniis concinat apta choris.
Extendatque armis titulos Aquivivus avitos;
Et doceat noſtras cernere caſtra deas.
Ipſe ſuæ referat Cabanilius ardua Trojæ
Mœnia, & antiquos, Appula regna, lares.
Quique velut tenera ſurgit novus arbore ramus
Corvinus, quavis aure probanda canat.
Et qui Pieriis reſonat non ultimus antris
Albinus, referat principis acta ſui.
Tu quoque, quid ceſſas doctis deflere querelis
Excidium patriæ, culte Marulle, tuæ?
Quique tot egregias animas, tot clara virorum
Ingenia enixu format, alitque ſuo;
Nectat honorata Majus ſua dicta corona;
Tamque pias ferulas regia ſceptra vocet.
Quin & rite ſuos Genio Chariteus honores
Præbeat, & feſtas concinat ante dapes.
Ælius at blandæ fretus dulcedine linguæ,
Facunda totos conterat arte dies.
Nec te jam pudeat venturo oſtendere ſæclo
Eloquii vires, Scala diſerte, tui.
Certent Socraticis Zenonis ſcripta libellis;
Cujus apis vernos intulit ore favos.
At tu Caſtaliis non inficiande choreis,
Caſtalidos, Carbo, nunc cane regna tuæ.
Te quoque, quem gemina mulcet ſapientia lingua,
Parde, juvet ſtudiis invigilare tuis.
Atque alii, quorum doctas it fama per aures,
Extremo properent vincere fata die.
Nos quoque, ſi magnus non averſatur Apollo,
Cantemus Nymphas, capripedeſque deos.
Nam bene Theſpiacas, livor licet audiat, undas
Novimus; & dextro preſſimus antra pede.
At vos incautis ſociis aconita parate;
Et furtis miſeras exſtimulate domos:

Oedi-

Oedipodiſque modo, thalamos fœdate paternos;
Si modo dat certum vulgus habere patrem:
Nocturniſque dolis agitate, & cædibus urbem;
Perque fora infeſtam reddite, perque vias.
Hæc ſtudia, has artes primis didiciſtis ab annis,
Non Aganippeæ tangere fila lyræ.
Nam neque Calliope vobis, nec dexter Apollo
Permeſſi ſanctos exhibuere lacus:
Dira ſed Alecto gemina comitata ſorore
Pocula cœnoſo de Phlegethonte tulit.
Nimirum hinc nigro mores, & carmina tabo
Pallent; & fœdo livor in ore ſedet.
Fallor, an hos nobis miſit gravis Ætna Cyclopas:
Mitis, & hanc ſentis tu quoque, terra, luem?
Heu, mea Parthenope, quæ te contagia lædunt?
Talia tu numquam gignere monſtra ſoles.
Dii patrii, quorum monitis huc advena claſſis
Appulit, Euboïcas conſtituitque domos:
Litoribus talem noſtris avertite peſtem;
Mœnia felici ſi poſuiſtis ave.
Voſque, umbræ inſontes, quas jam letale venenum
Ante diem Stygias ire coëgit aquas;
Ultrices huc ferte faces; fumoque ſequaci
Auctores veſtræ ſollicitate necis.
Et vos, o vatum certiſſima numina, Muſæ,
Numina carminibus non violanda meis,
Parcite, ſi veſtras nunc primum læſimus aures:
Juſta laceſſita ſumſimus arma manu.

ACTII SYNCERI SANNAZARII *NEAPOLITANI* ELEGIARUM

LIBER II.

Elegia Prima, AD ALFONSUM, FERDINANDI FIL. ARAGONIUM, SICILIÆ REGEM.

ALfonse, invicto laus acceſſure parenti,
Heſperios inter non leve nomen avos:
Quid me laudatos Parnaſſi mittis ad amnes?
Obruitur largo flumine noſtra ſitis.
Gloria Virgilio eſt, currus, atque arma referre: 5
Naſonis medio fata in amore mori.
Battiaden docti ſectatur Muſa Propertî:
Flaccus Pindaricos dividit aure modos.
Paſſeris exſequias fracto canit ore Catullus.
Tu Nemeſim laudas, culte Tibulle, tuam. 10

Omnia non uno defudant effeda campo:
Noſter in exiguo tramite currit equus.
Si me Caſtalia docuiſſet Phœbus in umbra;
Oraque Gorgonea noſtra rigaſſet aqua;
Meque vel Æſchyleo donaſſet Muſa cothurno;
Et foret in noſtro grandior ore ſonus:
Non ego Phaſiacæ canerem certamina pubis,
Æquora non prima ſollicitata rate;
Non conjuratos ſubvertere Pergama reges,
Non Trojæ profugos poſt duo luſtra deos;
Thebanaſve acies, fratrumque immitia bella,
Sævaque diſcordi funera rapta pyra:
Teque, tuoſque meo celebrarem carmine: nec me
Pignore tam grato dulce gravaret onus.
Nàm canerem victoſque duces, Hiſpanaque regna,
Horridaque a proavis bella peracta tuis;
Demiſſumque genus antiqua ab origine regum;
Quantaque magnanimi geſta feruntur avi,
Dum Libyæ tractus, veteres Carthaginis arces,
Lotophagûm dites & populatur agros;
Reginæ accitu mox Itala regna ſecutus,
Chalcidicaſque arces, Parthenopenque ſubit.
Sed quoniam inſtabiles animos muliebria verſant
Pectora; ſuſpectos deſerit ille lares;
Ac patriæ petit arva ſuæ, nec longa moratus
Ultores rurſum ducit in arma deos;
Obſeſſamque intrat Nymphis comitantibus urbem,
Qua per operta vagus labitur antra liquor.
Aurea quin illo dicunt ſub rege fuiſſe
Sæcula. felices, qui meruere frui!
Quid patris invictas acies, quid concita dicam
Claſſica per campos, Daunia terra, tuos:
Disjectoſque duces, populataque caſtra, neque ullis
Clara magis regum prœlia temporibus?
O mihi ſupremos ſi Parca indulſerit annos;
Quanta canam! quantus vox mea plauſus erit!

Tunc

Tunc ego Mæonios ausim perrumpere fontes,
Sævaque terribili bella tonare tuba.
Utque alios fileam; tua fortia facta referrem;
Proveherentque animos tot monumenta meos:
Ut puer extremas regni percurreris oras,
Lustratis referens præmia litoribus:
Et male pacatos sedaveris ante tumultus,
Quam patriis hostes finibus expuleris.
Primus honos, forti defensos milite Locros
Servasse, & muros, urbs Melibœa, tuos.
Nec non Marte pari summas Caulonis in arces
Venisse, inque suo templa sacrata jugo;
Templa deæ, vastis late quæ præsidet undis,
Una Jovis conjux fida, sororque Jovis.
Testis Chratis erit, testes Sybaritides undæ,
Oraque quæ fluctus prospicit Ionios.
Adde, quod Etruscos oppleveris agmine campos;
Et tibi captivis fluxerit Arnus aquis:
Totque pharetratas, Turcarum corpora, turmas
Ausoniis dederis manibus inferias.
Gratia diis Italis; prærupta Ceraunia, & arces
Buthroti, nostras pertimuere minas:
Captivumque ducem, fractosque adspeximus arcus,
Detulit huc domita quos tua classis aqua.
Hinc Ligurum furias, compressaque jurgia ferro,
Gallicaque in partes oppida versa duas.
Ipse ego quæ vidi, referam: scit Tuscula tellus,
Quæque cadit summo lympha Aniena jugo.
Nam duce te, Latios ferro dum subruis agros,
Tempora militiæ prima fuere meæ.
Bis Nomentanas, bis magni Tiburis arces
Vidimus ad nostros projicere arma pedes:
Quum jam sit media trepidatum pæne Subura;
Et Capitolino vota parata Jovi.
Nec semel, ut fatear, Collinæ ad limina portæ
Fregimus, armatos reppulimusque duces.

Parce tamen, veneranda parens, si justa secutus
Signa sub Alfonso: rex erat ille meus:
Lanuvium infelix, fatis contraria nostris
Terra; potes certas tu variasse vices.
Nam quod ad hostiles flexit Victoria partes;
Fortunæ magis hoc, quam fuit artis opus.
Ille sed Eridani ripas non fractus in altas
Contendens, caræ regna fororis adit:
Metatusque locum castris, Insubria passim
Fudit, & Euganeis agmina missa jugis.
Dicite Io, populi: turmas spectastis ovantes;
Et per victrices fœdera juncta manus.
Ipse quoque haud fileat quos cedere Farfarus hostes
Risit, & exutum vertere terga ducem.
Heus ubi nunc, Roberte, tuæ voceque, minæque,
Campani peteres quum tibi jura soli?
Jam nostros reges, jam sternere cuncta parabas:
Nunc fuga degeneres arguit ecce metus.
Hortarisque tuos dimittere signa maniplos,
Heu pudor! & longæ præmia militiæ.
Hos tamen ille pius, quamvis diversa secutos,
Alfonsus miti fovit, & auxit ope.
Macte animo custos hominum, macte optime regū,
Ausoniæ tu Sol, tu pater unus ades.
Quid memorem pacisque artes, bellique labores,
Perpetuumque animi tempus in omne decus?
Sed me formosæ deterrent jussa puellæ,
Ne possim tantis invigilare choris:
Et vetat asper Amor dulces contemnere curas:
Cogit & invisо subdere colla jugo.
Nec prosunt lacrimæ, nec verba precantia mortem;
Ille suas in me concutit usque faces.
Quare si nostri veniet tibi nuntia leti
Fama; triumphales jam prope siste rotas:
Atque hæc ad cineres mœrens effare sepultos:
Sævitia dominæ rapte poëta, jaces.

ELE-

ELEGIA SECUNDA,

IN FESTO DIE DIVI NAZARII MARTYRIS,

QUI POETÆ NATALIS EST.

ECCE mihi totum lux exſpectata per annum
Jam redit; Aoniæ, ſerta novate, deæ.
Hæc me vitales genitum produxit in auras;
Juſſit & erectum tollere ad aſtra caput.
Nunc mihi purpureis aram cumulate hyacinthis:
Cingite & intexta limina noſtra roſa.
Sic etenim coluiſſe decet Geniumque, Lareſque:
Ferte coronato tura, merumque foco.
Tuque, apio innexos dudum acceptura poëtas,
Splendida, ſolennes inſtrue, menſa, dapes.
Hic mihi puniceo Pontani Muſa cothurno
Incipiet poſito carmen hiare mero:
Naturæque vias, tenerique exordia mundi
Proferet; & certa cuncta obitura die.
Craſſus at æterno frondis redimitus honore,
Solvat Pieriis ora rigata modis:
Et mihi Linternumque vetus, placidumque Petrinum,
Oſtendatque atavi regna opulenta mei:
Regna male ad ſeros heu perventura nepotes;
Dum verſat varias Sors inimica vices.
Altiliuſque novos ſuperis laturus honores,
Pindarica feriat carmina docta lyra.
Sfortiadum mox dicat, Aragonioſque hymenæos:
Jure quibus cantus æquet, Homere, tuos.
Nec gemat exſilium Spartani Muſa Marulli,
Ventura ad noſtras ingenioſa dapes:
Verba ſed antiqui reddat, numeroſque Lucretî;
Dum magnis divos laudibus accumulat.

Adde tuos, Puderice, ſales; adde inclyta patris
Eloquia; adde animo tot bona parta tuo.
Jamque Panhormitæ luſus, & ſcripta recenſe,
Et Jovianææ tempora amicitiæ.
Hos inter meritis rediens Aquivivus ab armis,
Prodat honoratæ præmia militiæ:
Atque chori princeps docti argumenta Plutarchi,
Cumque ſuis referat dogmata principiis.
Ipſe autem haud dubitet Cabanilius acta referre
Vel ſua, vel magno juncta parentis avo.
Nec Phœbo minus ipſe ſuo, quam Marte probatus,
Phocaïco pexas tingat in amne comas.
Tu quoque, quem juvenem veneror, dulciſſime Garlon,
Incipe jam docta plectra movere manu:
Allitaſque tuas mihi concine, dum vaga Lunam
Sidera per tacitum nocte ſequuntur iter.
Talibus auſpiciis geniales ducere cœnas,
Theſpiadumque modis concelebrare juvat.

ELEGIA TERTIA,

CALENDIS JANUARIIS,

AD FUSCUM.

EXORITUR lux alma; caput Sol detegit aureum;
Qui toties noſtros exhilaravit avos.
Exoritur: redit ecce anni melioris origo.
Quiſquis ades, ſancta concipe voce preces.
Cingantur de more ſacris faſtigia templis,
Quæ vaga Sebethi Naïs ab amne legit.
Ipſe ſui Janus præpandat limina templi:
Cui geminum liquido ſtillet odore caput.
Illius & caſtas fument pia tura per aras:
Atque focos ſupra ſtet, videatque ſuos:
Nuntiet & tibi, Fuſce, novos virtutis honores.
Jam reor hæc animum vota fovere tuum.

Nec

Nec magis optaris, quas Lydius amnis arenas,
Quas volvit flavi lympha superba Tagi.
Nec magis uberibus quidquid sibi colligit arvis
Medus, & assiduo Sole perustus Arabs.
Justa precor: Latiis utinam discedat ab oris
Hostis, & indecori victus oberret equo.
Victus Hydruntinas cogatur linquere terras;
Et plangat nostram sanguinolentus humum.
Hæc veniet lux, Fusce, tuis lætissima votis;
Quum Pax optatas ducet in urbe moras.

Elegia Quarta,

IN MORUM CANDIDAM.

NUNC, Erato, virides capiti subnecte corymbos;
Profer & auratæ fila canora lyræ.
Arboris umbriferæ casus referamus acerbos.
Non erat hæc nostro fabula nota solo.
Audiat, & molli cantantes protegat umbra
Ipsa, * * * * * *
Olim Bajanis fuerat pulcherrima silvis
Naïas, errantes figere docta feras.
Quum liquidus clausis Lucrinus sæpe sub antris
Optavit lateri jungere posse suo.
Nec semel illius pharetram laudavit, & arcum
Pastorum incultis fistula carminibus.
Testes Cumææ, testes Linternides undæ,
Sanctaque Gauranæ numina Hamadryades,
Illam Silvanos, Panasque odisse bicornes,
Et quoscumque colit silva, nemusque deos.
Sed quid fata parant? solitis Morinna redibat
Montibus: hoc illi nomen, & omen erat:
Quum subita cælum texit caligine nimbus;
Et multa canam grandine fecit humum.
Illa hiemem fugiens, diversa per arva cucurrit;
Tecta caput sertis, grandine tecta caput.

Vallis erat prope ſulfureos male pervia montes,
Candida quam Grajo nomine ſignat humus.
Hanc ſuper exciſis pendebat cautibus antrum,
Agricolûm hirſutis nota domus gregibus.
Pugnantes huc forte coëgerat impiger hircos
Semideuſque caper, ſemicaperque deus.
Quem procul ut vidit Nymphe, ſic pectore toto
Inſequitur; tales & jacit ore ſonos:
Quo properas, ah dura, meaſque ingrata querelas
Deſpicis? aſpectus ne fuge, Nympha, meos.
Mecum capreolos, mecum venabere damas.
Parebit juſſis hoc pecus omne tuis.
Nil eſt, quod fugias: mihi, crede, recentia ſemper
Pocula de niveo fagina lacte madent.
Semper picta roſis, ſemper contexta liguſtris
De noſtro poteris munera ferre ſinu.
Dixit. at illa volans celeres prævertitur auras,
Imbre nihil motos impediente gradus.
Jamque petens triſteſque lacus, ſterilemque paludem,
Conſitaque arbuſtis non minus arva novis,
Adſpicit exeſi longe ſub faucibus antri
Obſcurum cæco pulvere noctis iter.
Huc, tamquā in latebras, ſe conjicit. haud minus ille
Inſequitur prædæ tractus amore ſuæ.
Jamque patens cælum rurſus, Solemque videbat;
Liquerat & montem poſt ſua terga cavum:
Dextra pontus erat, præruptaque ſaxa ſiniſtra:
Et jam defeſſam jamque premebat amans.
Protinus exclamans, Fer opem mihi, Delia, dixit:
Oraque ſupremo diriguere ſono.
Attulit auxilium Nymphæ dea; ſeque vocanti
Præbuit: illa cadens ſponte recumbit humi:
Fitque arbor ſubito: Morum dixere priores;
Et de Morinna nil niſi nomen habet.
Pes in radicem, in frondes ivere capilli;
Et quæ nunc cortex, cærula veſtis erat.

Bri-

Brachia ſunt rami; ſed quæ nitidiſſima poma,
Quas male vitaſti, Nympha, fuere nives.
Flevit Miſenus, mutatam flevit Avernus;
Fontibus & calidis ingemuere deæ.
Quin etiam flevere ſuis Sebethides antris
Najades, & paſſis Parthenopea comis.
Sed tamen ante alios lacrimas in ſtipite fudit
Faunus; & hæc triſtes addit ad inferias:
Inter ſilvicolas o non ignota ſorores,
Nunc Morus, duris candida corticibus,
Vive diu, & noſtros ſemper tege fronde capillos;
Cedat ut ipſa tuis pinus acuta comis.
Tu numquam miſeræ maculabere ſanguine Thysbes;
Immemor heu fati ne videare tui.
Tu, nec fata negant, niveis uberrima pomis,
His olim ſtabis frondea limitibus:
Et circum puerique canent, facileſque puellæ:
Ducentes feſtos ad tua ſacra choros.
Hactenus inſigni cecinit teſtudine Muſa;
Aoniaſque volans læta reviſit aquas.

Elegia Quinta,

AD BACCHUM.

Bacche bimater, ades: ſic ſint tibi nexa corymbis
Cornua; ſic nitidis pendeat uva comis:
Seu te nunc Thebæ, ſeu te nunc Iſmarus horrens,
Sive habet umbroſis Naxos amica jugis.
Huc, pater, huc propera frondenti candide thyrſo;
Huc potius greſſus dirige, Bacche, tuos.
Sed pallam jam pone gravem, pictoſque cothurnos;
Et muſto teneros tu quoque tinge pedes.
Tecum etiam Dryadeſque deæ, Satyrique bicornes
Adſint; & calamos, concavaque æra ſonent;

Rau-

Raucaque ſubductis percurrant tympana palmis
Baſſaridum fuſis turba verenda comis.
Quas male feſtinans Silenus pone ſequatur;
Et procul ut maneant, ſubſideantque, roget.
Tum ſecum auriti fatum deploret aſelli,
Incedet ferula dum titubante ſenex.
At deus hortorum, cui vertice fixa rubenti
Canna tremit, fævas falce repellat aves.
In medio crater cælato maximus auro
Spumet inexhauſtum, Lesbia dona, merum:
Et circum de more tuas cava tibia laudes
Intonet, appoſitas concelebretque dapes.
Ipſe ego perque vias urbis, perque omnia paſſim
Compita, perpetuo ſacra colenda feram.
Ipſe gigantæo referam memorata triumpho
Nomina, & evantes, orgia læta, choros.
Nec ſileam fuſcas acies, Gangetica regna,
Geſtaque odoratis prœlia litoribus.
Mox thalamos, Ariadna, tuos, tædaſque jugales,
Quæque nitet medio fixa corona polo.
Jamque pios ritus, indictaque ſacra frequentans,
Inſtituam virgas fronde virente tegi:
Incedamque tuas vates tam magnus ad aras,
Quam nec Virgilius, quam nec Homerus erat.
Tu mihi, ſancte pater, mordaces exime curas:
Nubilaque annoſo pectora ſolve mero.
Tu mihi ſecuros adige in præcordia ſomnos:
Adflatuque juva lumina feſſa tuo.
Scimus enim, quantos ineunte ætate labores
Pertuleris, quantos fulminis igne metus.
Infelix Semele, quid munera poſcis amantem,
Quæ tibi, quæ nato ſunt nocitura tuo?
Poſce Jovem, quæ digna tuis ſint præmia votis,
Poſce: feres votis præmia digna tuis.
Non tibi ſilvicolûm proles de plebe deorum,
Sed cui ſint Phœbus, Mercuriuſque pares;

Sed

Sed quam Saturnus non dedignetur ab alto
Noſcere; quam læto Juppiter ore probet.
Salve, cara patri ſoboles, mitiſſime divûm:
Salve, hominum requies, lætitiæque parens:
Et faciles, ſi juſta peto, mihi proſpice Muſas:
Et me pacato numine dexter adi.

ELEGIA SEXTA,

AD LUDOVICUM MONTALTIUM *SYRACUSANUM, CAROLI CÆS.* SCRINII MAGISTRUM.

MONS altus nomen clarum tibi, ſive nivoſis
Naſcenti dederit fertilis Ætna jugis;
Seu luſtrata vagis Nebrodis ſaxa Napæis,
Sive Dionæo numine clarus Eryx:
Seu quod Olympiaco reptaris vertice; teque
Pertulerit placido blanda Arethuſa ſinu;
Nobile frondoſo defluxit nomen Olympo,
Elei referens ſacra vetuſta Jovis.
Seu mage, quod celſas puer exſuperaveris Alpes;
Dum patet in laudes Belgica terra tuas:
Oceanique petis non explorata Britanni
Murmura; nec canæ Tethyos antra times:
Exhauſtos præferret ut illa ætate labores,
Aëria nomen venit ab Alpe tibi.
Quidquid id eſt, quicumque hujus tibi nominis auctor
Mons, & inacceſſi verticis aſperitas;
Non mores, non facta, ſed altæ mentis acumen
Vidit, & ingenii prævia ſigna tui.
Nam licet ipſe animo nubes, & ſidera vincas;
Cunctaque ſint ſenſu pæne minora tuo;
Non te per duros aditus rupeſve fragoſas,
Sed per floriferum vallis adimus iter;

Val-

Vallis, perpetuo quam veſtit gramine rivus,
Et quam vicini litoris aura fovet.
Hoc eſt, hoc, mihi crede, deos æquare merendo:
Hoc eſt æterni ſceptra tenere Jovis.
Cætera mortales inter peritura labores
Deſere, & hoc unum vita ſequatur opus.

ELEGIA SEPTIMA,

AD JUNIANUM MAJUM

PRÆCEPTOREM.

DUM tibi Bajanæ ſpectantur ab æquore Nymphæ,
Stagnaque vicinis hoſpita litoribus;
Qua vetus Herculeos perduxit ſemita tauros,
Longius excluſo concita clauſtra mari;
Quaque jacet Baulos inter lucumque Sibyllæ,
Et Prochytæ rectum per juga tendit iter:
Nos hic, ut noſti, duræ parere puellæ
Cogimur, & triſtes ducere in urbe moras.
Nec tamen aut ſtudiis animum intendiſſe ſeveris,
Aut prodeſt ſanctas excoluiſſe deas.
Quumque tot unanimes dederint mihi fata ſodales
Auxilium, nemo eſt, qui mihi rite ferat.
Inſtat ſævus Amor, reficitque in cote ſagittas;
Nec patitur preſſo colla movere jugo.
Et licet aſſiduis tabeſcant pectora curis;
Quærimus, unde queant tanta venire mala.
Atque utinam triſtes Lacheſis mihi finiat annos;
Claudat & ætatis tempora dura meæ:
Aut aliquis, ſævi quæ ſit medicina furoris,
Non vanus noſtra cantet in aure deus.
Sed jam laurigeris ceſſant oracula Delphis:
Mutaque Cumææ virginis antra ſilent.
Nec Pan Mænalia reddit reſponſa ſub umbra:
Nocte licet paſtor viſcera libet ovis.

Nec

Nec mihi Chaonias ſpes eſt audire columbas:
Cornigerumque pudet fata referre Jovem.
Oblitaſque loqui jampridem Græcia quercus
Mirata eſt poſito conticuiſſe deo.
At tibi venturos, Maï, prædicere caſus
Fas eſt, & mites conſuluiſſe deos.
Nec tantum aut aræ fumos, aut nuntia ſentis
Fulgura, ſed Stygiis ſomnia miſſa locis;
Somnia, quæ miſeram perturbant ſæpe quietem;
Dum mens incertis pendet imaginibus.
O quoties per te vanum poſuiſſe timorem
Me memini, & lætos continuaſſe dies!
O quoties, trepidus quum non ſpernenda putarem,
In noſtrum cavi damna futura caput!
Sæpe, meæ tibi quum narraſſem viſa puellæ;
Dixiſti, certos haud procul eſſe metus.
Sæpe illam madidos luſtrare in flumine crines
Juſſiſti, & miſto ſolvere farra ſale.
Quod ſi olim terris talem te fata dediſſent,
Spreviſſet Tuſcos Martia Roma viros.
Nam te quis melius calidas deprendere fibras,
Conſulere aërias aut potuiſſet aves?
Illa triumphatum regeret nunc legibus orbem;
Nec foret in cineres obruta pæne ſuos.
Nec fera vidiſſet Cannenſis funera pugnæ;
Aut aquilas Parthos tam male ferre duces.
Scipiadum patriis habitarent ſedibus umbræ:
Tanta nec Hiſpanum conderet oſſa ſolum.
Te duce, veridicæ patuiſſent ſcripta Sibyllæ;
Non intellecto quæ nocuere deo.
Fortunate deûm interpres, quem ſidera norunt,
Cui ſuperûm mentes explicuiſſe licet.
Non te letali tetigit puer improbus arcu:
Quamvis & dominos implicet ille deos.
Nec tibi ſecuros rumpunt ſuſpiria ſomnos:
Fallaces Veneris deſpicis inſidias.

At

At nos incertis cæci jactamur in undis:
Ducimus & nullo tempora consilio.
Et quisquam mihi nunc longos optaverit annos,
Quum videat vitæ tædia tanta meæ?
Non me Sisyphio superent impulsa labore
Saxa; nec infernis dolia adacta vadis.
Et Tityi rostro cedet mihi vultur obunco,
Pomaque Lethæis risa sub arboribus.
Vos igitur, qui me victum jam fletis, amici,
Sic mea compositis cædite busta notis:

ACTIVS. HIC. SITVS. EST. CINERE S. GAVDETE. SEPVLTI
IAM. VAGA. POST. OBITVS. VMBRA. DOLORE. VACAT.

ELEGIA OCTAVA,

IN DOMINÆ NATALEM, AD JUNONEM.

JUNONI fer sacra, novas lege, Musa, coronas:
Natalis dominæ jam mihi festus adest.
Ipsa sed in primis solennes indue cultus:
Et mihi purpurea tempora cinge rosa.
Utque aliquid gratas divæ meditemur ad aras,
Adfer inauratæ garrula plectra lyræ.
Tu quoque, vita, tuos auro subnecte capillos:
Plurimaque in niveo pectore gemma micet.
Hæc mihi te, mea lux, seros promisit in annos,
Hæc mihi te certam jussit habere dies.
Quanta mihi hac primum fulserunt gaudia luce!
Quantus in hoc uno tempore venit honos!
O mihi Erythræis merito signanda lapillis:
O mihi delicias inter habenda meas.
Quisquis ades, bona verba, & lætos edite cantus;
Libaque de Siculo dulcia melle date.
Alba mihi vestis nullo violata veneno
Adsit; & in geminos defluat apta pedes.
Ante aram viridi texant umbracula quercu
Formosis Dryades, rustica turba, comis.

Phœ-

Phœbus odorata circum tegat atria lauro:
At myrto duplices tu, Cytherea, fores.
Ipſa Arabum merces Niſeïa turba miniſtret:
Lenæuſque ferat Naxia vina pater.
Omnia ſint lætis operata ex ordine ſacris:
Et cælum niveis conſtrepat alitibus.
Magna parens Juno, centum comitata miniſtris,
Huc ades; & votis annue, diva, meis.
Vos quoque, per vacuum quæ luditis aëra, Nymphæ,
Cingite felici nubila ſumma choro.
Scilicet eventus hæc ſint bona ſigna futuri:
Hæc eadem plenæ nuntia lætitiæ.
Ipſe ego veſtra ſequar jucundo gaudia plauſu;
Et peragam varios ore, manuque modos:
Quin etiam ſertis, & ture calentibus aris,
Excipiam ſancta numina veſtra die.
At tu, Natalis, nullos non fauſte per annos,
Semper honorata luce ſerenus eas.
Quodque opto, innumeras (ſiquid prece poſſe putamur)
Cumææ vincas vatis olympiadas.

Elegia Nona,

AD RUINAS CUMARUM,

URBIS VETUSTISSIMÆ.

Hic, ubi Cumææ ſurgebant inclyta famæ
Mœnia, Tyrrheni gloria prima maris;
Longinquis quo ſæpe hoſpes properabat ab oris,
Viſurus tripodas, Delie magne, tuos;
Et vagus antiquos intrabat navita portus,
Quærens Dædaliæ conſcia ſigna fugæ:
(Credere quis quondam potuit, dum fata manebant?)
Nunc ſilva agreſtes occulit alta feras.
Atque ubi fatidicæ latuere arcana Sibyllæ,
Nunc claudit ſaturas veſpere paſtor oves.

Quæ-

Quæque prius ſanctos cogebat curia patres,
Serpentum facta eſt, alituumque domus.
Plenaque tot paſſim generoſis atria ceris,
Ipſa ſua tandem ſubruta mole jacent.
Calcanturque olim ſacris onerata trophæis
Limina: diſtractos & tegit herba deos.
Tot decora, artificumque manus, tot nota ſepulcra,
Totque pios cineres una ruina premit.
Et jam intra ſolaſque domos, disjectaque paſſim
Culmina ſetigeros advena figit apros.
Nec tamen hoc Grajis cecinit deus ipſe carinis:
Prævia nec lato miſſa columba mari.
Et querimur, cito ſi noſtræ data tempora vitæ
Diffugiunt? urbes mors violenta rapit.
Atque utinam mea me fallant oracula vatem:
Vanus & a longa poſteritate ferar:
Nec tu ſemper eris, quæ ſeptem amplecteris arces:
Nec tu, quæ mediis æmula ſurgis aquis.
Et te (quis putet hoc?) altrix mea, durus arator
Vertet; &, Urbs, dicet, hæc quoque clara fuit.
Fata trahunt homines: fatis urgentibus, urbes,
Et quodcumque vides, auferet ipſa dies.

Elegia Decima,

MALA PUNICA.

Quid, miſer, externas perquiris, navita, gentes?
Et tam longinquo gurgite quæris opes?
Nec te ventorumque minas, pelagique procellas,
Non piget ignotæ damna ſubire viæ?
Adſpice, quam tenui velemus cortice gemmas.
Jam tibi, quidquid habent litora rubra, damus.
Seu vis purpureos roſeo fulgore hyacinthos:
Infenſam Baccho ſive amethyſton amas:

Ar-

Ardentes ſeu quæ torres imitantur, & ignes:
Seu mage diluto lumine chryſolithos.
Sed rude divitias extollit vulgus inanes:
Nec meminit, quantis ſit caput inde malis.
Divitiæ fera bella viris, letumque tulerunt.
Nam prius æterna pace vigebat humus.
Divitiis natoque pater, natuſque parente
Cæditur, & caro fratre verenda ſoror.
Nec tantum ſævæ tractant aconita novercæ:
Sed jugulat partus mater avara ſuos.
Adde, quod & gemmæ ſolo fulgore probantur;
Adſcituſque illis quæritur arte decor.
At nobis natura oculos tardare tuentes,
Et dedit, arenti pellere ab ore ſitim.
Nec noſtræ populos armant in prœlia gemmæ;
Nec ſuadent magnos clam violare deos.
Sed ſemper placidis viſunt convivia menſis:
Stant ubi jucundo pocula plena mero.
Illic nos teneræ vir porrigit ipſe puellæ,
Porrigit & cupido fida puella viro.
Pacis opus ſumus, & pacati munus amoris;
Quod capit a Satyro Naïs amata ſuo.
Nec temere, infernis quum nos libaſſet in hortis,
Noluit ad matrem nata redire ſuam.
Nos quoque, dum Libycos errat Pomona per agros,
Obſtupuit pleno fracta rubere ſinu:
Ac rarum mirata decus, mirata liquorem,
In ſua de patrio tranſtulit arva ſolo.
Ergo Puniceæ laus hæc, & gloria ſilvæ,
Vincere gemmiferi lucida dona maris;
Pallentique graves depellere corpore morbos;
Ægraque Pæoniis ora levare modis.
Quod nec Erythræi præſtabunt litora ponti,
Non opibus pollens Indica terra ſuis.
Tu vero, duplici fulgent cui tempora lauro,
Militiæ, & ſacri dux, Aquivive, chori;

Accipe nos, laudum contentus luce tuarum:
Muneraque inviſæ deſpice luxuriæ:
Et ſeu carminibus, ſeu delaſſaberis armis;
Diluat exundans hæc tibi gemma ſitim.

ACTII SYNCERI

SANNAZARII

NEAPOLITANI

ELEGIARUM

LIBER III.

ELEGIA PRIMA,

AD FEDERICUM, FERDINANDI FIL. ARAGONIUM, SICILIÆ REGEM.

Rgo ego fallaci tantum ſervire puellæ
Natus, & adverſo ſemper amore queri?
Nec me Pieria ſpectabit Phœbus in umbra
Inter certantes carmina ferre choros?
Qua denſos Helicon ſaltus, colleſque virentes
Pandit; & Aonidum perluit antra liquor;
Diſpoſitæque jugis intexunt ſerta puellæ;
Pendenteſque ſonant per cava ſaxa lyræ.
Jam libet intactis haurire e fontibus undam;
Et luſtrare ſacrum, qua via nulla, nemus.

Ardua ſunt tentanda: novas en, carmina, vires
Sumite: per durum Gloria anhelat iter.
Nunc opus eſt alia crinem compeſcere fronde:
Nil mihi cum ſertis, Bacche jocoſe, tuis.
Ipſe audax virides Parnaſſi in vertice lauros
Decerpam, aut ſilvis, Pinde canore, tuis.
Ipſe lyram nullo percuſſam pollicis ictu
Suſpendam ex humeris, præmia rara, meis.
Non ego nunc molles meditor laſcivus amores:
Nec jacio ad ſurdas carmina blanda fores.
Major ad heroos me ſublevat aura cothurnos:
Major & in noſtro perſonat ore deus.
Lætus ades, Federice: tuas ex ordine laudes
Exſequar: auſpiciis fama petenda tuis.
Nam quamquam antiquis regum bene ſulta triumphis
Stat domus; & tantis ſe tibi jactat avis:
Majorum tua non titulis innixa recumbit
Gloria, nec priſcis geſtit imaginibus:
Sed certat magnos virtus anteire parentes,
Æternum & vera laude parare decus.
Nec tua facta olim titulo breve marmor habebit.
Immenſum magni carminis illud opus.
Seu te quis teneris puerum miratus ab annis,
Ætatis referat tempora prima tuæ:
Seu caſus rerum varios, duroſque labores,
Exhauſta & ſævo prœlia Marte canat.
Egreſſum vix dum cunis Æneïa nutrix
Senſit, & adventu mota repente tuo eſt:
Terque deos venerata, caput ter ſuſtulit urna;
Et tandem Phrygio lingua voluta ſono eſt:
En iterum, Sol magne, meæ, poſt diruta Trojæ
Pergama, poſt Latios ſpes mihi ſurgit avos.
Hac ætate vagi quondam per prata Scamandri,
Æneam vidi ludere ſæpe meum.
Nec tu major eras, quum jam poſt fata Creuſæ
Reptares gremio, pulcher Iule, meo;

Cer-

Certaresque jocis curas mihi demere aniles,
Deducens blandas nostra per ora manus.
His tamen auspiciis Albanæ ad sidera turres
Crevere, & rerum maxima Roma caput.
Hinc Decios, Fabiosque, hinc pectora dura Catones
Vidimus, & fasces, Brute severe, tuos.
Vidimus & ductos non uno ex hoste triumphos,
Auctaque Julæis stemmata Cæsaribus.
Ingredere o, felixque tubi pede nostra secundo
Mœnia; propensos & venerare deos.
Ingredere; Antiphatæ pollens tibi regia servit,
Et Læstrygonio limina tuta metu.
Sit Jove Creta potens; sint clari ab Apolline Delphi;
Laudet Amyclæos Tænaris ora duces:
Alciden, Bacchumque ferant ad sidera Thebæ:
Terra rudimentis nostra beata tuis.
Nam te, dum rapidos arcet de finibus hostes;
Ardua magnanimus misit in arma pater.
Auspice te, nostræ nullis incursibus arces,
Succumbent nullis litora nostra minis.
Sed bene habet; cessere metus, cessere pericla:
Barbarus hostiles ad sua vertit equos.
Jam juga, jam lati respirant undique campi:
Nec tuba veliferas concitat ulla rates.
Tu tamen ad patrios revocabere victor honores;
Maternosque sinus, Parthenopenque petes.
Mox Salentinos ibis metator in agros,
Qua secat Oebalia culta Galesus aqua.
Sed quo, livor edax, non struis? ecce repente
Fata jubent longas te procul ire vias;
Romanumque patrem, sacrasque invisere sedes,
In primis magnos promeruisse deos.
Tum pontes, arcusque ducum, delubra, viasque,
Cumque suis cernes structa theatra foris.
Interea Vaticanas numerare per ædes
Tot signa artificum, tot monumenta licet.

Mox Vejos, vetereſque Umbros, forteſque Sabinos
Tranſgreſſo, Hadriacum ſtat ſuperare latus,
Æmiliæque domos, Apenninumque nivalem,
Et Phaëtonteo proxima regna Pado.
Quis ſumtus, Leonora, tuos, quis publica dicat
Munera, Ateſtinis edita principibus?
Jam veteres ſuperas, dives Ferraria, dudos,
Aurea dum celeri præmia ponis equo;
Effigieſque deûm, ſpectandaque ſigna, per aras
Exſtruis, & variis pegmata celſa locis.
Quis rurſum Venetæ miracula proferat urbis?
Una inſtar magni quæ ſimul orbis habet.
Una Italûm regina, altæ pulcherrima Romæ
Æmula, quæ terris, quæ dominaris aquis:
Tu tibi vel reges cives facis. o decus, o lux
Auſoniæ; per quam libera turba ſumus:
Per quam barbaries nobis non imperat; & Sol
Exoriens noſtro clarius orbe micat.
Proxima ſunt, Gonſaga, tuæ ſpectacula terræ,
Donaque per magnos ante parata duces.
Mantua queis, largoque exſultat Mincius ore,
Auſus ſpumiferum tollere ad aſtra caput.
Mincius æterni ſacrum geniale Maronis;
Cui cedit flavo lucidus amne Meles.
Hinc populos, Ticine, tuos ſpectare licebit,
Dictaque lanigeræ mœnia pelle ſuis,
Taurinoſque, altaſque Alpes, Pœninaque caſtra,
Et Rhodanum, & ripas, magne Lemanne, tuas.
Inde per immenſum lati ſpatiabere campi;
Oſtendit ſacrum mons ubi Jura nemus:
Et veteres felix cuſtodit Claudius arces,
Claudius æternæ conciliator opis.
Hic formidatas acies, ipſumque videbis
Elatum longa proſperitate ducem.
Finitimis dum bella parat, tibique arma, viroſque
Commendans, magni jus dabit imperii;

Ni-

Nimirum ingeniumque ſagax miratus, & artes,
Quæque dabis mentis plurima ſigna tuæ.
Quapropter mediis generum te deligit armis,
Pollicitus natæ ſpemque, torumque ſuæ.
Ac velut Oenomai currus, aſtumque ſecutus,
Eludet pacti fœdera conjugii.
Sed male ut Oenomao currus ceſſere, dolique;
Perfidiæ pœnas ſic ferus iſte luet.
Ter victus, ter jam caſtris exutus ab hoſte,
Poſtremo miſeram corruet ante diem.
Nam dejectus equo, foſſaque inventus in alta,
Obſcœnam turpi ſanguine tinget humum.
Nec jam erit, extremos funus qui curet ad ignes;
Non lapis, inciſis qui tegat oſſa notis.
Tu celſus, tu ſublimis, tu victor honorem
Accipies, tibi quem Gallia tota dabit;
Biſque tuis referet ſuperatos Lingonas armis,
Ductaque bis pulſos ſigna per Helvetios:
Præterea quantum populorum Moſa coërcet;
Quantum cærulea Rhenus inundat aqua.
Atque erit is noſtræ gentis vigor, omnia credi
Ut poſſint juſto ſuccubuiſſe metu.
Hic ego te, laudeſque tuas, fortiſſime Juli,
Non ſileam, & valida prœlia geſta manu.
Quem titulis Aquiviva domus præluſtribus ornat;
Mortaleſque inter, ſemideoſque locat.
Et jam militiæ moles tibi creditur omnis;
Omnia ſub leges allicis ipſe tuas.
At te patrato, juvenum pulcherrime, bello
Tempus erat patriis dona tuliſſe deis;
Mendaciſque ſimul faſtus, odiumque tyranni
Cum prope defenſo deſeruiſſe ſolo.
Eja age rumpe moras, inviſaque caſtra relinque;
Fidaque magnanimi limina regis adi.
Cui vel ad Oceani fines tot litora parent;
Juraque dant ſceptri Celtica regna ſui.

Hic tibi felices tædas, certoſque hymenæos
Expediet, tutas & ſimul addet opes.
Teſtis erit Liger, Arvernis qui fuſus ab antris
Libera devexum per loca findit iter.
Interea patrem, Campanaque tecta reviſe,
Debitaque auſpiciis, hei mihi, regna tuis;
Debita, ſed fatis cito jam ceſſura malignis;
Evertet tantas quum ferus hoſtis opes.
Dii maris Etruſci, per quos Tiberinus, & Arnus,
Macraque cæruleis jungitur altus aquis;
Dum redit in patriam juvenis, tot honoribus auctus,
Candida felici ſolvite vela Noto.
Voſque, citæ puppes, juſſum properate per æquor:
Fata dabunt iſtas ſæpe iterare vias:
Nec ſemel hos tractus, Ligurumque videbitis oras,
Aut Vari infauſtum fluminis hoſpitium;
Vallatoſque ſinus ſcopulis, Toroëntia clauſtra,
Et ſparſas mediis Stœchadas æquoribus.
Denique Phocaïcoſque ſinus, Marioque refoſſum
Litus, & antiquæ mœnia Maſſiliæ.
Donec fatales Turonum accedere muros
Permittant veſtro fata ſiniſtra duci.
Ah Liger, ah nimium lacrimis urgende meorum,
Qualia ſpectabis flumine buſta tuo!
Buſta, quibus magni ponant diademata reges;
Grataque ſolenni flore parentet humus.
Atque aliquis Latio veniens novus hoſpes ab orbe,
Portet honoratas munus ad inferias;
Et dicat: Federice, tuorum hic meta laborum
Hæſit. habet noſtros hæc brevis urna deos.

ELEGIA SECUNDA,

QUOD PUERITIAM EGERIT IN PICENTINIS,

AD CASSANDRAM MARCHESIAM.

EST Picentinos inter pulcherrima montes
Vallis: habet patrios hic pia turba deos.
Quam ſuper hinc cælo ſurgens Cerretia rupes
Pendet: at huic nomen cerrea ſilva dedit:
Parte alia ſacræ reſpondent faxa Tebennæ;
Quique rigens Merulæ nomine gaudet apex.
Et circum nigra late nemus accubat umbra,
Plurima qua riguis effluit unda jugis,
Semiferi, ſi vera canunt, domus horrida Fauni;
Conveſtant avidæ quo ſua luſtra feræ.
Accipit hic tergo formoſum bucula taurum:
Accipit immundum ſima capella marem.
Mille tori Dryadum, Satyrorum mille receſſus,
Antraque ſilvicolæ grata latebra deæ.
Vivula nomen aquæ, tenuique Subuncula rivo,
Et quæ de gelida grandine dicta ſonat.
Huc mea me primis genitrix dum geſtat ab annis,
Deducens caro nupta novella patri;
Adtulit indigenis ſecum ſua munera divis,
In primis docto florea ſerta gregi.
Grex erat Aonidum, cœtu comitata ſororum
Ipſa ſui princeps Calliopea chori.
Delius argutis carmen partitus alumnis,
Flectebat faciles ad ſua plectra manus,
Atque hic me ſacro perluſtravere liquore;
Cura quibus noſtræ prima ſalutis erat.
Tum lotum media puerum ſtatuere chorea,
Et circumfuſis obſtrepuere ſonis.

Deni-

Denique præcinctumque hederis, & virgine lauru,
Ad citharam dulces edocuere modos.
Tantus erat lætis avium concentus in agris,
Ut posses ipsos dicere adesse deos.
Venerat omne genus pecudum, genus omne ferarum,
Atque illa festum luce habuere diem.
Tunc ego pastorum numero, silvestria primum
Tentavi calamis sibila disparibus.
Deductumque levi carmen modulatus in umbra,
Innumeros pavi lata per arva greges.
Androgeumque, Opicumque, & rustica sacra secutus,
Commovi lacrimis mox pia saxa meis,
Dum tumulum caræ, dum festinata parentis
Fata cano, gemitus dum, Melisæe, tuos.
Ac tacitas per operta vias rimatus, & antra
Inspecto, & variis flumina nata locis.
Mox majora vocant me numina: scilicet alti
Incessere animum sacra verenda Dei;
Sacra Dei regisque hominum, dominique deorum,
Primævum sanctæ relligionis opus;
Nuntius æthereis ut venerit aliger astris,
Dona ferens castæ Virginis in gremium.
Quid referam caulasque ovium, lususque canentum
Pastorum, & reges, Arsacis ora, tuos?
Nec minus hæc inter piscandi concitus egit
Ardor in æquoreos mittere lina sinus;
Fallacesque cibos vacuis includere nassis;
Atque hamo undivagos sollicitare greges.
Quandoquidem salsas descendi ego primus ad undas,
Ausus inexpertis reddere verba sonis.
Quid referam mollesque Elegos, miserabile carmen,
Et superis laudes non sine ture datas?
Quæque aliis lusi numeris, dum seria tracto,
Dum spargo varios per mea dicta sales.
Multaque præterea, dilectæ grata puellæ,
Adsciscо antiquis rursus Etrusca modis.

Ut

Ut ſileam nunc impenſos tot regibus annos;
Tot data belligeræ tempora militiæ:
Et ſileam vexata malis mea corpora morbis,
Vixque Machaonia reſtituenda manu.
Adde graves populique fugas, procerumque ruinas,
Inflicta & miſeris urbibus exſilia.
Ipſe per infeſtos tecum, Federice, labores
Multa adii terra, multa pericla mari.
Tuſcorumque vadis, Ligurumque exercitus undis,
Poſtremo litus Maſſilienſe ſubii.
Jam Rhodanum, Volcaſque feros, Vocontiaque arva
Legimus, & fines, Belgica terra, tuos.
Biſque pruinoſas curſu ſuperavimus Alpes:
Bis metas magni vidimus Oceani.
Atque hic te tandem deflevimus, optime regum,
Quantum Hecube natos fleverat ipſa ſuos;
Quantum diſciſſis fratres Caſſandra capillis,
Andromacheque ſui dum legit oſſa viri.
O fatum infelix! o ſors male fida! quid illic
Egimus? o triſti merſa carina loco!
Quum nullum interea frugis genus imbre, vel æſtu
Redderet ingenio Muſa vocata meo.
Et jam miramur, longo ſi preſſa labore
Amiſit vires parvula vena ſuas?
Ipſe deûm ſimul, atque hominum celebrator Homerus
Deficeret, nedum ſegnis, inerſque lyra.
Deficeret pater ipſe, & carminis auctor Apollo;
Pegaſidum ſacras qui tenet unus aquas.
Ergo, tanta meæ quum ſint diſpendia vitæ
Facta; potes noſtram quiſque dolere vicem;
Quod non ingenio, quod non profecimus arte;
Quod mea ſit longo mens prope victa ſitu:
Quod mala ſubrepens imos, ceu peſtis, in artus
Irruerit, fracto corpore, ſegnities;
Nec pote jam lapſæ ſtudium revocare juventæ;
Ingenii quum ſit tanta ruina mei.

Tu ſaltem, bona poſteritas, ignoſce dolori;
Qui facit, ut ſpreto ſit mea fama loco:
Muſarum ſpolierque bonis, & nomine claro
Vatis; & hæc ultro credar habere mala.
Proſit, amicitiæ ſanctum per ſæcula nomen
Servaſſe, & firmam regibus uſque fidem.
Voſque vel ignavo, vel tardo parcite, amici,
Cui natura ſuas dura negarit opes;
Dum tamen ambitione mala, atque libidine turpi,
Et caream inviſæ crimine avaritiæ.
Tu quoque vel feſſæ teſtis, Caſſandra, ſenectæ,
Quam manet arbitrium funeris omne mei;
Compoſitos tumulo cineres, atque oſſa piato:
Neu pigeat vati ſolvere juſta tuo.
Parce tamen, ſciſſo ſeu me, mea vita, capillo;
Sive: ſed heu prohibet dicere plura dolor.

ELEGIA TERTIA,

DEOS NEMORUM INVOCAT

IN EXSTRUENDA DOMO.

DII nemorum, ſalvete: ego vos de rupe propinqua,
De ſummis patriæ mœnibus adſpicio:
Adſpicio, venerorque. cavæ, mihi plaudite, valles;
Garrula vicinis perſtrepat aura jugis.
Vos quoque perque focos felicia dicite, cives,
Verba, per intectas flore decente vias.
Victima ſolennes eat inſpectanda per aras,
Turbaque Palladia fronde revincta comas.
Moſque ut ab antiquæ repetatur origine Romæ,
Exterior forda cum bove taurus aret.
Ac prius infoſſo tectum quam cingere ſulco
Incipimus, juſtos ture piate deos.

Nulla

Nulla per obductum decurrant nubila cælum:
Candidaque auguſtum concinat omen avis.
Exſurgat paries, ventos qui pellat, & imbres;
Qui multa circum luce ſerenus eat.
Adſit diſpoſitis ſeries concinna columnis;
Quæque ornet medias crebra feneſtra fores.
Ipſe biceps primo cuſtos in limine Janus
Occurrat lætis obvius hoſpitibus.
Protinus a dextra ſacræ, mea turba, ſorores
Cingant virgineis atria prima choris.
A læva nitidis ſtratum Pythona ſagittis
Miretur poſita Cynthius ipſe lyra.
Ædibus in mediis parvi ſinus amphitheatri
Viſendas regum præbeat hiſtorias.
Ac primum triplici ſe ſe defendat ab hoſte
Fernandus rapido jam metuendus equo.
Alfonſuſque pharetratas, dira agmina, gentes
Cogat Hydruntinis cedere litoribus.
Tum juvenis rex ipſe, & regum inſignibus auctus
Alpinos adigat linquere caſtra duces.
Poſtremo Federicus, avito lætus honore,
Dalmaticas grandi claſſe refringat opes.
Infeſtoſque deos, metuendaque jura minatus,
Indicat nato bella gerenda ſuo.
Hic bene conveniens membris variantibus ordo
Adſpiciat celebres e regione ſitus.
Exhedræ, xyſtique, tablinum, hypocauſta, diætæ,
Et quæ privatis uſibus apta velim.
Atque aliæ Occaſus, aliæ vertantur in Ortus,
Quæque habeant Borean, quæque inhibere Notum.
Jungantur longis quadrata, obliqua rotundis:
Et capiat ſtructos plurima cella toros.
O ſtudiis placitura meis, o mille per artes
Otia Pieriis noſtra juvanda modis!
Hic ego tranquillo tranſmittam tempora curſu:
Dum veniat fatis mitior hora meis.

Vixi-

Viximus ærumnas inter, lacrimoſaque regum
Funera: nunc patria jam licet urbe frui:
Ut quod tot curæ, tot detraxere labores,
Reſtituat vati Parthenopea ſuo.

FINIS.

ACTII SYNCERI

SANNAZARII

NEAPOLITANI

VIRI PATRICII

EPIGRAMMATON

LIBRI TRES.

ACTII SYNCERI SANNAZARII *NEAPOLITANI* EPIGRAMMATON

LIBER I.

I.

AD FEDERICUM REGEM.

SCRIBENDI ſtudium mihi tu, Federice, dediſti,
Ingenium ad laudes dum trahis omne tuas.
Ecce, ſuburbanum rus, & nova prædia donas:
Feciſti vatem, nunc facis agricolam.

II.

AD VILLAM MERGILLINAM.

RUPIS o ſacræ, pelagique cuſtos,
Villa Nympharum domus, & propinquæ
Doridos, regum decus una quondam,
Deliciæque;

Nunc meis tantum requies Camœnis;
Urbis inviſas quoties querelas,
Et parum fidos popularis auræ
Linquimus æſtus:
Tu mihi ſolos nemorum receſſus
Das, & hærentes per opaca laurus
Saxa: tu fontes, Aganippidumque
Antra recludis.
Nam ſimul tete repeto; tuaſque
Sedulus mecum veneror Napæas:
Colle, Mergillina, tuo repente
Pegaſis unda
Effluit, de qua chorus ipſe Phœbi,
Et chori Phœbus pater, atque princeps,
Nititur plures mihi jam canenti
Ducere rivos.
Ergo tu nobis Heliçon, & udæ
Phocidos ſaltus, hederiſque opacum
Theſpiæ rupis nemus, & canoro
Vertice Pindus.
I, puer, blandi comitem laboris
Affer e prima citharam columna;
Affer & flores; procul omnis a me
Cura recedat.
Principis noſtri decus, atque laudes
Fama, per latas ſpatiata terras,
Evehat, qua Sol oriens, cadenſque
Frena retorquet;
Quaque non notos populos, & urbes
Damnat æternis Helice pruinis;
Quaque ferventis cumulos arenæ
Diſſipat Auſter.
Ille creſcentes veneratus annos
Vatis, antiquum referentis ortum
Stirpis, & clarum genus, & potentum
Nomen avorum;

Con-

Contulit larga numeroſa dextra
Dona; & ignavæ ſtimulos juventæ
Addidit, ſilvas, & amica Muſis
Otia præbens.

III.

CALENDÆ MAJI.

MAJUS adeſt; da ſerta, puer: ſic ſancta vetuſtas
Inſtituit; priſci ſic docuere patres.
Junge hederam violis; myrtum ſubtexe liguſtris;
Alba verecundis lilia pinge roſis.
Fundat inexhauſtos mihi decolor Indus odores:
Et fluat Aſſyrio ſparſa liquore coma.
Grandia fumoſo ſpument cryſtalla Lyæo:
Et bibat, in calices lapſa corona meos.
Poſt obitum non ulla mihi carcheſia ponet
Æacus. infernis non viret uva jugis.
Heu vanum mortale genus, quid gaudia differs?
Falle diem: mediis mors venit atra jocis.

IV.

IN TUMULUM LADISLAI REGIS.

MIRARIS niveis pendentia ſaxa columnis,
Hoſpes, & hunc, acri qui ſedet altus equo?
Quid ſi animos, roburque ducis, præclaraque noſſes
Pectora, & invictas dura per arma manus?
Hic Capitolinis dejecit ſedibus hoſtem:
Biſque triumphata victor ab urbe redit:
Italiamque omnem bello concuſſit, & armis:
Intulit Etruſco ſigna tremenda mari.
Neve foret Latio tantum diademate felix,
Ante ſuos vidit Gallica ſceptra pedes.
Quumque rebellantem preſſiſſet pontibus Arnum;
Mors vetuit ſextam claudere olympiadem.
I nunc, regna para, faſtuſque adtolle ſuperbos:
Mors etiam magnos obruit atra deos.

V.

AD FEDERICUM REGEM.

CLausa quod effossis erumpunt ossa sepulcris,
Et referant veteres putria saxa rogos;
Nimirum tanto cupiunt sub principe manes
Vivere; & ad nutus umbra vocata venit.
Utque decet, longo mansuras tempore sedes
Spondent, & regnis otia læta tuis.
Quæque diu ambiguis tecum Fortuna vagata est
Passibus, hic certa stat bene nixa rota.
Sume animos, Federice: tuis hic meta periclis
Hæret: habent manes, & pia busta fidem.

VI.

AD NINAM.

SExcentas, Nina, da, precor, roganti
Sed tantum mihi basiationes:
Non quas dent bene filiæ parenti,
Nec quas dent bene fratribus sorores:
Sed quas nupta rogata det marito,
Et quas det juveni puella caro.
Juvat me mora longa basiorum,
Ne me tam cito deserat voluptas.
Nolo marmora muta, nolo pictos
Dearum, Nina, basiare vultus:
Sed totam cupio tenere linguam,
Insertam humidulis meis labellis;
Hanc & sugere; morsiunculasque
Molles adjicere; & columbulorum
In morem, teneros inire lusus,
Ac blandum simul excitare murmur.
Hæc sunt suavia dulciora melle
Hyblæo, & Siculæ liquore cannæ.
Hæc sola ambrosiæque, nectarisque
Succos fundere, sola habere possunt.
Quæ si contigerint mihi; tuisque
Admovere sinas manum papillis;

Quis

Quis tunc divitias, quis aurum, & omnes
Aſſis me putet æſtimare reges?
Jam non maluerim mihi beatas
Auroræ, Veneriſque habere noctes:
Non Hebes thalamos beatiores:
Non, ſi deſerat hæc ſuum maritum:
Non, ſi me roget uſquequaque: non, ſi
Æternam mihi ſpondeat juventam.

VII.

DE NATALI ALTILII VATIS.

MUSARUM lux alma, meus cui tura quotannis,
Cui rite Altilius fundit in igne merum:
Accipe ſervatos hiberno frigore flores;
Quæque madent Siculis annua liba favis.
Quandoquidem magnum Latio, rarumque dediſti
Pignus, & Aoniis non leve nomen aquis.
At tu, ſic triſtes numquam experiare tenebras;
Sic Phœbi nitido ſemper honore mices:
Fauſta, precor, longos tamen exſpectata per annos,
Alrilioque tuo concolor uſque redi.

VIII.

AD FEDERICUM REGEM.

HIBERNAS tibi pampineis cum vitibus uvas
Mittimus, o regni gloria, honoſque tui.
Præla vacant; riget omnis ager; ſpumantia tandem
Muſta ſilent; menſis eſt tamen uva tuis.
Jam pater Autumnus vernantia lilia mittet;
Talia ſi medio frigore Bruma dedit.

IX.

DE EXPEDITIONE ALFONSI REGIS.

VENTUROS olim Romana ad mœnia Turcas,
Dixerunt vates: credite, vera canunt.
Scilicet Alfonſum Turcas in bella trahentem
Exſpectas fatis anxia Roma tuis.
Pone metum, vincet; ſed te meliora manebunt
Imperia; Alfonſo principe major eris.

X.

IN TUMULUM LAURÆ PUELLÆ.

ET lacrimas etiam ſuperi tibi, Laura, dediſſent:
Fas etiam ſuperos ſi lacrimare foret.
Quod potuit tamen, auratas puer ille ſagittas
Fregit, & exſtinctas mœſta Erycina faces.
Sed quamvis homines tangant tua fata, deoſque:
Nulli flebilior, quam mihi, vita, jaces.
Felices animæ, quibus is comes ipſa per umbras;
Et datur Elyſium ſic habitare nemus.

XI.

DE PARTU NISÆÆ, CHARITEI CONJUGIS.

DUM parit, & longas iterat Niſæa querelas;
Scinditur incerta ſeditione polus.
Pierides puerum, Charites optare puellam:
His Venus, aſt illis docta Minerva favet.
Adſtat amans Veneri Mavors, Phœbuſque Minervæ:
Magnanimuſque æqua Juppiter aure ſedet:
Quum ſubito aurato ſurgit puer improbus arcu;
Et cælum notis territat omne minis.
Adſenſere metu ſuperi, pater ipſe deorum
Riſit; & Aonias juſſit abire deas.
Exſultat palma Venus; & naſcente puella
Augentur Charites, Cypria turba, deæ.

XII.

AD FEDERICUM REGEM.

EDICTO nuper quum tu, rex magne, caveres,
Audaci ne quis ſtringeret arma manu;
Depoſuiſſe tuum vel primus diceris enſem,
Et monſtraſſe palam primus inerme latus.
Quid majus populiſve tuis, Federice, vel urbi
Accidere huic noſtræ per tua dona poteſt?
Poſt domitos hoſtes, inter tot commoda pacis,
Contigit exemplis vivere poſſe tuis.
Publica nimirum res tunc ſibi conſtat, & æquum
Imperium, quum rex, quod jubet, ipſe facit.

XIII.

XIII.

DE EMENDATIONE CATULLI AD JOVIANUM.

DOctus ab Elysia redeat si valle Catullus;
Ingratosque trahat Lesbia sola choros:
Non tam mendosi mœrebit damna libelli,
Gestiet officio quam, Joviane, tuo.
Illic tibi amplexus, atque oscula grata referret;
Mallet & hos numeros, quam meminisse suos.

XIV.

DE CÆSARE BORGIA.

QUi modo prostratos jactarat cornibus ursos,
In latebras taurus concitus ecce fugit.
Nec latebras putat esse satis sibi. Tibride toto
Cingitur, & notis vix bene fidit aquis.
Terruerat montes mugitibus: obvia nunc est,
Et facilis cuivis præda sine arte capi.
Sed tamen id magnum; nuper potuisse vel ursos
Sternere, nunc omnes posse timere feras.
Ne tibi, Roma, novæ desint spectacula pompæ;
Amphitheatrales reddit arena jocos.

XV.

AD EUMDEM, DUM AB URSINIS *PREMERETUR.*

OTaure, præsens qui fugis periculum:
(Nam te nec odio, tædiove tam bonas
Spreviisse silvas, tam bonos putem lacus)
Dic, quis propinqua nubibus tibi juga
Molestus invidet? juga illa jam tuis
Sudata cornibus, tuisque prœliis
Devicta? quis saltus, & amnium uberes
Cursus, torosque marginum virentium?
Quis uda rivis prata? quis recondita
Nemora? quis umbras sibilantium arborum
Male advocatus abstulit tibi deus?
Non amplius videbis, ah miser, miser,
Amata regna; non videbis amplius

Tuos amores; non licebit, heu, tibi
Posthac cubanti sub genistulis tuis,
Mollive fulto niveum amaraco latus,
Audire voces ruminantium gregum;
Meridianum non inire somnulum.
Quæ nunc adibis tesqua? quæ petes loca,
Miselle taure? quas subibis ilices?
Ubi myricæ? ubi virentis arbuti
Jucunda sedes? ubi salicta, & omnibus
Eheu juvenca præferenda pascuis?
Juvenca, solos quæ relicta ad aggeres
Padi sonantis, heu malum sororibus
Omen, dolentes inter orba populos
Te te requirit, te reflagitans suum,
Implet querelis nemus; & usque mugiens
Modo huc, modo illuc furit, amore perdita:
Omnia peragrat arva; lustrat omnia;
Num qua bisulcæ signa cernat ungulæ:
Quærit per alta montium cacumina;
Quærit per ima vallium cubilia,
Memor locorum, non tamen sui memor:
Te mane primo, te rubente vespero
Luget: nec illam Luna quum recurreret
Cælo, nec atræ noctis alma sidera
Videre dormientem. abire flumina,
Abire Solem, abire cernit omnia;
At ipsa mœstam sola non abit domum,
Humi recumbens, strata sub nudo æthere.
Hanc & puellæ nemorum, & ipse corniger
Silvanus adspicit; hanc bubulcus intuens,
Miser bubulcus, nec juvare eam valens,
Tantum, quod unicum in malis refugium habet,
Suspirat, ingemit, deûm invocat fidem,
Iratus ursis, quod coëgerint procul
Abire silvis albulum juvenculum,
Et tam venustam clamitare buculam.

XVI.

XVI.

IN GEMMAM SUAM.

HÆc, mihi quæ roſeos juſſit ſordere hyacinthos,
Et nitet articulis unica gemma meis;
Cujus in exiguo ductor ſtat Troicus orbe,
Anchiſeſque ſenex, Aſcaniuſque puer:
Quis credat? veteres inter neglecta ruinas,
Et vili latuit ſemiſepulta ſolo.
Tu tamen obrueras; nec te, Sinueſſa, pudebat
Hoc decus heu terris occuluiſſe tuis.
Scilicet Ænean natumque patremque gerentem,
Ignibus ereptos obruereſque deos?
Parcere debueras, cui jam pia flamma pepercit;
Nec te tam turpi dedecorare nota.
Et dubitem Belgaſque feros, rigidoſque Britannos
Hac comite, ignotos & penetrare ſinus?
Hæc eſt Iliacos pietas ſpectata per ignes;
Quum verita eſt profugos lædere flamma deos.

XVII.

DE VENERE, ET MARTE.

DUm Venus armatum complectitur obvia Martem;
Diſtrinxit teneram fibula adunca manum.
Senſit, & ante Jovem ridens ait æmula Pallas:
Bella iterum geſſit cum Diomede ſoror.

XVIII.

DE ENDYMIONE, ET LUNA.

SPreverat hirſutas paſcentem Pana capellas
Candida nocturnis quæ dea fertur equis.
At poſtquam niveæ conſpexit munera lanæ,
Poſthabuit notas Endymionis oves.
Qui ſimul ac triſtes ſomno inclinarat ocellos;
Mors hæc, mors, inquit, non mihi ſomnus erit.

XIX.

DE FERDINANDO JUNIORE.

COrniger æſculea Faunus recubabat in umbra;
Quum prope latrantes ſenſit adeſſe canes.

Mox

Mox juvenem ſuperis ſimilem, divinaque tela
Conſpiciens, trepido ſic movet ora ſono:
Seu Mars, ſive alto Phœbus deſcendis olympo;
Jam jam linquo omnes te veniente feras.

XX.

DE POGGIO FLORENTINO, HISTORICO.

DUm patriam laudat, damnat dum Poggius hoſtem,
Nec malus eſt civis, nec bonus hiſtoricus.

XXI.

DE BARTH. PLATINA.

INgenia, & mores, vitaſque, obituſque notaſſe
Pontificum, argutæ lex fuit hiſtoriæ.
Tu tamen hinc lautæ tractas pulmenta culinæ:
Hoc, Platina, eſt, ipſos paſcere Pontifices.

XXII.

DE DIANA, ET FERDIN. II.

ERrabat Diana ſuis immiſta puellis;
Quum procul ecce mei conſpicit ora ducis;
Atque ait: Huc, Nymphæ, concedite; nãque propinquat,
Qui regat in ſævas certius arma feras.

XXIII.

DE MANE, ET VESPERE.

SOl jubet exoriens, Faunos, Dryadaſque puellas
Quærere, & herboſo ducere monte choros.
Declivis, vitreas ſuadet deſcendere ad undas,
Doridaque, & luſus, o Galatea, tuos.
Cauſſa patet: quia, ſublimes quum tendit in arces,
Nos quoque per ſaltus, & juga ſumma rapit.
Quum vero Heſperios petit imæ Tethyos amnes,
Exemplo ad fontes nos vocat ipſe ſuo.
Hinc adeo natura hominum loca mane requirit
Ardua; cæruleis veſpere gaudet aquis.

XXIV.

DE VULTURNO, ET PUERO REGIO.

MIramur tacitis Vulturnum currere lymphis,
Et tardos dura compede ferre pedes.

At

At magis occulto mirabimur urier igni,
Et puerum tota nocte vocare ſuum.
Tune etiam, formoſe puer, vaga flumina torques? 5
An fuerit reges perdomuiſſe parum?
Quinetiam combure deos, dominoque deorum
Arma move; & pulſo da Ganymede merum.

XXV.

IN QUINTIUM.

CLara tibi videor ſcripſiſſe Epigrammata, Quinti.
Sunt, fateor: medio ſcripſimus illa die.
Tu latebras obſcurus amas; quia lumine nullo,
Atque intempeſta ſcribere nocte ſoles.

XXVI.

DE MERCURIO, ET AMORE.

DUm comes aligero Cyllenius iret Amori
Aliger, incauto ſubripuit faculas.
Deprenſo tum fure, manum referebat ad arcum;
Sed non inventa riſit Amor pharetra.

XXVII.

IN TUMULUM HANNIBALIS.

HAnnibal huc victas ſecum Carthaginis arces
Tranſtulit: hæc ambos terra Libyſſa tegit.

XXVIII.

DE VENERE, ET JUNONE.

COnfidit nimium jaculo dum pulcher Adonis;
Inguina ſetoſus candida rupit aper.
Accurrit miſeranda Venus. tum nupta tonantis;
Quid gemit hæc? nullo Mars meus ictus apro eſt.

XXIX.

IN FABIANUM.

ESse tibi ſapiens, & vir, Fabiane, videris:
At mihi nec ſapiens, nec, Fabiane, vir es.

XXX.

DE PRÆTORE PRÆSIDE DESIDE.

AIt nefaſtas eſſe nundinas prætor;
Fari recuſat: quid nefaſtius dicas?

XXXI.

XXXI.

ATRAMENTUM SCRIPTORIUM.

FERRUM putre ſitu ſpumanti fervet aceto,
Mandet ut æternis ſcripta voluminibus.
Scilicet hoc illud, vatum volitare per ora,
Hoc eſt, Pyramidas vincere, Nile, tuas.
Infelix fatum! ſanies rubiginis ergo
Eripit inviſo nomina noſtra rogo?

XXXII.

AD FEDERICUM REGEM.

NE tibi non aliquid Jani miſiſſe Calendis
Arguar, aut lætam non celebraſſe diem:
Mittimus hibernis ſervatas menſibus uvas;
Inſuper & fauſtas addimus ore preces;
Ut tibi qui nitido cum Sole renaſcitur annus,
Felici redeat candidus uſque pede.

XXXIII.

IN MANCINUM.

QUI ferro fratres, ſtupro, Mancine, ſorores
Fas violare putat; quid putat eſſe nefas?

XXXIV.

TUMULUS MAXIMILLÆ.

HIC hic ſiſte, precor, gradum, viator.
Hoc ſub marmore Maximilla claùſa eſt:
Quacum frigiduli jacent Amores,
Et Luſus, Venereſque, Gratiæque.
Hanc illi miſeræ ſevera Clotho
Pro dulci thalamo domum paravit.
Has matri dedit, has patri querelas
Pro plauſu, choreiſque nuptiarum.
Quid firmum tibi, quid putes, viator,
Manſurum inviolabile, aut perenne?
Si quæ deliciæ jnvenculorum,
Et decus fuerat puellularum,
Nunc eheu jacet ecce Maximilla,

Lu-

Luctus perpetuus juvenculorum,
Æternæ & lacrimæ puellularum.

XXXV.

DE MIRABILI URBE VENETIIS.

VIderat Hadriacis Venetam Neptunus in undis
Stare urbem, et toto ponere jura mari:
Nunc mihi tarpejas quantumvis, Juppiter, arces
Objice, et illa tui moenia Martis, ait.
Si pelago Tibrim præfers, urbem adspice utramque:
Illam homines dices, hanc posuisse deos.

XXXVI.

DE ALFONSO DUCE CALABRIÆ.

ALfonsus magnum dum trajicit Apenninum,
Caſtraque non ſolita primus in Alpe locat:
Armorum ſonitus, galeaſque, ærataque tela
Silvarum dominæ pertimuere deæ.
Nec minus occultas Satyri petiere latebras,
Aſſueti imbelles ante videre feras:
Spectaruntque procul celſa de rupe ſilentes;
Agmina dum, & magnos cogeret ille duces.
Atque aliquis ſigna adſpiciens, miratur, & inquit:
Imperium vobis urbis, & orbis erit.

XXXVII.

DE INNOCENTIO VIII. PONTIFICE MAX.

INnocuo priſcos æquum eſt debere Quirites:
Progenie exhauſtam reſtituit patriam.

XXXVIII.

AD VENEREM.

QUid mihi te facilem blandis promittis ocellis,
Si miſerum ſic poſt uris, acerba Venus?
Non decet hoc ſuperos. aut te mihi fronte ſerena
Concilia, aut torvo lumine bella move.

XXXIX.

XXXIX.

DE GALLA.

OMNES, quos ſcripſi, verſus vult Galla videre:
Mittam ego, pro libris ſi mihi labra dabit.

XL.

DE VETUSTINO.

EMIT ſepulcro prædium Vetuſtinus,
Sed quod futuros non ſequatur heredes;
Iratus æque mortuiſque, viviſque.
Scribique curat grandibus notis, demens,
VIGINTI. IN. AGRO. IN. FRONTE. TER. PEDES. OCTO
Habitat ſub urbe ſcandulis tribus tectus;
Ne penſione degravetur, aut ſumtu.
Dormit grabato, quo nec ipſe jam vellet
Dormire cimex, nec lacerta, nec ſorex.
Cœnat per hortos alliumque, cæpaſque,
Et ſalgamorum jure lividos caules:
Vel, ſiquid optat unctius ſibi poni,
Piſcatur ipſis in paludibus ranas:
Aut e cloaca colligit meras ſordes,
Putrem palumbum, mortuumve caponem.
Et doliorum turbidam bibit fæcem,
Tamquam Falernum conſulare, vel Chium,
Opimianæ quod refuderint cellæ.
Nec jam profeſtis hoc, ſed Idibus tantum
Sacriſque potat ferculis Calendarum.
Et mane veſte currit anxius rapta
Ad architectos, marmorumque ſectores,
Ut de ſepulcro conſerat novas lites.
Quos jam miſellos peſſimis modis mulctat;
Ducit, reducit, diſtrahit, rapit, vexat,
Per angiportus, viculoſque, clivoſque,
Et per ruinas urbis, & per anfractus:
Monſtrat theatra, porticuſque priſcorum,
Arcuſque claris principum ſacros armis;
Hinc & deorum templa, & obrutas thermas,

Et

Et quidquid altis fornicum ſubeſt clivis:
Nec jam faviſſas linquit, & nigros manes.
Demum trecentis quum laboribus fractos,
Et æſtuantes pariter, & fame ſiccos
Vix officinæ poſt meridiem reddit
Jam feriatæ, veſtibuſque adhuc clauſæ;
Culpat coronas, zophorumque permutat:
Spiras reformat, & ſcapos columnarum:
Et nunc Etruſcas, nunc Corinthias mavult:
Nunc Doricarum laudat ordinem tantum;
Guttas, triglyphos, tænias, toros, plinthos.
Quid cum columnis nunc tibi, Vetuſtine,
Aut cum voluta, Joniciſve pulvinis?
Dormi, miſelle; ſat diu laboraſti:
Cœnare feſſos & aliquando permitte.
Aut, ſi ſepulcri cura te coquit tanta,
Cadaver iſtud vel Gemoniis conde.

XLI.

IN TUMULUM NEÆRÆ.

QUÆ voces? Charitum. quæ circum pompa? Neæræ.
Unde odor hic? cineri tura miniſtrat Amor.
Unde pyra? ex pharetra. quinam ſtruxere? Lepores.
Aſt hæc illacrimans quæ legit oſſa? Venus.
Fortunate lapis, tumuloque beatior omni!
Tu tegis in terris ſiquid honoris erat.

XLII.

DE HYBLA.

HYBLA, mei quondam dulciſſima cura Marulli;
Hybla, ſuburbano nuper humata ſolo:
Accipe quæ multo promuntur verba dolore:
Accipe de lacrimis humida ſerta meis.
Te roſa, te violæ, te mollis amaracus ornet:
Te pia ſuſpenſo pondere velet humus.
Et tibi, quod raræ poſſunt ſperare puellæ,
Contingant vatis carmina docta tui.

XLIII.

XLIII.

DE AUFIDIO.

DUM caput Aufidio tractat chirurgus, & ipſum
Altius exquirit, quo videat cerebrum;
Ingemit Aufidius: Quid me, chirurge, fatigas?
Quum ſubii rixam, non habui cerebrum.

XLIV.

AD ALFONSUM.

QUI prius Herculeæ ſenſit leo vulnera clavæ,
Hic, Alfonſe, tuos corruet ante pedes.
Quæque viret noſtras quercus paſſura ſecures,
Deſeret immundos fulmine tacta ſues.
Victa dabit Bellona manus: Pax arva reviſet.
Claudentur diræ Marte ſedente fores.
Tunc pia Parthenope lætos tibi ducet honores.
Per fora, per vicos otia vulgus aget.
Sebethoſque pater fluviis metuendus Etruſcis,
Aurea cæruleum tollet ad aſtra caput.

XLV.

IN LYDAM.

QUUM dixi medio tibi macram algere ſub æſtu,
Non dixi fluvium, Lyda: quid ergo? cutem.

XLVI.

IN OLLUM.

OMNIA facturum te dicis, nil facis, Olle.
Nil mirum: levius dicere, quam facere eſt.

XLVII.

AD RUFUM.

TAMQUAM priſca mihi, ſaxoque inventa vetuſto,
Diſticha, Rufe, ſoles ſæpe referre tua.
Stultum adeo, me, Rufe, putas? ego tam mala credam
Carmina Romano marmore poſſe legi?
Archemoro longos adfingis Neſtoris annos.
Andromaches puerum Laomedonta vocas.
Deſine mentiri Pyliam, Phrygiamque ſenectam.
Sint vetera hæc aliis, mi nova ſemper erunt.

XLVIII.

XLVIII.

DE CYPARISSO PUERO.

FLEBAT adhuc mœrens cervo Cypariſſus ademto,
Quum ſua conſpexit cortice membra tegi.
Delius exclamat: Quid noſtro, ſilva, dolore
Creſcis? tu Daphnen, tu Cypariſſon habes.

XLIX.

DE HARMOSYNE.

HARMOSYNEN quiſquis ſeu vir, ſeu femina vidit,
Deperit: anne oculos Actius unus habet?

L.

DE JUCUNDO ARCHITECTO.

JUCUNDUS geminos fecit tibi, Sequana, pontes:
Jure tuum potes hunc dicere Pontificem.

LI.

DE ÆNEA, ET DIDONE.

IMMEMOR ah miſeræ cur enſem linquis Eliſæ,
Nate dea? profugas non gravat ille rates.
Anne parum fuerat cauſſam dare mortis acerbæ,
Ni ferrum fugiens tu quoque triſte dares?
Tolle, precor, tumidas tecum hoc, jam tolle per undas
Diſceſſu, ſatis eſt, ſi perit illa tuo.

LII.

IN CÆCILIANUM.

SI tibi per genium fas eſt jurare Minervæ,
Per Veneris flavas, Cæciliane, comas,
Nec jubar excipitur Solis, nec cornua Phœbes,
Nec Capitolini crura, caputque patris:
Cur mihi tu ventrem, cur inteſtina deorum,
Hiſpana tactus relligione, ſonas?
Non pudet heu cælum rebus fœdare pudendis?
An credis magnos hæc quoque habere deos?

LIII.

AD MARINUM CARACCIOLUM.

O DULCE, ac lepidum, Marine, factum,
Dignum perpetuo joco, atque riſu,

Dignum verſiculis, facetiiſque,
Necnon & ſalibus, Marine, noſtris!
Ille maximus urbis imperator
Cæſar Borgia, Borgia ille Cæſar,
Cæſar patris ocellus, & ſororis,
Fratrum blanditiæ, quies, voluptas,
Montis pupulus ille Vaticani,
Ille inquam dominæ urbis inquinator
Cæſar Borgia, Borgia ille Cæſar,
Mœchus ille ſororis, atque adulter,
Fratrum pernicies, lues, ſepulcrum,
Montis bellua tætra Vaticani;
Quingentas modo qui voravit urbes
Imbutus ſcelere, & malis rapinis,
Urbes ſub ducibus ſuis quietas,
Quaſcumque aut Latium ferax virorum,
Aut Campania pinguis, aut per alta
Diviſi juga continent Sabini;
Hiſque ingeſſit Ariminum, Piſaurum,
Urbinum, Populoniamque magnam,
Camertes pariter, Forumque Livî,
Cornelîque Forum, Faventiamque,
Et quantum Æmiliæ eſt, Etruriæque,
Quantum circuitu hinc & inde longo
Neptuni lavat æſtuantis unda.
At nunc quis neget eſſe opus deorum?
Dum vecors animi impotente morbo,
Quærit plura, nec eſt potis miſellus
Explere ingluviem periculoſam;
Ecce ecce evomit. o Jovem facetum!
O pulchram Nemeſim! o venuſta fata!
Verum ſcilicet id, Marine, verum eſt,
Quod dici ſolet, en fides probat nunc;
Fortunam ſi avide vorare pergas,
Eamdem male concoquas, neceſſe eſt.
Ut jure evomere hunc putemus ipſum,

Qui

Qui tantum miſer hauſit oppidorum.
Aſt id omne, quod hauſit, oppidorum,
Quod quinque aſſiduis voravit annis,
Imbutus ſcelere, & malis rapinis,
Scis quot evomuit diebus? uno.
O lucem niveam! o Jovem facetum!
O pulchram Nemeſim! o venuſta fata!
O dulce, ac lepidum, Marine, factum!

LIV.

DE CÆSARE BORGIA.

AUT nihil, aut Cæſar vult dici Borgia: quid ni?
Quum ſimul & Cæſar poſſit, & eſſe nihil.

LV.

AD EUMDEM.

ONNIA vincebas: ſperabas omnia, Cæſar.
Omnia deficiunt: incipis eſſe nihil.

LVI.

DIES GENIALIS.

AURELI, perfunde meis unguenta capillis,
Tu ſuper & vernas ſparge, Nearche, roſas.
Sed prius æſtivum ramis defendite ſolem;
Et viridi mollem ſternite fronde torum.
Non plumæ, non picta juvant me ſtragula, nec quæ
Pavonis vario ſponda colore nitet.
Larga coronata diſponite pocula menſa,
Setino & gelidas adſociate nives:
Certatimque leves potanti inducite ſomnos.
Sic juvat ætatis ducere fila meæ.
An ſcimus miſeri, quid lux ventura minetur?
Vivamus: mortem fallere nemo poteſt.

LVII.

AD AMICAM.

DA mihi tu, mea lux, tot baſia rapta petenti,
Quot dederat vati Lesbia blanda ſuo.
Sed quid pauca peto, petiit ſi pauca Catullus
Baſia? pauca quidem, ſi numerentur, erunt.

Da mihi, quot cælum ſtellas, quot litus arenas,
Silvaque quot frondes, gramina campus habet;
Aëre quot volucres, quot ſunt & in æquore piſces;
Quot nova Cecropiæ mella tuentur apes.
Hæc mihi ſi dederis, ſpernam menſaſque deorum,
Et Ganymedea pocula ſumta manu.

LVIII.

AD BASSUM DE PHYLLIDE.

QUUM de cathedra, Baſſe, ſurgeret nuper
Mammoſa Phyllis; tunicæ mollis, ut ſæpe
His accidit qui obeſulas habent clunes;
Intravit illuc unde prodeunt auræ
Quæ de Sabæis meſſibus nihil ſpirant:
Quod ut animadvertit dicaculus quidam;
Urbaniorem ut ſe faceret, ait ridens:
Heus Phylli, quiſnam mordicus tenet veſtem?
Vorabit hanc, ni præcaves. Ad hunc Phyllis,
Immo, inquit, ut ſcias, ſibi labra abſtergit:
Accede, pupe, baſiare te nam vult.

LIX.

AD VESBIAM.

ADSPICE, quam variis diſtringar, Vesbia, curis.
Uror, & heu noſtro manat ab igne liquor.
Sum Nilus, ſumque Ætna ſimul: reſtinguite flammam,
O lacrimæ, lacrimas ebibe, flamma meas.

LX.

AD ÆGLEN.

SI tibi ſum Phœbus, ſi ſum tibi Juppiter, Ægle:
Cur tu non Daphne ſis mihi, non Danaë?

LXI.

AD PULICIANUM.

AIT neſcio quis Pulicianus,
Ni pulex mage ſit vocandus hic, qui
Unus grammaticus, ſed, his minutis
Vel longe inferior, minutiorque eſt;
Divinum ſibi paſſerem Catulli

Haud-

Haudquaquam bene passerem sonare;
Nec jam id esse quod autument legentes,
Sed quod versiculis parum pudicis
Ludens innuat ipse Martialis:
Da mi basia, sed Catulliana:
Quæ si tot fuerint, quot ille dixit,
Donabo tibi passerem Catulli:
Ut sit, quod puero poëta possit
Post longas dare basiationes,
Quod salvo nequeat pudore dici.
Proh dii, quam vafer es, Puliciane;
Solus qui bene calleas poëtas!
Nimirum, & quod ab omnibus probetur,
Mutandum quoque suspicaris illud
Quod nunc illepidumque, & infacetum
Mendosis Epigrammaton libellis
Insulse legit imperita turba:
Sic forsan tener ausus est Catullus
Magno mittere passerem Maroni:
Quum sit simpliciusque, rectiusque,
Mitti, dicere, mentulam Maroni.
Sed quid vos, Aganippides puellæ,
Ridetis? meus hic Pulicianus
Tam bellum sibi passerem Catulli
Intra viscera habere concupiscit.

LXII.

DE EODEM.

VANAS gigantum iras, & impetus graves
Miratur aliquis audiens mortalium;
Ausumque cælo vincula inferre irrita
Sævum Typhoëa, quum jugosum Pelion
Adderet Olympo, matre nec Terra satum
Agnosceret se se; impium donec pater
Iratus ardenti igne sustulit caput;
Ut par erat: nam quis petat sanus deos?
At nunc quis hoc, quis hoc ferat mortalium?

Iners, puſillus, unus heu pulex ciet
Turmas, cohortes, copias, manipulos
Muſcarum; & altos ſcandere adparat toros
Heroum, opacis qui ſub umbris arborum
Strati, ac perenni flore ſubfulti caput,
Ducunt quietem perpetem, æternam, optimam;
Nec noſtra curant dicta, vel facta amplius,
Ut qui beatos incolant tuti locos;
Et nomen alta in arce ſacrarint ſuum,
Functi periclis, & malis laboribus;
Cunctaſque Fortunæ improbæ calcent minas,
Ne dum puſilli pulicis morſus leves.
At tu, moleſte, amare, veſane, impie
Pulex, inepti concitator agminis,
Quo proripis te? quo vocas muſcarias
Iſtas phalanges? quo volatiles globos
Impellis audax? i procul, miſer, miſer,
I, criminoſe, maximam in malam crucem.
Haud fas quietas manium ſedes deûm
Muſcas ſubire, pulicumque copias.
Nil hic negotii vel tibi, vel peſſimis
Tuis maniplis: quid moraris, impie?
Abi profundam in noctem, & ultimum Chaos.
Speranda certe gloria hic nulla eſt tibi.
Quos dii probavere ſemel, hos ſemper probant.

LXIII.

ACTÆON MARMOREUS.

VIDERAT Idæo nudas in vertice divas
Phryx Paris, & dixit: Vincis utramque, Venus.
At ſi, Gargaphiis quam nos male vidimus undis,
Vidiſſet, poterat dicere: Cede, Venus.

LXIV.

ORPHEO RESPICIENTI.

HOc fuit, infelix, & adhuc heu reſpicis, Orpheu,
Quod te, quod miſeram perdidit Eurydicen.

LXV.

LXV.

ECHO LOQUITUR.

VIDI, arsi, flevi, tristemque (heu fata!) repulsam
Spreta tuli: sum nunc vox, sonus, aura, nihil.

LXVI.

EADEM JOCATUR.

QUUM facie caream, quæris, cur dicar imago:
Quum tua verba sequar, dic, ubi lingua mea est?

LXVII.

IN MALUM LIBRUM.

SI sapis, hospes, abi; miserum neu tange libellum.
Non hic Mæoniden, Virgiliumve leges:
Sed fœdas Bavii chartas, & olentia Mævi
Carmina, Romani dedecus eloquii.
Quid dubitas sacros incendia poscere lucos;
Abnuerit liquidas si dare Phœbus aquas?

ACTII SYNCERI SANNAZARII *NEAPOLITANI* EPIGRAMMATON

LIBER II.

I.

LAUDAT FEDERICUM REGEM.

Quum vehor picta vacuus phaselo;
Et modo septos jaculis echinos,
Nunc bene hærentes scopulis laboro
Vellere conchas:
Tange vocales, studiosa, chordas,
Musa; & auratum moderare plectrum:
Pauca de multis referamus acta
Regis amati:
Qualis herboso spatiata campo
Virgo, jam matris decus, & voluptas,
Nectit e solis violis coronam,
Cætera linquens.

Hic

Hic ubi veras imitatæ turres
Tot simul pinnis niveisque tectis,
Rupe Mergillina sedens, propinquum
Spectat in æquor,
Adsit ex imo Galatea fundo,
Nil timens sævos Polyphemi amores;
Nec mihi durum refluens canenti
Obstrepat unda.
Sit licet magnus, trepidasque turmas
Fregerit primis Federicus ausis;
Quum puer celsas penetravit Alpes,
Saxaque Rheni:
Texerit latis pelagus carinis,
Dalmatûm dites populatus urbes:
Senserit presso prope fulminantem
Ore Timavus:
Cinxerit sacra meritum corona
Et caput; Gallos quoniam feroces
Contudit: totas revocarit Orci ex
Faucibus urbes:
Nil tamen majus, nihil egit umquam
Fortius, quam quod titubante regno,
Quum sibi sceptrum, & diadema posset
Sumere tutus;
Conjugem caram, proprioque natos
Liquit, & fidas lacrimas clientum,
Fratris heu pulsam sobolem secutus
Per mare vastum.
Ergo nunc illi moderator alti
Ætheris; cui sunt pia facta curæ;
Regium frontis decus, & negatos
Addit honores.
O Fides, rarum, placidumque numen;
O mihi nullis reticenda sæclis;
Te te ego æternum prece, victimisque
Pronus adorem.

II.

DE ANDREA MATTHÆO AQUIVIVO.

CErnis, ut exsultet patriis Aquivivus in armis,
Duraque spumanti frena relaxet equo?
Quis mites illum Permessi hausisse liquores
Credat, & imbelles excoluisse lyras?
Consurgunt niveæ fulgenti in casside cristæ:
At clypeus torvo Gorgonis ore tumet.
Macte animo, rigidum Musas qui stringere ferrum,
Qui Martem doctos cogis amare choros.
Hæc ducis est virtus, non uni insistere palmæ;
Sed nomen factis quærere, & ingeniis.

III.

IN BUBONEM.

NAm quis te, inepte bubo, tam stolidus furor
Adegit importunum inire prœlium,
Isto indecenti rostro, & alis luridis?
Quid bellicosæ volucris, insulse, asperos
Lacessis ungues? desine, miser, dum licet;
Ne dormientis excites somnum tuo
Cum maximo, ut par est, malo, ac clade ultima.
Sed pervenire vis in ora vulgi; & hac
Via cupis, sceleste, fieri notior?
Non assequere; nec profecto tam bono
Fruere fato. An hoc pudendo sanguine
Se tingat aquila, fulminum & cæli immemor?
Ponenda honestæ mortis hæc spes est tibi.

IV.

AD MATHONEM.

UT mandem victura meis tua nomina chartis,
Dicis amicitiam te, Matho, velle meam.
Et tibi semper in ore duces, quos Grajus Homerus,
Quos noster Latia vexit in astra tuba.
Dumque ego sum tanti te judice; venit ab horto
Cum donis olitor bisve, semelve tuus:

Sci-

Scilicet æterni pretium mihi grande daturus
Nominis, & fidæ pignus amicitiæ.
O Matho, quam felix & amico, & vate reperto es!
Quam felix horto, muneribusque tuis!
Si quod diis genitis vix tot peperere labores,
Id tibi lactucæ, prototomique dabunt.

V.

DE PATRIA HOMERI.

SMyrna, Rhodos, Colophon, Salamin, Ios, Argos, Athenæ,
Cedite jam: cælum patria Mæonidæ est.

VI.

DE LUNA, ET PANE.

EFfudit longas Tegeæa in rupe querelas
Pan captus forma, candida Luna, tua.
Quumque levi calamos cera conjungeret, addit:
Prædata es sensus tu quoque, canna, meos.

VII.

IN TUMULUM AMARANTHÆ.

HIc Amarantha jacet; quæ, si fas vera fateri,
Aut Veneri similis, vel Venus ipsa fuit.

VIII.

AD FERRANDUM REGEM.

EX ferro nomen tibi sit licet, aurea condis
Sæcula; nam sub te principe nemo metit.

IX.

DE SUMMONTII PIETATE.

EXcitat obstrictas tumulis Summontius umbras;
Impleat ut sanctæ munus amicitiæ.
Utque prius vivos, sic & post fata sodales
Observat; tristes & sedet ante rogos.
Nec tantum violas cineri, ac bene olentia ponit
Serta; sed & lacrimis irrigat ossa piis.
Parva loquor: cultis reparat monumenta libellis;
Quum possint longam saxa timere diem.

At

At tu, vivaci quæ fulcis nomina fama,
Poſcenti gratas, Muſa, repende vices:
Ut quoniam dulces optat ſic vivere amicos;
Vivat, & in libris ſit facer ille meis.

X.

DE VENERE, ET DIANA.

INCULTAM adſpiciens ſilvis Cytherea Dianam,
Riſit, &, An tendes retia ſemper? ait.
Cui dea caſta: Feris cur non ego retia tendam;
Tendere ſi potuit vir tuus illa tibi?

XI.

AD ÆGLEN.

ABSENTEM quæris, præſentem deſpicis, Ægle.
Non redamas; ſed me vis in amore mori.

XII.

DE VENERE, ET PRIAPO.

TRACTABAT clypeum Marti placitura Dione:
Sævaque feminea ſumſerat arma manu.
Pone, dea, exclamat petulanti voce Priapus,
Pone; decent iſtas hæc magis arma manus.

XIII.

IN GELLIAM.

QUEM tu nunc patruum, nunc patrem, Gellia, dicis,
Hic tibi nec patruus, Gellia, nec pater eſt.

XIV.

IN FLACCUM.

NON largitur opes, & vult Epigrammata Flaccus.
Jure ſuo hæc poſcit; vult ſibi verba dari.

XV.

DE PETO COMPATRE.

PETUS deliciæ tuæ, Dione;
Uni cui Charitum ſales beatos,
Cui fontes dederas facetiarum,
Ac riſus ſimul eleganter omnes;
Petus mortuus eſt tuus, Dione,
Petus Compater uſque ad aſtra notus,

Qui

Qui puro niveæ colore mentis
Vincebat nitidiſſimos olores.
Cui de lacteolis tuis papillis
Donarunt violas Jocuſque, Amorque,
Donavit teneram Thalia myrtum:
Mox promens citharam decentiorem,
Verſus addidit eruditiores.
O ſævæ nimium, malæque Parcæ,
Veſtros non potuit tenere fuſos
Petus; qui rapidas domare tigres,
Qui duras potuit movere quercus,
Veſtras non potuit colos morari.
Sic, ſic occidis heu, miſelle Pete:
Nec te Pierides tuæ, nec ipſa
Quæ te per Paphon, & Gnidon virentem,
Per colles Amathuntios vocavit,
Fatis eripuere tam malignis.
At non unanimes tui ſodales,
Quos tu pectore tam pio colebas,
Quos triſtes obitu tuo relinquis,
Hoc duro tibi defuere caſu.
Quin me trans Ligerim, feroſque Celtas,
Luſtrantem Morinûm pigras paludes,
Dum quæro Oceani ultimos receſſus;
Veris nuntius obruit querelis.
Ergo quid tibi tam vagus viator,
Cui nec pulchra Neapolis, nec alti
Colles Pauſilypi, nec ipſe adeſſet
Sebethos pater, aut pater Veſevus;
Inferre exſequiarum, amice, poſſem?
Rupem, quam vagus hinc, & inde Nereus
Alterna veniens retundit unda,
Acceſſi; & procul angulo in ſupremo
Stans, ſupra pelagi alluentis æſtus,
Manes terque quaterque convocavi.
Hic fudi lacrimas amariores:

Hic

Hic vici gemitus vel unus omnes,
Omnes & ſimul omnium querelas.
Mox quamvis cineri tuo decentem
Pontanus tumulum pararit, ac te
Cognatas veneretur inter umbras;
Quamvis & diuturnius ſepulcrum,
Quod nec ſæcula vincere ipſa poſſint,
Divinis paret excitare chartis:
Noſtrum non tibi qualecumque munus
Inter frigora, ſolitudineſque
Ceſſavit; nec honore te ſupremo
Fraudavi miſer: hoc ſcit ipſa Tethys;
Scit late Oceani unda Gallicani.
Stant aræ tibi, ſtat videnda nautis
Terreni tumuli puſilla moles;
Et buxus ſuper, & dicata quercus.
Nam myrtum regio illa non habebat.
Quæ juſſit pietas ſacrare, ut eſſet
Naturæ tibi terminus ſepulcrum.

XVI.

IGNES NOCTURNI ROMÆ.

ADSPICIS, ut picti vultus imitetur olympi,
Certet & aſtriferos vincere Roma polos.
Scilicet hos, Auguſte, tibi largitur honores;
Ne cupias magni tecta videre Jovis.
Alta coronatæ jactant incendia turres:
Et Vaticano fulmina monte tonant.
Dumque palam tantos cupit oſtentare paratus
Urbs nimium in laudes ambitioſa ſuas:
Vivant aſtra, inquit, ſummo contenta tonante;
Pareat Auguſto dummodo Roma ſuo.

XVII.

DE TYRANNIS, ET BRUTO.

QUUM tot Tarquinios paſſim conſurgere cernas;
Miraris, Brutum cur ferat Italia?

XVIII.

XVIII.

IN TUMULUM PUERI.

NATE, patris, matrisque amor, & suprema voluptas,
Accipe, quæ nobis te dare par fuerat.
Busta eheu, tristesque notas damus; invida quando
Mors immaturo funere te rapuit.

XIX.

DE HERCULE, ET GANYMEDE.

PALLUIT Alcides teneri Ganymedis amore:
Et vetus amissi cesserat ardor Hylæ.
Quid linquet nobis puer hic? ait uxor: honores
Eripuit quondam, nunc rapit ecce virum.

XX.

IN UFENTEM CRAPULATOREM.

NON futuit, non pædicat, non irrumat Ufens:
Ista olim: quid nunc? aut vomit, aut comedit.

XXI.

IN DEGENERANTEM.

NOMEN avi, non facta refers: dicéris ab illo
Alter; sed juvenis tu, precor, ille senex.

XXII.

DE JOVE, ET CUPIDINE.

DE Veneris nato questa est Dictynna tonanti,
Quod nimis ille puer promtus ad arma foret.
Tum pater accito ostendens grave fulmen Amori,
Hoc tibi, sæve puer, spicula franget, ait.
Cui lascivus Amor motis hæc reddidit alis:
Quid si iterum posito fulmine cycnus eris?

XXIII.

IN RICCIUM.

ÆGROTAT sedis vitio, & male Riccius audit.
Quid, si esset surdis Riccius auriculis?

XXIV.

DE DANAE, ET JOVE.

FORMOSAM Danaën munibat ahenea turris:
Et satis hoc vanus credidit esse pater.

In-

Indoluit, teneræ miſeratus fata puellæ
Juppiter, & ſubito factus amator, ait:
Ergo arcere potes natam diviſque, viriſque:
At ſi non arces imbribus, imber ero.

XXV.

DE LUCIO GRAMMATISTA.

NOCTES, & noctes iterat dum Lucius, illi
Perpetuam noctem præbuit altus Arar.

XXVI.

DE VULCANO, ET VENERE.

HORRIDA cælicolis narrabat prœlia Mavors,
Sævaque terribili capta trophæa manu:
Quod Venus audiret, doluit Vulcanus. &, Heus tu,
Inquit, an exſpectas, ut mea vincla canat?

XXVII.

DE SE IPSO.

MIRARIS, liquidum cur non diſſolvor in amnem,
Quum numquam ſiccas cogar habere genas.
Miror ego, in tenues potius non iſſe favillas,
Aſſiduæ carpant quum mea corda faces.
Scilicet ut miſero poſſim ſupereſſe dolori,
Sic lacrimis flammas temperat acer Amor.

XXVIII.

DE HERCULE, ET JOVE.

PENDEBAT Phrygii Tirynthius ore miniſtri;
Delicias magno dum facit ille Jovi.
Tum pater, haud equidem favi, fortiſſime, dixit,
Formoſum rapuit quum tibi Naïs Hylan.

XXIX.

DE VENERE, ET SOLE.

INDUERAT thoraca humeris, galeamque decoro
Aptarat capiti, Marte jubente, Venus.
Nil opus his, Sol, diva, inquit: ſumenda fuerunt,
Quum vos ferratæ circuïere plagæ.

XXX.

XXX.

CATONIS TUMULUS.

HIc, ubi Libertas, magni & jacet umbra Catonis,
Quam melius poterant Cæsaris ossa tegi!

XXXI.

DE VENETORUM SIGNIS.

ROmanas Aquilæ postquam liquere cohortes;
Magnanimus turmas ducit in arma Leo.

XXXII.

DE ANDREA MATTHÆO AQUIVIVO.

DUCE HADRIÆ.

MOesta Bituntinæ duxerunt otia Nymphæ,
Nec Faunis solitos exhibuere choros.
Scilicet optato quidquid sine principe cernunt,
Ingratum est; tantus principis urget amor.
Nec satis est, positis arcum spreviſſe sagittis,
Questubus & toros continuasse dies:
Aſt etiam nostris faciunt convicia terris:
Et nos Sirenas, Lotophagosque vocant.
Vera loquor: divæ, veniam date vera loquenti:
Non amor hic certe, sed magis invidia est.

XXXIII.

DE THELESINÆ CRINIBUS.

DUm nectit flavos auro Thelesina capillos,
Contraxit radios Phœbus, & erubuit.
Mox hæc ad superos: En auro jungitur aurum:
Hoc est mortales, hoc superare deos.

XXXIV.

IN GALEATIUM CARACCIOLUM.

HIppolyten, Leden, Thelesinam diligis unus:
Dic mihi, quid tota restat in urbe boni?

XXXV.

IN THEATRUM CAMPANUM.

DIcite, semidei, silvarum numina, Panes,
Et si qua adventu es Nympha fugata meo:

Cui licuit tantas ſaxorum evertere moles,
Quas jam disjectas vix nemora alta tegunt?
Hiſne olim ſueta eſt cuneis Campana juventus
Amphitheatrales læta videre jocos?
Nunc ubi tot plauſuſque hominum, voceſque canoræ,
Tot riſus, tot jam gaudia, tot facies?
Scilicet, heu fati leges! rapit omnia tempus;
Et quæ ſuſtulerat, deprimit ipſa dies.

XXXVI.

DE FONTE MERGILLINES.

Est mihi rivo vitreus perenni
Fons, arenoſum prope litus; unde
Sæpe diſcedens ſibi nauta rores
Haurit amicos.
Unicus noſtris ſcatet ille ripis,
Montis immenſo ſitiente tractu,
Vitifer qua Pauſilypus vadoſum excurrit in æquor.
Hunc ego vitta redimitus alba,
Flore, & æſtivis veneror coronis;
Quum timent amnes, & hiulca ſævum
Arva Leonem.
Antequam feſtæ redeant Calendæ
Fortis Auguſti, ſuperantque patri
Quattuor luces; mihi tempus omni
Dulcius ævo.
Bis mihi ſanctum, mihi bis vocandum,
Bis celebrandum potiore cultu,
Duplici voto, geminaque ſemper
Turis acerra.
Namque ab extremo properans Eoo,
Hac die primum mihi vagienti
Phœbus illuxit, pariterque dias
Hauſimus auras.
Hac & inſigni peragenda ritu
Sacra ſolennes veniunt ad aras

Na-

Nazarî, unde omnes tituli, meæque
Nomina gentis;
Nazarî vastas cohibentis undas
Æquoris, sævosque domantis æstus,
Quidquid & vani truculenta jussit
Ira Neronis.
O decus cæli, simul & tuorum,
Rite quem parva veneramur æde;
Cui frequentandas populis futuris
Ponimus aras:
Si mihi primos generis parentes,
Si mihi lucem pariter dedisti:
Huc age; & fontem tibi dedicatum
Sæpe revise.

XXXVII.

DIVO NAZARIO.

NATALI quod, dive, tuo lucem editus hausi;
Quod tua nascenti lux mihi prima fuit:
Actius hoc riguo parvum cum fonte sacellum
Dedico; tu nutu fac rata vota tuo:
Ut quæ Sextiles lux venerit ante Calendas
Quarta, sit hic generi bis celebranda meo;
Et quod solennes revocat tua festa per aras,
Et quod natalem contigit esse meum.

XXXVIII.

DE LAURO, AD NERITINORUM DUCEM.

ILLA deûm lætis olim gestata triumphis,
Claraque Phœbææ laurus honore comæ,
Jampridem male culta, novos emittere ramos,
Jampridem baccas edere desierat.
Nunc lacrimis adjuta tuis revirescit; & omne
Frondiferum spirans implet odore nemus.
Sed nec eam lacrimæ tantum juvere perennes,
Quantum mansuro carmine quod colitur.
Hoc debent, Aquivive, duces tibi, debet & ipse
Phœbus; nam per te laurea silva viret.

XXXIX.

IN TUMULUM COTTÆ VERONENSIS.

SPerabas tibi, docta, novum, Verona, Catullum:
Experta es duros bis viduata deos.
Nulla animum posthac res erigat: optima quando
Prima rapit celeri Parca inimica manu.
Quæ tamen ut vidit morientis frigida Cottæ
Ora, suum fassa est crimen, & erubuit.

XL.

IN PICENTEM MEDICUM.

QUod noctu latras, quod sellas olfacis unus;
Da veniam, Picens, hoc canis est vitium.
Sed quia tu Cynicus vis dici, & clinicus idem;
Esse idem poteris merdicus, & medicus.

XLI.

DE FERDINANDO JUNIORE.

SI merita audieris Ferrandi, Nestora credas:
Si numeres annos, dixeris Antilochum.

XLII.

IN QUEMDAM.

NE valeam, Superi, bene si facere hic pote, quem sors
Exsilio, & vinclis vexit ad imperium.
Et peream, ni cuncta evertere jam volet hic, qui
Nil meminit præter vincula, & exsilium.

XLIII.

TUMULUS, IN QUO PLORATUR *FILIUS UNICUS.*

CUr heu Lætitiam falso dixere parentes,
Tristitiam qui me dicere debuerant?
Natus erat miseræ lux unica matris, ocellus
Unicus; hunc Lachesis noxia subripuit.
I nunc, vel Nioben confer mihi; cujus habet sors
Hoc melius, fieri saxea quod potuit.

XLIV.

XLIV.

IN PICTURAM.

ANNA parens, cui cæleſtem ſperare nepotem
Contigit, intactæ virginis, Anna, parens:
Ut tandem te te meliori in ſede locares,
Credibile eſt artes edidiciſſe novas.
Scilicet obſcœnæ ſemper convicia turbæ,
Et ſcelera antiqui perpetiar domini?
Vix hæc; & medicas invadis protinus artes;
Nec mora, jam cæcis lumina reſtituis.
Accurrunt ægri; complentur compita rhedis;
Occupat anguſtas ſedula turba vias.
Ecce in quo picta es, paries exſcinditur; & te
Accipit hoſpitio nata benigna pio.
Nimirum ſapis, Anna; hoc contulit ipſa ſenectus:
Haud aliter poteras hæc caruiſſe domo.

XLV.

DE JUNONE, ET GANYMEDE.

JUSSERAT Iliacum menſis adſtare miniſtrum
Juppiter: at conjux, Quis mihi miſcet, ait?
Ille verecundis libat cryſtalla labellis:
Cui dea: Amatori da, puer, iſta tuo.

XLVI.

IN CATONIS LAUDEM.

QUÆ tegit exſtinctum cum Libertate Catonem,
Inſultat tumulis, Cæſar, arena tuis.

XLVII.

DE HOMERO IN LATINUM VERSO.

QUID ſeptem de vate ſacro contenditis urbes?
Ecce poteſt civem dicere Roma ſuum.
At vos aut noſtrum, ſi fas, auferte Maronem;
Aut alium vobis quærite Mæoniden.

XLVIII.

IN TUMULUM ASSANII.

TU, qui disjectos artus, inhumataque furtim
Aſſanii occulto membra refers tumulo;

Macte animi pietate, tamen nihil irrita busti
Gloria tam claros adferet ad cineres:
Quandoquidem voluit potius sic sparsa jacere,
Quam cadere ad tristes nobilis umbra rogos.
Nunc late exigui fines egressa sepulcri,
Eoum fama verberat Oceanum.
Contemsit dulcemque animam, floremque juventæ;
Sanguine ut agnato dedecus elueret.
Quumque hausit sævi stricto latus ense tyranni;
Laudem obitu statuit quærere, non tumulum.
Quodque magis mirere; hilaris, ridensque cruentos
Carnificis cultros cernere sustinuit.
Dissimulet patriam; taceat nomenque, genusque:
Qui facit hoc, dicit se Lacedæmonium.

XLIX.

IN TUMULUM CAUDOLÆ.

HEu quæ te rigidi rapuit vis effera fati;
Quis matri miseræ tot peperit lacrimas,
Flos veterum, Caudola, virûm? tibi mœsta sepulcrum
Illa dedit, tristes Actius hos titulos;
Hos titulos; qui te nigras descendere ad umbras,
Obduci Stygia non patiantur aqua.
Tempora miretur quivis sua: talis Achilles,
Talis, quum caderet, Martius Hector erat.
I, precor, i nullos non duratura per annos,
Nestoreos qui jam vivere dignus eras.

L.

DE JOVE, ET AMORE.

JUPPITER infractos jactat dum sæpe gigantes;
Et sibi servati dat decus omne poli:
Sic est, inquit Amor; namque hoc mugire solebas
Tunc quoque, quum torva fronte juvencus eras.

LI.

HYMNUS AD D. NAZARIUM.

NAzari, heu quis me tibi ad hanc supremi
Litoris ripam, quis ad hos putasset

Te-

Tethyos fluctus, quis ad has daturum
Tura paludes?
Poſt tot emenſos pelago labores,
Tot pererratos populos, ſub ipſo
Fine terrarum datur ecce amicum
Cernere numen.
Ergo in extremis, pater alme, terris
Barbaræ norunt tua ſacra gentes,
Qua latus dextrum Liger æſtuoſis
Objicit undis.
Jamque & Aulercos genus acre, & ipſos
Cernis ad te Lexovios citato
Eſſedo, & picta volitare flavos
Puppe Britannos.
O mihi ſemper geniale cæli
Sidus, o famæ decus omne noſtræ,
Auctor o idem mihi gentis, & ſpirabilis auræ.
Se tibi debet proavorum origo, &
Sanguinis ſi ſunt decora ulla noſtri:
Debet & præſens genus, & futurum,
Debet & hæc lux
Sacra; quæ magnum mihi prima Solem
Obtulit naſcenti, & inane aperti
Aëris, pulchroſque micantis æthræ
Tot ſimul ignes.
Hinc tuis per me dare grata templis
Munera, hinc natalitias coronas
Annuis fuevit ſociare ſertis,
Dum fuit hæc ſors.
Nunc in ignotis vagor ecce campis,
Regis heu cari exſilium ſecutus;
Dum fides, & fas, & amor, piuſque
Me rapit ardor.
I, puer, buxum nemore e propinquo
Collige, & ſiquas tibi litus offert

Quercuum frondes: celebrare mœſtum
Sic juvat annum.
O, ubi dulces patriæ receſſus
Abluis, Sebethe, loca illa myrto
Conſita; o, qui Pauſilypi virentes
Det mihi citros,
Qua tuum lambens maris unda fontem
Margines parvi minuit ſacelli,
Noſtrum opus; quo ſe recreet quotannis
Læta juventus.
Quæ tibi ſacris operata arenis,
Frondibus remos, celereſque cymbas
Ornat; & forſan mea nunc, ut olim,
Dona requirit.
Heu, pater, cur heu mihi ad inſtitutos
Non licet jam jam properare curſus?
Cur vetor templis, & adeſſe ludis
Rite dicatis?
Sit ſatis ventos toleraſſe, & imbres,
Ac minas fatorum, hominumque fraudes:
Da, pater, tecto ſalientem avito
Cernere fumum.

LII.

DE AMORE FUGITIVO.

QUÆRITAT huc illuc raptum ſibi Cypria natum:
Ille ſed ad noſtri pectoris ima latet.
Me miſerum, quid agam? durus puer; aſpera mater;
Et magnum in me jus altera, & alter habent.
Si celem; video, quantus deus oſſa peruret:
Sin prodam; merito durior hoſtis erit.
Adde, quod hæc non eſt, quæ natum ad flagra repoſcat,
Sed quæ de noſtro bella cruore velit.
Ergo iſtic fugitive, late; ſed parcius ure:
Haud alio poteris tutior eſſe loco.

LIII.

DE CAMILLA SCALAMPA MEDIOLANENSI.

FUMANTEM ambuſtis olim Phaëtonta quadrigis
Excepit rapidis fluctibus Eridanus.
Ecce recens, Ticine, tibi de Sole trophæum
Erigit auratis culta Camilla comis.
Nam deus ille tuis auſus concurrere ripis,
Majoris numen ſenſit adeſſe deæ.
O fatum fluviorum! ergo nova fabula veſtris
Semper erunt Nymphis aut pater, aut Phaëton.

LIV.

DE VIOLANTE GRAPPINA,

FEMINA PRÆCLARISS.

DIALOGUS VENERIS, ET AMORIS.

VEN. UNDE mihi has violas affers, puer? AM. accipe, mater;
Quando aliud calida de nive nil potui.
VEN. De nive tu calida violas? AM. perſtrinxit ocellos
Candor; & ecce, nivem quod puto, pectus erat.
VEN. Mira refers: ſed tela ubi ſunt illa aurea? AM. habebam
Quum legerem violas; nunc Violantis habet.

LV.

DE MORINNA.

SIT ſpectanda comis, ſit pulchro corpore tota;
Sit Venus, & blandas ſpiret ab ore roſas:
Aoniaſque deas, ipſam quoque Pallada vincat
Ingenio; & dulci pectore mella fluant:
Dum tamen ire mihi noctes Morinna quietas,
Et ſinat arbitrii libera jura mei.
Arſimus, & primos miſeri deflevimus ignes:
Hoc ſatis: extremo turpe in amore mori.

LVI.

AD ANIMUM SUUM.

ARSISTI; & miſeras conſumſit flamma medullas;
Aridaque in cineres oſſa abiere leves:

Fle-

Flevisti; roremque oculi fudere perennem;
Sebethus lacrimis crevit & ipse tuis:
Ardendi, flendique igitur quæ tanta cupido est?
O anime, exsequias disce timere tuas;
Neve iterum tua damna, iterum tua funera quæras:
Sirenum scopulos præteriisse juvet.

LVII.

DE CASSANDRA MARCHESIA.

DESINE formosæ dotes numerare puellæ;
Desine jam exstinctas sollicitare faces.
Nam dum sæpe comas, frontēque, humerosque, manusque
Commemoras; proprios exstruis ipse rogos.
Dumque oculis Cassandra, animo Cassandra recursat;
Cassandra heu mentis jus habet omne tuæ;
Blandus Amor tacitis subrepsit in ossa venenis.
Sic sibi vel fatum quilibet esse potest.

LVIII.

HYMNUS DIVO GAUDIOSO.

GAUDETE, cœtus virginum,
Plenas habentes lampadas:
Sponsus sacras ad nuptias
Venit repente: surgite.
Venit serenus Lucifer,
Nocturna pellens sidera:
Optata lux solennibus
Adest dicata gaudiis;
Lux clara, qua fugans nigram
Mundi sator caliginem,
Vestri latere gloriam
Patris diu non passus est;
Qua Gaudiosi segmina,
Tot inreperta sæculis
Suis videnda civibus
Dives retexit urnula.
O ter beate & amplius,
Lapis pusille, qui tuo

Tanti

Tanti verendum præſulis
Sinu recondis pulverem!
Præſul ſed o beatior,
Claræ decus Neapolis,
Tuæ benignus patriæ
Fer, Gaudioſe, gaudia.
Adſit fides, & veritas;
Adſit probata caſtitas:
Morbos, famem, pericula
Tuis repelle mœnibus.
Ergo tibi ſit gloria,
Inſeparata Trinitas,
Verbum, Paterque, & Spiritus,
Qui condidiſtis omnia.

LIX.

DE EODEM AD VESPERAS.

AUDIAT ſurgens pariter, cadenſque
Sol tuas laudes, meritoſque honores,
Urbis o noſtræ columen, tuæque
Gloria gentis.
Audiat cælum, mare, terra, & aër,
Annuos ritus tibi dum novamus,
Dum damus flammis adolenda ſacris
Tura per aras.
Huc ades feſta redimite fronde,
Cælitum plauſus, choreaſque linquens;
Et tuam ſedem, tua, Gaudioſe,
Oſſa reviſe;
Oſſa, quæ longa tumuli ſub umbra
Abdita, ignaras latuere gentes;
Nocte mox pulſa redeunt apertas
Lucis in auras.
Hic dies nobis celebet, precamur,
Lætior ſemper redeat, nec ullos
Hoſtium motus ferat, aut maligni
Sideris æſtus.

Da tuis longam, venerande, pacem
Civibus, da perpetuos honores,
Da bonam mentem, superique plenos
Luminis haustus.
Justa poscentes animos benignus
Adjuva; injustos moderare sensus.
Sentiant per te patuisse castis
Æthera votis.
Laus tibi, cæli pater, atque princeps,
Omnium rector simul & creator;
Quem fides veri studiosa Trinum
Credit, & Unum.

LX.

AD DIVUM NAZARIUM.

DIVE, cui vasti metuenda ponti
Vis, & iratæ famulantur undæ;
Quem per & spumas gradientem, & æstus
Nauta vocavit,
Ah miser pœnas pelago daturus,
Quum niger circumstreperet procellis
Auster, & turbata minax feriret
Sidera fluctus:
Te, mihi sanctum, patriumque numen,
Te canam, gentis columen Latinæ,
Auream prolem patris Africani,
Perpetuæque
Matris heu vulnus grave, dum relictis
Tibridis ripis, Italoque cælo,
Sponte trans Rhætos iter, & nivosas
Arripis Alpes;
Lacte depulsus velut ille, primi
Quem rapit cursus generosus ardor,
Pullus, & matrem fugit, & rapaces
Transilit amnes.
Mox & ad Rhenum, horribilesque tendis
Treverûm gentes animosus hospes,

Mor-

Morte festinans capere invidendæ
Præmia palmæ.
Hic, ubi e caræ gremio parentis,
Jam necis magnæ comitem futurum,
Excipis Celsum, pater, & salubri
Perluis unda.
Perluis totas, mora nulla, & urbes:
Undique exhaustis properatur agris:
Barbaros gaudent Druidæ sacrorum
Ponere ritus.
Nazarî nomen, meritique famam
Audiit, siquem Liger in remotis
Occulit ripis, refugove inundat
Sequana cursu.
Te neque injusti rabies Neronis,
Impios jam jam minitantis ignes,
Non per exsertos Anolinus urgens
Terruit enses.
Jam voluptatum, gelidæque victor
Mortis, & lapsi reparator orbis
Diceris, milesque peræque Iberis
Notus, & Indis.
Ergo speratum, genitor, triumphum,
Et parum factis meruisse cælum est:
Aureum vultu jubar, & coruscos
Fundis honores.
Salve io, magni nova lux olympi,
Cui per extentas operosa terras
Templa tot surgunt, calidisque fumant
Ignibus aræ.
Nos tibi hac grata scopulorum in umbra
Rite parvis ædiculam columnis
Ponimus: nos perpetuo sacramus
Munere fontem.
Accipe æstivam, nova serta, citrum, &
Virgines lautos, gracilesque myrtos,

Quos-

Quoſque Mergillina tulit propinquo
Litore odores.
O mihi longos liceat per annos
Hic ſacra, & feſtos renovare ludos,
Et tuum caſtis ſine fraude votis
Poſcere numen.

LXI.

DE FERDINANDO HAVALO, *PISCARIÆ PRINCIPE.*

ADMOVEANT iterum cælo ſi caſtra gigantes
Hoc duce, quo Ligurum gloria fracta jacet:
Cum Marte Enceladus, cum Phœbo ſigna Typhoeus
Conferet, ipſe Havalus cum Jove bella geret.

LXII.

IN NOLAM URBEM.

INFENSUM Muſis nomen, male grata petenti
Virgilio optatam Nola negavit aquam.
Noluit hæc eadem Joviano ruſtica vati
Hoſpitium parvæ contribuiſſe moræ:
Iccirco nimirum hoc dicta es nomine, Nola,
Nolueris magnis quod placuiſſe viris.
At tibi pro ſcelere hoc cœnoſos fuſa per agros
Exhauſit populos Styx violenta tuos.
Jamque quid, o nullis abolenda infamia ſæclis,
Imprecer? & cælum deſit, & unda tibi.

LXIII.

IN LYGDAMUM.

QUÆRIS, Lygdame, muſca cur voceris?
Nam muſca es, mihi crede, tam moleſta,
Quam nec ſunt culices, graveſque fuci,
Quam nec vermiculique, cimiceſque.
Unum te tamen arceat neceſſe eſt,
Turdelæ auxilium cacantis, ut te
Non muſcaria, milviique caudæ,
Non alæ accipitrum potentiorum
Avertant, abigantque ſævientem.

ACTII SYNCERI

SANNAZARII

NEAPOLITANI

EPIGRAMMATON

LIBER III.

I.

MARIÆ GARLONIÆ GRAPPINÆ.

ROPAGO formosæ arboris
Formosa virgo, quæ vagos
Inter orta Cupidines,
Veris lilia vincis,
Rosasque molles, & croci
Pulchre rubentis igneum
Florem, & uvidulas comas
Halantis hyacinthi:
Redisti avitos ad lares,
Felicem ocellulis tuis
Redditura Neapolim,
Caro adnixa marito:
Redisti ad optatos choros
Æqualium, & probos sinus
Matris, ac bene cognitum
Fratris dulcis amorem.

Quis

Quis o, quis hunc albo mihi
Signet diem lapillulo?
Quis Sabæa calentibus
Addat munera flammis?
Vocanda Muſarum cohors.
Huc huc, benigna; & abditam
Barbiton cape, myrteis
Frontem vincta coronis,
Thalia: quid dignum tuo
Promis favore? quid bonæ
Voce, vel fidibus ſtudent
Reſpondere ſorores?
Sed eſſe quid lætum, deæ,
Hic abſque amoribus poteſt?
Non movet Chione ſuis,
Non me Lyda papillis.
Procul faceſſant hinc malæ,
Sæcli pudor, libidines.
Mi ſat eſt, minuat graves
Si Garlonia curas.
Juventa, cur me tam cito
Ludendo inepta deſeris?
Hæc erat facies novis
Non fraudanda libellis.

II.

AD CASSANDRAM.

QUARTA Charis, decima es mihi Pieris, altera Cypris,
Caſſandra una choris addita diva tribus.

III.

SE FIDEM SERVATURUM.

SI poſt fata novos animas errare per artus,
Vera docent Samii dogmata nota fenis;
Nec pote mens eadem mutari, ſeu ferus altis
Erret aper ſilvis, ſeu vaga cantet avis:
Ipſe ego (mens quoniam eſt uni ſervire puellæ)
Exſurgam mœſtis turtur ab exſequiis.

IV.

IV.
AD FEDERICUM.

LITIBUS abſtinui ſemper; mihi teſtis Apollo eſt,
Et Muſæ, & ſtudiis otia grata meis.
Nunc me neſcio quis per triſtia jurgia verſat
Scotius, & rauci cogit ad arma fori.
Es fateor magnus pulſis, rex inclyte, Gallis:
Pelle etiam Scotos, & mihi major eris.

V.
AD EUNUM.

QUIDQUID erat tripodum Cumis, Delphiſque, petiſti,
Diſcere fortunam dum cupis, Eune, tuam.
At deus: Exſtabis ſupra regeſque, duceſque:
Veridico tandem rettulit ore tibi.
Tu tamen hinc vanos ſumſiſti, Græcule, faſtus:
Jam magni dominus, jam pater, orbis eras.
Ecce crucem aſcendis. non te deus, Eune, fefellit:
Omnia ſunt crepidis inferiora tuis.

VI.
AD PORCIAM BRANCIAM,
ET ISABELLAM SOROREM.

PORCIA, & Iſabella, venuſtæ pignora matris,
Dicite, quis veſtras non amet illecebras?
Tu quoque dic, tali quum ſis digniſſima partu,
Quis, Leonora, tuo nolit ab igne mori?
Natarum illecebris, matris ſimul ignibus uri
Qui cupit, is mortis flagrat amore ſuæ.
Vita, vale: in lucro eſt periiſſe: ſed hoc reliquum, Mors,
Quod finis, eſt ipſis vix ſatis exſequiis.

VII.

In nonnullis Editionibus hoc Epigramma occurrit, quod fortaſſe ab ACTIO rejectum, extra cæterorum numerum vagari cœpit.

QUUM A PATRIA DISCEDERET.

PARTHENOPE mihi culta, vale, blandiſſima Siren:
Atque horti valeant, Heſperideſque tuæ.
Mergillina, vale, noſtri memor: & mea flentis
Serta cape, heu domini munera avara tui.
Maternæ ſalvete umbræ: ſalvete, paternæ:
Accipite & veſtris turea dona ſocis.
Neve nega optatos, virgo Sebethias, amnes:
Abſentique tuas det mihi ſomnus aquas.
Det feſſo æſtivas umbras ſopor: & levis aura,
Fluminaque ipſa ſuo lene ſonent ſtrepitu.
Exſilium nam ſponte ſequor. Fors ipſa favebit:
Fortibus hæc ſolita eſt ſæpe & adeſſe viris.
Et mihi ſunt comites Muſæ: ſunt numina vatum:
Et mens læta ſuis gaudet ab auſpiciis.
Blanditurque animi conſtans ſententia: quamvis
Exſilii meritum ſit ſatis ipſa fides.

Actii Synceri Sannazarii Carminum Finis.



IL-

ILLUSTRIUM POETARUM CARMINA AD SANNAZARIUM, ET DE SANNAZARIO.

JOANNIS PARDI Responsio ad Eleglam II. Libri I. Sannazarii, quæ incipit: *Parde, decus patriæ.*

ACCI, *cui simplex peperit facundia nomen*
SYNCERI, *& vitæ candida simplicitas:*
Si pecus exiguum nobis, si commodus esset,
Qui pecus, & dominum pascere posset, ager;
Ipse quoque in silvis non dedignarer opacis
Vivere, quas magni diique deæque colant.
Ruris deliciis fruerer, ruriſque labores
Exciperem, fessis sæpius agricolis.
Hic ego longa meæ cupiissem stamina vitæ
Deduci, hic atram rumpere fila diem.
Par igitur nobis studium, disparque facultas;
Hinc sequimur vitæ munera disparia.
Ergo prædiolis tu, qui potes, utere avitis,
Pinguius & Siculis pasce pecus gregibus:
Mi quia nulla soli natalis cura relicta est,
Cura sit externi sidereique soli.

HIERONYMUS CARBO ACTIO SYNCERO.

QUum tibi cælesti faveat de virgine natus,
Mystica cui vatum sacra canenda dedit:
Quumque ingens nova Musa decus, laudemque pararit,
Innectens capiti Delphica serta tuo:

Famaque quum volitet circum plaudentibus alis,
Geſtiat & ſacræ limina adiſſe domus,
Quid ceſſas, SYNCERE, *fores reſerare, deamque*
Excipere, & docto continuiſſe ſinu?
Illa tibi referet, quanto exſpectata triumpho
Carmina, & ingenii ſint monimenta tui.
Surge igitur, vivenſque piæ cape præmia curæ.
Poſt cineres ſera eſt gloria, ſerus honos.

CLEMENTI VII. PONTIFICI MAXIMO

ANTONIUS DONATUS Andreæ Matthæi filius AQUIVIVUS Joviæ Comes.

EN tibi, ſumme pater, ſacros referentia partus
ACTIUS *Aonidum munera rara dicat.*
Quæ non furta Jovis, vanæ aut mendacia Cretæ,
Aut ortam ex undis commemorant Venerem:
Sed puerum cæli dominum, regemque, Deumque,
Quem peperit ſalva virginitate parens.
Fama canit ſoli vultus licuiſſe per artem
Lyſippo regis reddere poſſe ſui:
Hæc igitur ſi cura fuit mortalibus, ut ſe
Præclaro vellent fingier artifice,
Te merito CHRISTI laudes, pater alme, juvabit
ACTIACO *ſcribi carmine, non alio.*

Jo. JOVIANUS PONTANUS de Hortis Heſperidum libro II. ubi agit de Limonibus, & earum cultu.

QUalem prærupti ſub vertice montis, adeſo
Litore, ſeceſſu in molli, ſub rupe cavata,
Et Baccho felix, felix Amathuſide myrto,
Frondenti & lauro Neptunia Mergilline
Læta colit: non æſtus eam, non frigora tentant;

Non

Non rivi crepitantis opem, non fictilis urnæ
Exoptat sitiens, large quam Thespias unda,
ACTIAque *Aoniis irrorent dolia lymphis.*
Ah fatum crudele hominum, & sors invida votis!
Ignotos nunc per populos, per Gallica regna
Horrentem ad Rheni ripam, atque ad Norica saxa
Exsulat, Oceanique vada ad squallentia tabo
Navifragûm, extremos queritur SYNCERUS *ad Anglos.*
Interea sitiunt Citrii, ac Limonide in umbra
Torpet humus. decor ille horti fragrantis, & aurea
Pleïadum intereunt mala, ac sine honore relictum
Litus, & errantem dominum lacrimantur arenæ.
At Nympha e scopulis, summique cacumine saxi
Incusatque deos, cælumque & sidera damnat:
Et saxa, & miseræ responsant antra puellæ.

GABRIELIS ALTILII ad ACTIUM SYNCERUM, & M. Antonium fratres Epistolam Consolatoriam in matris funere quære infra in Carminibus ejusdem Altilii.

CHARITEI.

HOs libros Juvenalis, atque Persii
SYNCERUS *Charitëo sodali*
Misit ACTIUS, *optimus poëta.*
Ille maximus omnium poëta
Quos arguta Neapolis creavit:
Quem SANNAZARIUM *autumat vetustas:*
Mi dono dedit aureos libellos,
Ornatos minioque purpuraque.
Quare vos agite, o bonæ Camœnæ,
Meo nomine gratias amico;
Virgo cui faveat parens tonantis:
Tithoni ut superet perennis ævum,
Suis perpetuo & bonis fruatur.

JOANNIS PIERII VALERIANI.

O Fauſtos hodie meos ocellos,
Queis tantum licuit videre pulchri!
Ut nunc ſubſiliuntque geſtiuntque!
Ut cordi, utque animo, intimæ ut medullæ
Spargunt illecebras petulciores!
Queis demum licuit videre amatam
Illam illam faciem optimi poëtæ
ACTII, *qui Italicum melos polivit,*
ACTII, *qui columen chelys Latinæ;*
Qui ſummum decus Attici eſt leporis.
O fauſtos hodie meos ocellos!

Ejuſdem. ex Elegia ad ACTIUM SYNCERUM de Amantium Metamorphoſi.

TU vero, noſtri lux o clariſſima ſæcli,
Qui peſſum ævi hujus non ſinis ire decus,
Dum canis humana divinum in virgine fœtum,
Divinos partus, progeniemque novam:
Dum rapidum mediis ignem expiſcaris in undis,
Sive tibi Chloris, ſeu Galatea placet:
Quo modulante novem gaudent premere ora ſorores,
In numeros Italus, ſive Latinus eas:
Cur, ACTI SYNCERE, meum miſereris amorem,
Quo ſine dein nobis nulla futura ſalus? &c.

BASILII ZANCHII. ex Elegia in Lycinnam, ad ACTIUM SYNCERUM SANNAZARIUM. pag. 188. Carm. ed. Baſil.

ACTI, plectra movet cui lenia pulcher Apollo;
Gratia cui dulci ſemper in ore ſedet:
Te viridis Sebethus habet, te florea Tempe
Cantantem faciles inter Hamadryadas.

Nunc

Nunc molles Elegos, nunc culta Epigrammata pangis;
Nunc etiam magno digna Marone ſonas.
Nec pudet Arcadia carmen duxiſſe cicuta;
Quærere nec denſas Phyllida per ſalices:
Nec manibus tepidi tractare coagula lactis,
Nec calathos lentis texere viminibus.
Et tua litoreæ reſpondent carmina Nymphæ,
Saltat & ad numeros Naïca turba tuos.
Quidquid agis (nam te numquam ceſſare putandum eſt,
Tradere nec molli pectora deſidiæ)
Nemo eſt, crede mihi, te fortunatior uno,
Nec cui tot dederint numina delicias. &c.

Ejuſdem. Nænia in ACTIUM SYNCERUM SANNAZARIUM, ibid. pag. 159.

Succeſſor jam, Phœbe, tibi vaga cornua Phœbe
Junxerat, & puri fulgebant ætheris ignes:
Et faciem Tertæ nigrantibus horrida pennis
Texerat, & ſomnos feſſis mortalibus alma
Nox tulerat: quum me placidus ſopor occupat alta
Pauſilypi ſub rupe, novi qua lumina Solis
Proſpicit, & placido jactantes retia ponto.
Quam ſubter jacet apricis circumdata campis
Planicies: hic aura levis per florea Tempe
Ludit, & afflatæ flectuntur leniter herbæ.
In medio dulci crepitantes murmure rivi
Subſiliunt, circumque viret denſiſſima ſilva,
Ipſa ſuis manibus rerum Natura creatrix
Quam ſevit: non ulla comis decuſſit honorem
Ventorum vis ſæva: riget non illa pruinis,
Non nivibus ſolita eſt canis albeſcere ſilva,
Nec gemit, aut raptis nemus omne immurmurat umbris;
Æterno ſed vere tepet lætiſſima tellus.
Hic denſis non una ſedens philomela ſub umbris,
Nunc ſummo pendet ramo, nunc carmina mille

Concinit, & pennas radiis expandere geſtit.
Nunc querulos inter nidos confuſa volucrum
Turba canit, cantuque diem lætata ſalutat.
Ecce autem, dum membra rigat languentia ſomnus,
Extollens ſeſe tota mæſtiſſimus unda
Sebethus, viridi limo rorantia tectus
Corpora, muſcoſoque comas velatus amictu
Aſtitit, & mediis clarum ſeſe obtulit umbris,
Talia vociferans: Quis te, SYNCERE, *deorum*
Abſtulit, & noſtris invidit, candide, terris?
Hoc erat, hoc latices quod jam mirabar amaros,
Quod præruptа procul fumabant ſumma Veſevi.
Tu vero quid membra foves? age lumina ſolve
In fletum: lacrimiſque diu teſtatus ademtum,
Et tumulum ſtatue, & tumulo ſolennia mitte.
Confeſtim excuſſus ſomno ter pectora planxi,
Ter gemitu implevi triſtis nemora omnia circum:
Et tandem in fletum lacrimantia lumina ſolvi.
Tu mecum o, quæ ſaxa colis, quæ funera cantas
Conjugis amiſſi, triſtes meditare querelas,
Alcyone. vos o pictis Acheloides alis,
Antiqua Tellure ſatæ, conjungite luctus.
Tuque adeo, quondam felix, cantataque Muſis,
Parthenope, mecum inferias, & funera vati
Redde: iterum crines, iterum diſciſſa papillas,
Poſt magni occaſum, ſupremaque fata Maronis.
Quis nunc te nobis, qui nunc, SYNCERE, *deorum*
Abſtulit, & noſtris invidit, candide, terris?
Nimirum paullo ante feri data ſigna doloris:
Nec mens læva fuit. caput aureus occuluit Sol
Nube cava: ſeptemque dies, ſeptem æthera noctes
Vidimus in liquidos totum diſſolvier imbres:
Et mœrens canum excuſſit caput Apenninus,
Et caſtella humeris tremuere hærentia duris.
Nec tamen infletum linquam te, nobilis ACTI:
Accipe, terra, meas lacrimas; vos flebile carmen

Inge-

Ingeminate piis commotæ queſtibus auræ.
Te mecum e vitreis Lucrinæ Naïdes antris,
Te flebit conjuncta meis Euploea querelis,
Inarime, Prochyteque fero circumdata ponto,
Neſis, & aſſiduo pulſata Megalia fluctu:
Te placidus Limen, te felix palmite Gaurus,
Teleboûmque domus, dilectaque litora Bajæ,
Teque Dicarchæi portus; te proxima Cyme,
Ænariæque lacus celebres, & Veſvia rura,
Te referent veteris reſonantia ſaxa Minervæ.
Te Stabiæ, te terrigenûm perfuſa cruore
Terra gemet: funuſque tuum, laudeſque ſonabunt
Arva tibi dilecta, Ceres, tibi cognita, Bacche.
Vos patrii mecum, vos ſuſpirabitis amnes,
Flebitis & virides toto cum flumine ripæ.
Vos mecum rigidi montes, vos invia luſtra,
Vos gelidæ valles diſcetis flere, meique
Teſtes vos eritis circum nemora alta doloris:
Teſtis erit, quæ ſola gementibus ingemit Echo:
Teſtis erit, qui cuncta videt, qui luce recludit.
Præterea Serri in ripis viridantibus alti
Nulla erit e duro quæ non in cortice ſignet
Populus ah mœſtum, & ſemper lacrimabile carmen.
Quis nunc te nobis rapuit, SYNCERE, *decorum?*
En tibi Parthenope tumulum mœſtiſſima mater
Conſtruit, & Pario decorat tua funera ſaxo,
Atque ſepulcrales longinqua in ſecula pompas.
Has lacrimas, vulſamque a vertice Mergillina
Cæſariem, & violam, & candentia lilia fundit.
Has naſſas, hæc lina tibi, SYNCERE, *ſepulto*
Piſcator dicat: & ſoli cantare periti
Arcades hos calamos, & paſtoralia ſerta
Apportant: tu dona libens, tu vota benignus
Suſcipe, & o tantos præſens ſolare dolores.
Parva loquor: te Nereïdum, te docta ſororum
Muſarum venerata cohors, te mater Amorum

Fle-

Flebilibus modulata modis, tibi funera ſolvit,
Et tumulo lacrimas oculis turgentibus addit,
Et tumulo denſas inducit ſedula lauros:
Et Paphia veſtit myrto, & pallente corymbo:
Tum vivax apium, & Mileſia vellera donat,
Purpureaſque roſas, & purpureos amaranthos
Spargit, & ammineo redolentia mella Lyæo:
Æternoque tuum deſignat carmine buſtum.
Nereïdum, Pontique decus, SYNCERE, *ſepulcrum*
Hoc poſuere tibi formoſa Doride natæ.
Muſarum, Phœbique decus, SYNCERE, *ſepulcrum*
Hoc poſuere tibi pulchra Pimpleide natæ.
Idaliæ, natique decus, SYNCERE, *ſepulcrum*
Hoc poſuit tibi mœſta Jovis pulcherrima proles.
I felix: jam te Elyſii, ter magna, receſſus,
Umbra, manent, manet umbra tui divina Maronis:
Innumerique alii, queis vel tua cognita virtus,
Vel qui felices tecum vixere per annos.
I felix animi, fortunatuſque laborum.
Jamque vale, vale o vates: vos ſaxa valete.
Terra, tibi violæ ſint o, ſit perpetuum ver,
Quæ cineres vatis ſervas felicis, & oſſa:
Et Zephyri molle inſpirent tibi ſemper amomum.

Ejuſdem. Tumulus ACTII SYNCERI SANNAZARII. ibid. pag. 226.

HAs naſſas, hæc lina tibi, SYNCERE, *ſepulto*
Piſcator tenui dedicat arte Mycon.
Hos calamos, myrtumque tibi, viridemque coronam
Arcadia paſtor ponit ab arte Lycon.
Has lacrimas, vulſamque a vertice Mergillina
Cæſariem, & violas ſpargit, & ammineum.
Parthenope patria ipſa tibi de marmore buſtum
Condit, & extentis funera temporibus.
Quid moror? æterni te ſuſpicit umbra Maronis,
Et ſibi vicinum donat habere locum.

PETRI

PETRI BEMBI.

DA sacro cineri flores: hic ille Maroni
SYNCERUS *Musa proximus, ut tumulo.*

PETRI GRAVINÆ.

QUi divina legis SYNCERI *carmina vatis,*
Magnaque Virginei sacra Puerperii:
Non hæc humano credas procedere sensu;
Auctori mentem movit, & ora Deus.
Hunc sibi delegit, quo non cælestia quisquam
Grandius, aut pleno cultius ore sonet.

ANTONII TIBALDEI.

VIrginis intactæ Partum, Partumque videbis
ACTIA *quem docto pectore Musa dedit.*
Admirandi ambo: humanæ fuit ille saluti
Utilis, humanis hic fuit ingeniis.

NICOLAI ARCHII Comitis. ex Elegia ad Alexandrum Thienum.

IPse ego Parthenopen visam studiosus amœnam,
Claraque SYNCERO *litora culta seni.*
Illic est animus vos exercere, Camœnæ,
Magnus ubi cecinit pascua Vergilius.
Hic ego te, SYNCERE, *sequar:* SYNCERE, *tuo mi*
E sacro fas sit fonte levare sitim.
Tu canis Arcadici pastor pineta Lycæi:
Sebethi propter flumina pascis oves.
Et canis obscura cantantem nocte Lyconem:
Formosæ desles Phyllidis interitum.
Proteaque intacto mulcentem carmine phocas:
Vertis & in Salices pectora Naïadum.

Vir-

Virginis & celebras Partum graviore cothurno
Andini æquiparans carmina Vergilii.
Felices ſilvæ, quæ te ſenſere canentem,
Quæ audivere tuos æquora pulſa ſonos!
Seu te Pauſilypus, ſeu candida Mergilline,
Seu retinent cavæ litora Parthenopes:
Ipſe ſequar, modo tu non dedignere ſequentem,
Nec timeam iratum te duce adire fretum.
Quod ſi contingat, dominæ ſpernentur amores,
Et regum ſummæ deſpicientur opes.

M. ANTONII FLAMINII.

QUantum Virgilio debebit ſilva Maroni,
Et paſtor, donec Muſa Maronis erit;
Tantum pæne tibi debent piſcator, & actæ,
ACTI, *divine proxime Virgilio.*

Ejuſdem. Carminum Libro II. Elegia de ſe proficiſcente Neapolim. edit. I. Com. pag. 65.

PAuſilypi colles, & candida Mergillina,
Et myrteta ſacris conſita litoribus,
Si mihi poſt tantos terræque mariſque labores
Contigerit veſtræ limina adire DEÆ,
Limina, quæ vates ſpecula fundavit in alta
ACTIUS *Eois clarus, & Heſperiis,*
His ego pileolum figam, & calcaria, & enſem,
Et quæcumque vagus arma viator habet.

Ejuſdem ex Carmine XLIII. Lib. V. ad Marium Galeotam, edit. I. Cominianæ pag. 142.

TU ne, docte Mari, tuo ſodali
Potes conſulere, ut ſuas ineptas

Nu-

Nugas edat, & ora per virorum
Vagari ſinat? Actio ne veſtro
Me contendere vis? ego, inquam, amice,
Poſtquam is carmina tam venuſta, tamque
Polita edidit, audeam libellos
Meos edere? nonne, quæſo, id eſſet
Olori obſtrepere anſerem? &c.

Petri Angelii Bargæi Cynegeticon lib. IV.

..... Quique Aoniis gratiſſimus antris
Maxima virginei celebrat miracula partus;
*Tum * Muſas ſummis e verticibus Parnaſſi*
Voce vocans trahit æquoreas ad litoris undas.

Berardini Rotæ de Mergillina Synceri Sannazarii.

Qui venis Aonio quæſitum vertice Muſas,
Quære alio; hinc abeunt, hoſpitium iis aliud.
Mergillina tenet felici litore: tu ſi
Quæris eas, montem deſere, litus adi.

Cujuſdam de Sannazario.

Smyrnam olim decimum preſſiſti, Cinna, ſub annum:
Hic geſſit Partum bis duo luſtra ſuum.

Jo. Matthæi Toscani.

Plurima molitus præclara, per omnia ſummum,
Quod dare vel poterant ſingula, nomen habet.

Mar-

* Qui duo poſtremi verſus ex Areoſto deſumti videntur. vid. pag. 191. hujus volum.

Martis opus, dignum teſtatur ſanguine equeſtri:
Exſilio in regem eſt certa probata fides.
Sic illum piſcator amat, ſic acta remugit,
Ut pecoris cuſtos, ſilvaque Virgilium.
Jam ſacra quid vatum pepererunt pectora CHRISTO,
Virgineis quod ſe Partubus æquiparet?
Sed nova Mænalias quod ducis ad antra Camœnas,
Et calami Tuſcos edidicere modos,
Hoc proprium, SYNCERE, *tuum eſt: hoc Itala tellus*
Ante Syracoſii carmina vatis amat.
Tu belli, tu pacis honos: tibi denique lingua
Et renovata vetus debet, & aucta recens.

GEORGII FABRICII. Ex Itinere Neapolitano ad Caſparem Nævium.

-- -- -- -- -- deinde cavatum
Pauſilypi in tenebris, & iniquo lumine montem
Egreſſi, albentis templa ardua Mergillinæ
Ad mare conſpicimus, cycno fundata ſonoro:
Cujus vox ultra Gangen audita, Tagumque,
Dulcibus implevit vaſtum concentibus orbem.
Nec poterant magnis alia oſſibus oſſa Maronis
Conjungi melius, quam quæ ſunt juncta. &c.

GERMANI AUDBERTI in Parthenope pag. 7.

SYNCERUSQUE *ingens æterno carmine panxit*
Virgineos partus; & piſcatoria lina
Luſit, amata ſedens ad litora Mergillines.

NICOLAI HEINSII Dan. Fil. in Elegia cui titulus *Pauſilypus*, ad Caſparem Kinſcotium.

FOrſitan hac olim requieverit ACTIUS *umbra,*
ACTIUS *Auſoniæ fama ſuperba lyræ.*

Illum

Illum Aganippeæ raptum juga Mergillinæ,
Et vidua Siren fleſſe putatur aqua.
Tu quoque mutaſti veterem, Philomela, querelam:
Juſtior hinc lacrimis & pia cauſſa tuis.
Non facit invidiam dolor hic tibi, Tereos uxor.
Quam bona nunc mater, quam bona nupta fores!
Tune eadem, æternum tun' fleſti hic ante Maronem,
Daulias, ah mœſtis ingenioſa modis?
Tun' tantum, infelix, ſperaras ferre dolorem?
Quid tibi tunc animi, quid tibi mentis erat,
Quum gemitus Phœbea pios ad buſta trahentem
Percita funeſtis ſilva ſecuta ſonis?
Audit, & admonito geminantur vulnera luctu.
Flebilius certe, quam modo, viſa queri eſt.
Perge queri, miſeranda, queri ſine fine memento
SYNCERUMQUE *tuum, Virgiliumque tuum.*
At mihi ſit ſanctas venerari cominus urnas,
Aonium Tempe Parthenopea nemus.

LODOVICO ARIOSTO nel Canto XLVI. del ſuo Furioſo alla Stanza 17.

Veggio i ſublimi, e ſopr' umani ingegni
Di ſangue, e d' amor giunti, il Pico, e il Pio.
Colui che con lor viene, e da' più degni
Ha tanto onor, mai più non conobb' io.
Ma ſe me ne fur dati veri ſegni,
E' l' uom che di veder tanto deſio,
GIACOBO SANNAZAR, *ch' a le Camene*
Laſciar fa i monti, ed abitar l' arene.

† ANO-

† Anonymus de Actio Syncero Sannazario.

Ex Schedis MSS. adhuc ineditis Bibliothecæ Ludovici Beccatelli Archiepiscopi Ragusini in Jacobi Superantii Patricii Veneti insignem Bibliothecam illatis.

Quis, Syncere, queat meritas tibi reddere laudes?
Ante putem summi scandere regna poli.
Tu prius in silvis gracili modulatus avena
Pastores inter caprigenumque pecus:
Mollia per dumos cecinisti carmina Nymphis
Fertilis Arcadiæ per juga celsa vagans.
Nec tibi cerata meditanti carmina canna
Dulce sonans posuit Tityrus ante pedem.
Mox pecora, & rupes spernens habitare minantes,
Musa tibi Adriaci est incola facta maris.
Hic tibi contextæ celebrantur vimine nassæ
Rupibus appositæ, qua levis alga natat.
Retibus & tracti vicina ad litora pisces,
Conchaque, in extremum quam tulit unda sinum.
Nec minus hic dulcem docuisti mœstus amorem;
Fluctibus ille etiam nam sua regna tenet.
Ista quidem calamo primum meditatus agresti,
Lusisti, donec læta juventa dedit.
Ast ubi Musa favens, matura adolevit & ætas,
Acrior & pressa est corde tepente Venus:
Succurrit, (fato ne, incertum, an æthere ab alto
Jusserit, æternum qui regit astra, Deus)
Heroum nunc gesta gravi celebrare Thalia;
Namque decent magnos ardua cœpta viros.
Tunc placuit non facta hominum, non facta deorum,
Numina quæ prisci vana tulere patres:
Ast Patris ætherei Sobolem ostentare decoram,
Conceptam verbo quam bona Virgo tulit.
Quove aliis hæc facta hominum, præstantque deorum,
Hoc reliquos Vates vincere Musa dedit.

Mo-

Monitum ad Lectorem.

Vix iterum prodierant ex Cominiana typographia Carmina Sannazarii, quum vir doctus, noſtrique amantiſſimus, Alexander Branchetta Abbas Bononienſis, miſit nobis muneri exemplum Editionis vetuſtæ Neapolitanæ, rarę admodum ac pretioſæ, in qua Libri tantum de Partu Virginis, Eclogæ Piſcatoriæ, ac Lamentatio de Morte Chriſti continentur. Eam Editionem olim procuraverat Caſſandra Marcheſia, mulier nobilis, poëta ipſo conſentiente. Quum autem ea pauciſſimis nota ſit, exiſtimavimus propterea, nos gratum facturos hominibus elegantioribus, ſi de illa, variis ejus lectionibus, aliiſque rebus ſingularibus, quas in omnibus poſterioribus editionibus fruſtra quæras, Sannazarii amatores diligenter doceremus.

Liber eſt ampliore forma & magnifica, ut ex interioris marginis latitudine facile colligas: nam exterior in hoc exemplo noſtro detonſus valde eſt. antiquus videlicet libri poſſeſſor voluit eum libellis aliquot formæ minoris aptare, & in unum corpus compingere. id oſtendunt numeri paginarum manu exarati; quum nulli a typographo huic Editioni fuerint appoſiti. Paginæ ſingulæ viginti lineas continent, charactere quem typographi ſilvium *appellant. Spatium lineis interjectum adeo latum eſt, ut minus concinnum videri poſſit. Frons voluminis ex duabus tantum lineis conſtat inæqualibus. Litteræ in ea ſunt Romanæ, ac mediam paginam occupant: ita ſcilicet:*

SYNCERI.
DE PARTV VIRGINIS.

In averſa charta hæc leguntur, eodem characteris genere:

EXEMPLVM SEV COPIA APOSTOLICI BREVIS AD SYNCERVM

Quæ pagina his pariter Romanis litteris clauditur:

DILECTO FILIO ACTIO SYNCERO SANNAZARIO

Pagina 3. *occurrit Epiſtola, ſeu* Breve, *ut vocant, Leonis X. Pont. Max. cujus initium,* Dilecto Filio *&c.* Cum forte de claris ingeniis *&c. Legitur autem pag.* lxxiv. *hujus tertiæ Editionis noſtræ. Pagina* 6. *collocatum eſt Epigramma, quo Sannazarius Poëma de Partu Virginis inſcribit Clementi VII. Pont. Max. quod Editio hæc noſtra exhibet pag.* 2. *Pagina vero* 7. *incipit Poëma ipſum, cujus libri ſinguli deſinunt in hanc vocem,* FINIS. *Accipe, Lector, quiſquis es, lectiones variantes, quas in eo animadvertimus & probavimus.*

Editio Neapolitana Auctoris nutu edita anno 1526. *& hæc noſtra III.*	*Aldinæ an.* 1533. *&* 35. *Gryph.* 1536. *Oporin. ſine temp. not. & I. & II. Cominianæ.*
De Partu Virginis.	
Lib. I. v. 240. tacitæ	tacite
Lib. II. v. 95. ducere	dicere
162. Thermodonque	Thermodoonque
Gorius erroris accuſat Autographum Mediceum quod hanc ſequatur Lectionem; ſed vide finem hujus Moniti.	
165. Macetûm	Macedûm
288. accipere	acciperet
358. rigenti	regenti
ita etiam Aldi, & Oporini.	

Lib.

Lib. III. v. 169.	ingreſſus	adgreſſus
	202. hæc Virgo	hæc Virgo eſt
	287. humero	humeros
ita omnes editiones.		*at Gorius, & hæc noſtra, emendatius, vel certe elegantius.*
	288. Bryoque	Byroque
	298. adclinis	adclivis
cum Aldina, & Gorii.		
	425. Cyri	Cypri

noſtra hæc CYRI, *ut bene adverti poſſit.*

De hac vera & legitima Lectione vide a nobis notata in fine Deſcriptionis hujus Neapolitanæ Editionis anni 1526. *de qua nunc agimus in hoc ad te, Lector, Monito.*

Tertio demum libro abſoluto, invenitur Epiſtola Ægidii Viterbienſis Cardinalis, quam damus pag. LXXVIII. *Hanc excipit* Breve *Clementis VII.* Dilecto filio *&c.* Accepimus librum *&c. quod exhibemus pag.* LXXVI. *in cujus calce occurrunt hæc verba:*

Sequuntur piſcatoria.

Et quidem, pari typorum nitore ac magnificentia accedunt ſtatim Eclogæ V. & præterea Salices, quibus Romano charactere hic titulus præfigitur:

ACTII SYNCERI
SANNAZARII PISCATORIA.

Diverſæ horum poëmatum lectiones, quas ex eadem Editione ſumſimus, hæ ſunt:

Editio Auctoris, & hæc noſtra III.	*Aldinæ, Gryphianæ, I. & II. Cominianæ.*
Ecl. II. v. 76. exſtinguite	exſtinguere
Ecloga III. Qua ... recedit	Qui ... reſedit
v. 22.	Qua ... reſedit *Ald. & Gryph.*
v. 30. Nec	Et
v. 77. linquat	linquet
Ecl. IV. v. 16. Parthenope *ſola Neapol.*	Parthenopes *hæc noſtra cum ceteris.*
v. 67. vincit	jungit
v. 83. fors	ſors
Ecloga V. v. 49. pingueſcat	pingueſcit
quieſcat	quieſcit
v. 74. hinc	huic
in Salicibus v. 28. Penæa *Neapol. Ald. & Gryph.*	Peneï *Manutiana* 1535. *& I. & II. Com.* Penea *hæc noſtra.*
in Lam. de Morte Chriſti.	
v. 91. tumidos *cum Aldina* 1533.	timidos

His omnibus additur in vetuſto illo codice Lamentatio de Morte Chriſti. ſubſcribitur, FINIS. *Leguntur deinde verba ſequentia, quæ manifeſtam habent ac pulcherrimam declarationem, quantum Romanæ Eccleſiæ auctoritati Scriptor tribuerit, & quanta religione ac obſequio illam venerari ſolitus fuerit. Hæc autem declaratio in poſterioribus omnibus Editionibus omiſſa eſt; qua de cauſſa, incertum.*

Si quid in hiſce ſcriptis noſtris devium fortaſſe a ſanctiſs. illis Majorum decretis viſum judicatumve fuerit. qualecunque id ſit. Pontifici Summo: ac Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ caſtigandum Relinquimus.

Adjecta ſunt præterea nonnulla clarorum virorum teſtimonia de Sannazario, vinctâ & ſolutâ oratione; ſcilicet: Hieronymi Carbonis Epigramma, *quod hic legitur pag.* 179.

Hieronymus Carbo
Actio Syncero.

Antonii Thebaldæi Epigramma. *hic pag.* 187.

Ant. Thebaldæus
Lectori.

Petri Gravinæ Epigramma. *hic pag.* 187.

Petrus Gravina
Lectori.

Hieronymi Angeriani Epigramma.

Hieronymus Angerianus
Actio Syncero.

Flevit inops Momus; cum vidit carmina quæ tam
Culta facis, dixit: Sic ſacra Muſa canit.

Hieronymi Borgii Epigramma.

Hieronymus Borgius.

Femineum Virgo Solymæ genus inclyta tetræ
Ut radiis ſuperat lux decoratque ſuis:
Virginis ut Nato cunctos homineſque deoſque,
Syncero vates ſic ſuperare datum.
Felix Parthenope, quæ mira poëmata mundo
Pangis, aliſque novos Virgilioſque paris!

Idem Actio Syncero, & Andreæ Matthæo Aquivivo Hadrianorum Duci.

Non alio partus Synceræ Virginis altus
Quam, Syncere, tuo carmine dignus erat.
Et tibi, Dux procerum, grates, Aquivive, perennes
Orbis agit, tantum quo duce prodit opus.

Antonii Donati &c. Epigramma. *hic pag.* 180.

Clementi VII. Pont. Max.

Antonius Donatus Andreæ Matthæi
Filius Aquivivus Joviæ Comes.

Belisarius Aquivivus Neritinorum Dux
Actio Syncero Sannazario
S. D.

Debemus plurimum tibi, *Syncere Acti*, amicorum optime, quando tu vir quidem nobiliſſimo loco natus, amicis, temporibus, ætati tandem noſtræ ut ſatisfaceres, amicorum precibus ductus es, ut rariſſima carmina illa tua de Partu Virginis divinaque in lucem ederes. Quam ob rem & publice ab omnibus tibi habendæ ſunt gratiæ, & privatim a nobis agendæ, quod ſumma incredibilique hac voluptate, quin tui nominis gloria perfrueremur, privari nos minime permiſeris. Caruiſſemus ſiquidem illa, quæ tam & ſi nobis, qui te amamus, colimus, obſervamus, nota diutius fuerat, nunc tamen ita Chriſtianis omnibus innoteſcet, ut tibi merito ex carminibus tuis unuſquiſque noſtrum gratulari poſſit. Ea etenim ſunt, ut longe plures admiratores eorum, quam imitatores fore cenſeamus. Nam & tibi peculiarem fidem; quam

pla-

plane antea cognoveramus; & majoribus tuis jam in lucem edidisti. Cum nihil abs te, viro quidem sine controversia claro, nisi clarum, apertum, elegans exspectari, nisi quod omnia quæ tot annis mente conceperas, quæque ad fidem qua præditus es, pertinerent, exprimi possent. Quippe Federicum olim Neapolitanorum Regem, propria domo relicta, laribus, focis, tuis denique omnibus, exsul a patria pro fide servanda, in Galliam secutus es, neque alicujus præmii spe, (cum regno privatus esset) sed pro fide tantum, quæ tibi innata est, regem sequi voluisti. Nunc vero, ut quæ tua sit probata fides, quæ fidei in te radices hæserint, posteris omnibus patefieret, perfeciisti opera, atque labore ut divinis carminibus tuis Partus Virginis celebraretur. Quibus sane speciem illam Virgilianæ compositionis & elegantiæ, qui docti sunt viri, cognoscerent. Et, ut paucis explicem, ut quæ vix singula in scriptoribus ceteris exstitisse videamus, in unum recepta universa, in divinis carminibus tuis eluceant. In his etenim cum orationis splendore contendit brevitas, cum rotunditate ornatus, cum fluxu carminum pulchritudo; atque ita demum abs te omnia numeris, & sententiarum gravitate mandata videntur, ut ad cujusvis scriptoris antiquissimi candidissimique laudem accedant. Legimus, Platonem arbitratum fuisse hominum animos a cælestibus sedibus ad inferiora devolutos, cælestem illam musicam pernoscere nequaquam posse: interim vero non vocum modulationibus, (ut vulgus existimat) quæ tametsi aures demulceant, animum vero instruere nullo modo possunt, divinam tamen harmoniam imitati, graviori quodam judicio profundos intimosque sensus eleganti carmine ita exprimunt, ut divini propterea vates appellentur. Non enim solum auribus adulari, sed etiam divina ambrosia mentes demulcere videntur. Nec vereor, te

ſolum, *Acti Syncere* mi, inter primos multorum etiam antea ſeculorum connumerare. Quandoquidem tibi divinitus conceſſum ſit, ut divina hæc tua carmina modo alte ſurgentia, modo (cum tibi expeciſcere viſum eſt) vehementi impetu ruentia, quo velint, lectorem attrahant. Quo fit, ut quod antiquitas illa credidit, quod philoſophorum judicio comprobatum eſt, tua opera, ſtudio, doctrina dicere etiam audeamus, nullum videlicet eſſe ſcriptorum genus qui aut magnitudine eloquentiæ, aut divinitate ſapientiæ poëtis pares judicandi ſint. Quid enim abs te prætermiſſum eſt, quod ſanctæ literæ explicent, quin tu candidiſſimis etiam carminibus tuis ſingillatim ſcribas? Nam Imperatoris omnium Dei legationem ad Virginem: demiſſi Angeli per aëra volatum: conceptum ſine labe puerum: Virginis partum: paſtorum exſultantium cantus: Regum adventum ad puerum cum muneribus adorandum: ipſius denique Dei & hominis vitam, crucem, mortem ita candide, ita ornate ſcribis, ut nihil ornatius, nihil candidius, nihil religioſius ſcribi ab homine potuiſſet. Itaque gaudendum nobis omnibus eſt, tantoque magis, quod ſi paſtores illi (ut ſcribis) arborum ramulos (quos ibi invenerant) ad lætitiam demonſtrandam ante veſtibulum antri affixerunt, tu etiam veluti illuſtri loco natus, roſarum ſertis redolentiumque florum coronis, Virginei partus dignitatem tuo divino carmine ad probandam religionem exornas. Vale & felix vive.

Reg.

Reg.

A B C D E F G H I K L M.

Omnes ſunt Tern. præter L & M duern.

In ædibus Illuſtriſs. Viri Andreæ Matthæi Aquivivi Hadrianorum Interamnatumque Ducis per Antonium Fretiam Corinaldinum civemque Neap. ſummo ingenio artificem. ac fideliter omnia ex archetypis Actii Synceri ipſius manu ſcriptis. Anno MDXXVI. Majo Menſe Neapoli.

Edicto cautum ne quis per biennium opus hoc vel excudat, vel aliunde adportatum vendat in tota Regni Neapolitani ditione.

Deinde Petri Gravinæ Epiſtola. *hic pag.* lxxx.

Poſtremam omnium libri paginam occupat Privilegium Gothico charactere, quo Clemens VII. Pont. Max. vetuſtæ illi Editioni conſuluit.

CLEMENS PAPA VII.

Univerſis & ſingulis præſentes literas inſpecturis ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Cum dilectus filius Jacobus Sannazarius patricius Neapolitanus (id quod jucunde accepimus) ſuum opus de partu Virginis, heroico, & celebri conſcriptum carmine, ad Dei laudem multis efflagitantibus ſit editurus; Nos ejus precibus, quem ob virtutes ſuas & hanc ipſam editionem paterne diligimus, inclinati, neve alius præter auctoris voluntatem dictum opus imprimat, alienumque laborem ad ſuum commodum transferat,

in-

inhibemus omnibus & singulis sub excommunicationis latæ sententiæ: Subditis vero nostris etiam Quingentorum ducatorum auri, ipsi Jacobo, vel cui, ipse mandaverit, applicandorum pœnis, ne per Triennium proximum a data præsentium computandum ullus alius sine ipsius Jacobi concessione, ac permissu, dictum opus imprimere, aut alibi impressum vendere, seu venale habere audeat. Mandantes omnibus locorum Ordinariis, eorumque in spiritualibus Vicariis, ut præsentes nostras ubique observent, & exsequantur, faciantque ab aliis plene exsequi, & observari. Quarum quidem transumtis manu notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ, munitis, plenam fidem ubique, tam in judicio, quam extra adhiberi debere volumus ac decernimus; contrariis non obstantibus quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo piscatoris Die VII. Julii MDXXVI. Pontificatus nostri anno Tertio.

Be. El. Ravenn.

Quod si Editio hæc nostra ob nihil aliud reliquis omnibus præstaret (*præstat autem ob multa*) *una certe Lectio gravissima restituta, quæ in antiquis pariter novisque Editionibus, nescio quo malo fato, fœde corrupta fuerat, eam tibi commendare debet, Lector veri studiose. Antehac enim quoties in oculos nostros incidisset versus* 425. *libri tertii poëmatis de Partu Virginis, quem versum Sannazarius affingit Proteo de Servatore humani generis vaticinanti,*

Non sceptrum invadet Cypri: non Caspia regna *&c. toties mirabamur, cur* sceptrum Cypri *Poëta commemoraſſet; neque enim satis causſam percipiebamus: quum tandem vetus Editio Neapolitana anni* 1526. *inspecta & in*

& in consilium adhibita, certiores nos fecit de putri ulcere quod locum illum infecerat. In ea scilicet legitur, Non sceptrum invadet Cyri. *quod statim a nobis & perceptum & probatum est. Poëta noster, in studiis divinarum litterarum haud leviter exercitatus, ita procul dubio scripsit, atque in Editione illa optima exstare voluit. Et id quidem jure ac merito a Poëta scriptum fatebitur, quisquis legerit extremum caput* 44. *Isaiæ, nec non initium* 45. *ubi Deus ita loquitur :* Qui dico Cyro : Pastor meus es, & omnem voluntatem meam complebis. Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro, *& quæ sequuntur capite* 45. *His vero Prophetæ locis intelligendis, & sententiæ nostræ confirmandæ multum conferet doctissima viri excellentis Augustini Calmet interpretatio; quæ rem totam expediet, atque in vado ponet. Qui scriptor, ad extremum caput* 44. *hæc habet : Pastoris* nomen, quo Deus Cyrum donat, regiam illius dignitatem, optimique Regis laudes in eo fore demonstrabat. Principes *Pastorum* nomine apud veteres appellabantur: idque frequenter usurpat Homerus (*o*). Nemo dignior eo nomine fuit quam Cyrus. Consuetum erat illius effatum, eadem officia Principi communia esse & Pastori (*p*); eumdemque, ceu populi patrem, exstinctum flevere (*q*). Cyri virtutes admirans Croesus, illum ajebat e diis ortum esse (*r*) ex communi apud veteres opinione, qui Reges deorum filios, seu Jovis alumnos nuncupabant (*s*). Cyrus apud Persas Solem significat (*t*).

Red-

(o) *Iliados* 3.
(p) *Xenophon, Cyropædiæ lib.* 8.
(q) *Vide Herodotum lib.* 3. *cap.* 89.
(r) *Apud Xenoph. lib.* 7. *Cyropæd.*
(s) *Diogenes apud Dionem Chrysost. Orat.* 4. *de Regno.*
(t) *Ita Ctesias, & Plutarchus in Artaxerse.*

Reddunt Septuaginta : *Dicens Cyro ut ſapiat, & omnes voluntates meas faciat*. Chaldæus : *Qui dico Cyro dandum ei regnum* &c. Hoc vaticinium Cyro Judæi exhibuerunt; idemque Cyrus legem ſcribens, qua Judæos in libertatem vindicavit, fatetur, totius Orbis imperium ex Iſraëlis Deo accepiſſe, ipſoque nomine per Vates ſe eſſe prænunciatum, prædictumque futurum, ut templum Hieroſolymis Deo conderet (*u*). *Ex his omnibus colligi poteſt, quo conſilio, & quam exquiſito judicio Sannazarius ampliſſimum ac prope immenſum imperium Cyri commemoraverit, quum de* CHRISTI *rebus verba faceret; cujus Rex ille maximus, tametſi a Judæorum ſacris alienus, non adumbrata ſolum, ſed expreſſa quædam imago fuit. Nam quo pertineat regnum Cypri, exiguum ſane, ſi cum Orbis terrarum imperio comparetur, & quem in hujuſmodi argumento locum habeat, nemo explicare facile poſſit. Utinam vir multiplici & recondita eruditione* Antonius Franciſcus Gorius (*quem honoris cauſſa nominamus, & cui plurimum debemus, quod induſtriæ ac diligentiæ noſtræ in Editione quantivis pretii Operis de Partu Virginis ab ipſo procurata Florentiæ A.* 1740. *& copioſe illuſtrata, non ſemel teſtimonium præbuerit*) *rem hanc, pro ſua ſapientia, accuratius conſideraſſet: ejus quoque ſuffragio ſententia hæc noſtra niteretur. Nam in Adnotatione quadam pag.* 148. *ita ſcribit :* Vaticanus habet Cyri : ſed perperam. *Nimirum & viro doctiſſimo & nobis etiam in prima & altera Editione noſtra communis omnium error impedimento fuit, quominus veram lectionem dignoſcere atque eligere poſſemus. In illum, quiſquis fuit, culpa omnis conferenda eſt qui primus nobilem adeo lectionem, certam, & neceſſariam temere immutavit. Vide, Lector, quantum ceteris præferri*

(u) *Joſephus Antiquit. lib. II. cap. I.*

ferri debeant Editiones principes, quas ipſi librorum ſcriptores vel curaverunt, vel ſaltem probaverunt: & quanti æſtimare oporteat auctoritatem Codicis Vaticani, qui cum Editione illa Neapolitana ex ipſo ſumta mirifice conſentit, non in hac lectione tantum omnium graviſſima, verum etiam in multis aliis levioribus. quod manifeſtum erit in hac recenti Editione noſtra, cujus norma & exemplar vetus illa fuit Neapolitana. Verſum etiam 162. *Libri II. de P. V.* Thermodonque: Halybeſque *&c. ita legendum eſſe ut præfert Autographum Mediceum, non* Thermodoon, *e ſæpius laudato veteri libro cognoſcimus.* Thermodon *certe dici ac ſcribi debere, jampridem monuit Erythræus Indice Virgiliano in* Thermodontis flumina; *& Pierius Valerianus in Librum XI. Æneid. v.* 659. *Et litem omnem de hac voce decidere poteſt (ut animadvertit Janus Broukhuſius ad Eleg.* 12. *lib.* 3. *Propertii v.* 16.) *unicus Silii verſus Lib.* 3.

Perſtrepit & tellus, & Amazonius Thermodon.

INDEX RERUM MEMORABILIUM QUÆ IN SANNAZARII POEMATIS CONTINENTUR.

A

ACtæon marmoreus. pag. 150
Ægidius Viterbiensis. S. R. E. Cardinalis. 92
Ælius, Franciscus, poeta. 95
Albinus, Matthæus, poeta. 95
Alfonsi I. Aragonei, Regis Neapolitani, gesta. 97. & seq.
Alfonsus II. Aragoneus, Ferdinandi filius, Dux Calabriæ, laudatus. 98. & seq. 141. 144. Turcas Hydruntina regione expulit. 125. 133. Siciliæ Rex. 97
Altilius, Gabriel, nobilis poeta. 94. 101. ejus natalis. 133
Amaranthæ tumulus. 155
Angelorum exercitus descriptio. 38
Angelus affatur Mariam Virginem. 6
D. Annæ pictura. 165
Apostolorum electio. 42. 43
Aquivivus, Andreas Matthæus, Dux Hadriæ, miles & poeta; laudatus. 95. 102. 113. 154. 161
Aquivivus, Belisarius, Neritinorum Dux. 163
Aquivivus, Julius, Dux fortissimus. 119
Arcadia Sannazarii. 122
Assanius tyrannicida; fortasse Hieronymus Olgiatus. quem vide infra littera O. 165
Astræa alloquitur Petrum de Roccaforti, eique se in tutelam tradit. 88
Atramentum scriptorium. 140
Augustus Cæsar universum orbem censeri jubet. 20

B

Bacchus. 105
Baptismus CHRISTI. 40
Bethleemiticus specus describitur. 25
Bonifacia, Carmosina. vide Harmosyne.

Bos

Bos & Asellus adorant puerum JESUM. 28
Brancatius, Sarrus, miles fortissimus, in prœlio extinctus. 85
Branciæ, Porcia, & Isabella, sorores formosæ. 177
Brutus novus. 158. v. Olgiatus, Hieronymus.

C

Cabanilius, Trajanus, Trojæ ac Montellæ Dominus. 70. amicus Sannazarii. 70. poeta. 95. laudatus. 102
Cæsar Borgia, Dux Valentinus, ab Ursinis pressus. 135. notatus. 145. & *seqq.*
Cajetæ, Æneæ nutricis, prosopopœja, & de Federico Rege vaticinium. 116
Calendæ Januariæ. 102
Calendæ Majæ. 131
Canticum D. Mariæ virginis. 18
Caracciolus, Galeatius. 161
Caracciolus, Marinus, poetæ amicus. 145
Carbo, Hieronymus, Neapolitanus, poeta. 95
Carthaginis ruinæ. 23
Cassandra Marchesia, mulier præstantissima 66. laudata. 66. & *seq.* 121. 170. 176
Catonis tumulus. 161. 165
Catulli passer. 148
Catullus a Pontano emendatus. 135
Caudolæ, viri fortissimi, tumulus. 166
D. Celsus, comes D. Nazarii. 173
Chariteus, poeta. 95. Charitei conjux, Nisæa. 134
Chlamydis descriptio, qua DEUM Patrem indutum fingit poeta. 32
D. Claudii mons. 118
Comparatio radiorum Solis per vitrum transeuntium, cum Virginis partu. 28
Compater Pætus, sive Petrus, poeta lepidissimus. 94. ejus mors defleta. 156
Conceptio VERBI Divini in utero B. Virginis. 9
Concio DEI Patris ad superos. 32
Corvinus, poeta junior. 95
Cottæ, Joannis, poetæ Veronensis, tumulus. 164
Crassus, Lucius, vir doctus, & antiquitatis studiosus; cui Sannazarius multum debebat. 77. poeta. 101
Cumarum ruinæ. 111
Cycnus cum Angelo comparatus. 6

D

Davidis regis vaticinium de CHRISTO, apud inferos. 10
Deambulatio matutina, & vespertina. 138
Descriptio populi Bethleem confluentis. 25. Tauri, Leonis, Aquilæ, Hominis; quibus scriptores gestorum CHRISTI significantur. 15. virginis insularis, navis

vis adventum formidantis. 7
Dies Genialis. 147
Domus Sannazarii. 124
Druidæ, Gallorum ſacerdotes. 173

E

Echo. 151
Eliſabetha Mariam alloquitur. 18
Elyſius Calentius, poeta. 95

F

Federicus Aragoneus, Ferdinandi filius, Neapolis Rex, Sannazarii patronus. 115. 132. 133. mortuus eſt in Gallia 140. 177. ad Ligerim. 65. 120. ejus geſta, & laudes. 115. 152. ejus edictum. 134. fuga in ulteriorem Galliam. 60. liberalitas. 129
Ferdinandus Aragoneus, Alfonſi Magni filius, Rex Neapolitanus. 125
Ferdinandus junior, Aragoneus, Alfonſi II. filius, Rex Neapolitanus, laudatus. 164. notatus. 155. Ferdinandi junioris venatio. 137
Ferdinandus Aragoneus, Federici Regis Neapolitani filius, Dux Calabriæ, in Hiſpania exſul. 63
Ferdinandus Havalus, Piſcariæ princeps, vir fortiſſimus. 174
Ferraria laudata. 118
Filii unici tumulus. 164
Fuſcus, Thomas, noſtri poetæ amicus. 102

G

Galliæ extremæ contra Britanniam ſitæ deſcriptio. 60
Garlonius, Antonius, Allifarum dominus. 83. laudatus. 102
D. Gaudioſi laudes. 170. *& ſeq.*
Gemma Sannazarii. 137
Geſta, & cruciatus CHRISTI. 10. a verſu 254. ad 453.
Gigantomachia. 64. 149
Grappina Garlonia, Maria, puella formoſa. 175
Grappina, Violantis, Mulier præclariſſima. 169

H

Hannibalis tumulus. 139
Harmoſyne, i. e. Carmoſina Bonifacia, puella pulcherrima, a Sannazario dilecta. 145
Herpylidis pharmaceutriæ veneficia. 67
Homeri patria. 155
Homerus in Latinum verſus. 165.
Horæ, Cæli janitrices. 34
Hyale, fortaſſe Joanna Aragonea, nupta Ferdinando II. Regi Neapolitano, Alfonſi filio. 58
Hyblæ puellæ, a Marullo dilectæ, tumulus. 143

Hydrun-

Hydruntinam regionem Turcæ occupant. 103
Hymnus Angelorū in DEUM. 38.

I

D. Jacobi Piceni laudes. 86
Ignes nocturni Romæ. 158
Innocentius VIII. Pont. Max. laudatus. 141
D. Joannes exsultat in utero matris. 18
Jordanis oratio ad DEUM. 41
Jordanis urnæ descriptio. 40
Josephus, & Maria virgo parent Augusti jussis. 24
Josephus adorat atque affatur puerum JESUM. 30. Pastores alloquitur. 36. ejus verba ad urbem Bethleem. 24.
Italiæ laudes, & descriptio. 22.
Jucundus, Joannes, Veronensis, architectus. 145
Judicium extremum. 49
Julius Senensis, exsul. 84
Juno invocata, in amicæ natali. 110

L

Ladislai, Regis Neapolitani, tumulus. 131
Lætitiæ cælestis descriptio. 34. Lætitia pastores affatur. 35
Lamentatio de Morte CHRISTI. 47
Lauræ puellæ tumulus. 134
Leonora, princeps Ferrariensis. 118
Lucina invocata, in partu Corneliæ Piccolomineæ. 83
Lucius grammatista, fortasse Joannes Scopas, cui Sannazarius fuit infensus. 160
Lucretia, uxor Sarri Brancatii. 85
Lucretium imitatus est Marullus. 101

M

Majus, Junianus, nobilis ludimagister. 95. Sannazarii præceptor. 108
Mala Punica laudata. 112
Mantua laudata. 118
Marchesia Cassandra. vide Cassandra.
MARIA Virgo Angelo respondet. 8. DEI mandatis obtemperat, per Angelum sibi allatis. *ibid.* proficiscitur ad visendam Elisabetham. 17. in patriam redit. 20. generis humani Servatorem parit. 27. ejus jam jam parituræ ad DEUM oratio. 26
Marianus præceptor Ægidii Viterbiensis. 92
Martialis quid senserit de Catulli passere. 149
Marullus, Tarchaniota Michael, Spartanus, poeta nobilis. 95. 111. Hyblæ amator. 143
Mausolæum in Caria. 21
Maximillæ tumulus. 140
Mergilline, nostri postæ villa.

la. 4. 46. 57. 129. 153. Mergillines fons. 162
Metempſychoſis, Pythagoræ dogma. 176
Miracula CHRISTI. 41
Montaltius, Ludovicus, Syracuſanus, Caroli Cæſaris ſcrinii magiſter, laudatus. 107.
Morbi comitialis deſcriptio. 41.
Mori candidæ fabula. 103
Morinna, mulier formoſa. 169.
Morinna Nympha. 103

N

D. Nazarii Martyris feſtus dies, noſtri poetæ natalis. 101. 162.
D. Nazarii geſta, & laudes. 163. 166. 172.
D. Nazarii ſacellum, a noſtro poeta exſtructum. 163. 166
Neæræ tumulus. 143
Neſis a Pauſilypo amata. 64
Niſææ, Charitei conjugis, partus. 134
Nola urbs reprehenſa, quod hoſpitium Pontano negaverit. 174
Nymphæ in Salices mutantur. 72
Nympharum Jordanidum deſcriptio. 39

O

Olgiatus, Hieronymus Mediolanenſis, alter interfectorum Galeatii Sfortiæ Ducis Mediolani anno 1476. non obſcure ſignificatur. 158
Oraculorum defectio. 108
Orphei reſpicientis ſtatua. 150

P

Panhormitæ, Antonii, luſus. 102.
Pardus, Joannes, Hiſpanus, Philoſophus nobilis. 80. laudatus. 95
Paſtores proficiſcuntur ad viſendum puerum JESUM. 35. Joſepho reſpondent. 36. JESUM adorant, & ad ejus cunas cantant. 37
Pauſilypus Neſidem amat. 64
Pauſilypus mons, vitifer. 162
Petrinum. 77. 101
Phœnix deſcriptus, & cum B. Virgine comparatus. 29
Phyllidis mors, & ſepultura. 53.
Piccolominea, Cornelia, Antonii Garlonii conjux. 83
Picens medicus. 164
Picentini montes. 121
Platina, Bartholomæus, notatus. 138
Poetarum reprehenſores confutati. 94
Poggius Florentinus, notatus. 138
Politianus. vide infra Pulicianus.
Pontanus, Joannes Jovianus a Nolanis excluſus. 174. Catullum emendavit. 136. laudatus. 94. 102. Meliſæi nomine gaviſus eſt. 65. Pontani pietas in Petrum Com-

Compatrem 158. ejus ſcripta enumerantur & laudantur. 90
Populorum Auguſti imperio ſubjectorum enumeratio. 21. *& ſeqq.*
Prodigia quæ CHRISTI mortem conſecuta ſunt. 48
Proteus. 63. Protei vaticinium. 41
Pudericus, Franciſcus, amicus noſtri poetæ inter primos. 73. laudatus. 102
Puer regius formoſiſſimus. 138
Pueri tumulus. 159
Pulicianus, Angelus, jocis mordacibus immerito notatus. 148. *& ſeq.*

R

Riccius, Bartholomæus, notatus. 159
de Roccaforti, Petrus, maximus regis Galliarum Cancellarius. 88
Roris matutini deſcriptio, ejuſdemque cum divino Virginis partu comparatio. 27.

S

Sangrius, Joannes, Patricius Neapolitanus. 93
SANNAZARIUS, Jacobus, litium inſolens. 177. militavit duce Alfonſo II. Aragoneo. 99. ſponte in exſilium abiit, Federicum Regem ſecutus. 177. SANNAZARII peritia in Picentinis exacta. 121. ærumnæ 122. itinera. 123. mores. 124. ſcripta enumerata. 122
Sarnus fluvius. 72
Scala, Bartholomæus, vir diſertus. 95
Scalampa, Camilla, Mediolanenſis. 169
Scuccha latro. 94
Silentii nocturni deſcriptio. 26
Summontius, Petrus, Hiſtoricus, laudatus. 155
Superſtitionis veteris everſio. 49.
Syrinx Nympha in arundinem mutata. 71

T

Templum Divæ Mariæ Virgini a noſtro poeta dicatum. 4
Theatrum Campanum. 161
Theleſinæ crines. *ibid.*
Tityri, ſeu Virgilii vaticinium ex Ecloga IV. 37

V

Vaticinia Prophetarum de CHRISTO, & Maria Virgine. 19
Venetiæ laudatæ. 118. 141
Venetorum ſigna. 161
Veſevus, mons ignem eructans. 65
Vetuſtini cujuſdam inſania in exſtruendo ſibi ſepulcro. 142
Urnæ Jordanis deſcriptio. 40
Uvæ hibernæ dono miſſæ a Sannazario Regi Federico. 133. 140.
Vulturnus fluvius. 138

Z

Zacharias maritus Eliſabethæ. 19
Zeno, Rutilius, Epiſcopus Sancti Marci, vir doctus & elegans. 95.

IN-

INDEX RERUM

In hac noſtra III. Editione adjectarum.

Præfatio luculenta, bonæque frugis plena ad Lectores. *pag.* v
Aldi Manutii Romani Epiſtola ad Sannazarium, cum quibuſdam notulis. xxxvii
Jovitæ Rapicii ſecundum Teſtimonium. lx
Cœleſtini Guicciardini curioſum, & a juſta ironia non abhorrens Teſtimonium. lxv
Anonymi Elegia adhuc inedita de Actio Syncero Sannazario. 192
Monitum ad Lectorem de Neapolitana Auctoris Editione anni 1526. 193
Aliud de Altilii Epithalamio. P. II. *pag.* 24.
Sebaſtiani Gryphii de Honorati Faſcitelli patria opinio. 27
Pauli Manutii inſigne de Honorato Faſcitello Teſtimonium. 28
Sonetto di Onorato Faſcitello. 60
Notizie Storiche e Critiche intorno alla Vita e agli Scritti di Scipion Capece Napolitano eſteſe dal Conte Giammaria Mazzuchelli. 65
Scipionis Capicii de Vate Maximo Lib. III. 79
Jo. Matthæi Toſcani de Benedicto Lampridio Teſtimonium ligata & ſoluta oratione. 128
Jo. Aurati Epigramma de eodem. 128
Benedicti Lampridii ad Nicolaum Leonicum Thomæum Carmen luculentum, adhuc ineditum. 129

FINIS.

GA-

GABRIELIS ALTILII,

SANNAZARII SODALIS,

EPITHALAMIUM

In Nuptias JOANNIS GALEATII SFORTIÆ, Ducis Mediolanenſis, & ISABELLÆ ARAGONIÆ, ALFONSI II. Regis Neapolitani filiæ.

Adjecta ſunt in hac Editione, reliqua ejuſdem Auctoris Carmina, quæ inveniri potuerunt.

Selecta Doctorum Virorum
DE GABRIELE
ALTILIO
EJUSQUE SCRIPTIS
TESTIMONIA.

Paullus Jovius in Elogiis Virorum Literis illuſtrium.

GABRIEL ALTILIUS (1) in Lucania natus, junioris Ferdinandi regis præceptor, uſque adeo molliter, ac admirande in Elegis, & Heroico carmine excelluit, ſicuti ex Epithalamio Iſabellæ Aragoniæ perſpici poteſt, ut Pontani atque Actii teſtimonio, antiquis vatibus æquaretur. Is virtutis merito (2), Policaſtri (ea urbs olim Buxentum fuit) Antiſtes factus, a Muſis per quas profecerat, celeriter impudenterque diſceſſit, magno hercle ingrati animi piaculo, niſi ad ſpem non injuſtæ veniæ ob id culpa tegeretur, quod ad ſacras literas nequaquam ordinis oblitus tempeſtive confugiſſet. Mortuus eſt in ſacrata ſacerdotii ſede, ſexaginta annis major (3), tulitque Pontani (4) pietate, ſupremi officii nobile carmen, quod pro titulo urnæ marmoreæ incideretur.

(1) Sunt nihilominus qui Mantuanum fuiſſe ſcribant. Vide infra Baſilii Zanchii, & Hieronymi Amalthei carmina.
(2) A SIXTO IV. anno MCCCCLXXI. XIV. Kal. Octobr.
(3) Anno Salutis MCCCCLXXXIV. *Ughellus in Epiſcopis Policaſtrenſibus Ital. Sac. Vol. 7.*
(4) Jo. Jovianus Pontanus ALTILII meminit etiam Tom. II. Oper. pag. 104. & 177. & ſeqq.

Lilius Gregorius Gyraldus Dialogo I. de Poëtis ſuorum temporum pag. 21. edit. Florent.

Ex eadem (*Pontani*) Academia fuit GABRIEL ALTILIUS, cujus licet pauca legerim, in Nuptiali tamen Carmine in Iſabellam Aragoniam regis filiam, miram habet & ſingularem quum eruditionem tum facundiam: affectatior tamen in quibuſdam videtur. Pontificia hic dignitate apud Policaſtrenſes ornatus deceſſit.

Julius Cæſar Scaliger Poëtices Libro VI. qui & Hypercriticus.

GABRIEL ALTILIUS Epithalamium cecinit longe optimum.

Jo. Matthæus Toſcanus Pepli Italiæ Lib. III. pag. 63.

ALTILIUM Lucania genitum eadem tempeſtate Neapolis ſuſpexit, qua Pontanum, & Sannazarium pari poëtices ſtudio florentes. Ex ejus poëmatis Epithalamium me legiſſe memini, & pauca quædam Epigrammata, quæ ſatis eum in poëſi excelluiſſe declarant.

Abbas Ferdinandus Ughellus Italiæ Sacræ Tomo VII. columna 564. noviſſ. editionis, in Epiſcopis Policaſtrenſibus.

XIX.

GABRIEL ALTILIUS (1) Lucanus, Latinæ linguæ peritiſſimus, lepiduſque poëta, in regia aula ſummæ exiſtimationis, juniotis Ferdinandi regis Neapolitani præceptor, a Sixto IV. fuit adlectus Epiſcopus

(1) De eo Toppius in Bibl. Neapolitana pag. 101. & Nicodemus in Addit. pag. 81. *Mandoſius*.

scopus anno 1471. XIV. Kal. Octobris. Heroico carmine excelluit, ut Pontani, atque Actii testimonio, antiquis vatibus exæquaretur. Factus Antistes, ut Jovius refert in Elogiis, a musis, per quas profecerat, celeriter decessit, & ad sacras literas Præsule dignas confugit. Magnopere celebratur, teste Jacobo Gaddio in libro eruditissimo de Scriptoribus non Ecclesiasticis, ALTILII Epithalamium Isabellæ Aragoniæ, in quo miram habet ac singularem quum eruditionem, tum facundiam, teste Gyraldo, qui subdit, Affectatior tamen in quibusdam. Idem Epithalamium longe optimum appellat Scaliger, qui tamen authorem carpit ut nimium atque verbosum. Illud alia comitantur Epithalamia, quæ generatim tangit Possevinus in lib. 28. Bibliothecæ Selectæ, ubi memorat non paucos poëtas egregios. Mortuus est in sacrata sacerdotii sede saxaginta annis major, Salutis vero 1484. Tulit Pontani pietate supremi officii nobile carmen, quod pro titulo urnæ marmoreæ incideretur:

ET. TIBI. DANT. TVMVLOS. MVSAE. MERITVMQVE. SEPVLCRVM
ET. TIBI. DAT. TITVLOS. QVAE. TIBI. CVLTA. CHARIS
ALTILI. O. VENERANDE. FACES. HIC. HAC. IACET. VRNA
PONTIFICALE. DECVS. PONTIFICALIS. HONOS
ERGO. AGITE. O. NYMPHAE. SEBETHIDES. ERGO. AGE. VIRGO
PARTHENOPE. AD. TVMVLVM. SPARGITE. VERIS. OPES
SPARGE. TVOS. FLORES. FLORVM. FOECVNDA. PATVLCI
ET. TV. SPARGE. TVAS. ANTINIANA. ROSAS
ALTILIO. REQVIEM. DIC. O. GHARI. DIC. AGE. CLIO
LVCEAT. ALTILIO. LVX. SINE. FINE. MEO
QVISQVIS. ADEST. PIA. VERBA. SONET. MADEATQVE. SEPVLCRVM
DE. LACRIMIS. MADEAT. PIERI. RORE. TVO

At de iis carminibus hoc judicium protulit Gaddius: Exſtinctum ornavit carmine, quod pro titulo urnæ marmoreæ incideretur, ſane ingenioſo, & nobili, ſed parum gravi, minuſque congruo Pontifici ſacro, cujus Pontificalem honorem, & decus attollere dum vult, elevare videtur levitate. Peramœna, & nimis tenera, *lacrimarum*, *roſarum*, *florum*, *Nympharum*, *Pieridis*, *Charitis* vocabula. Quæ nomina mollior, & amœnitates ethnicas redolens Pontanus, ad ſatietatem ſuis in Tumulis repetit, nulla fere diſtinctione perſonarum.

Janus Broukhuſius in notis ad Sannazarii Eleg. XI. *Lib.* I. *v.* 17.

GABRIEL ALTILIUS, Lucanus, junioris Ferdinandi regis præceptor fuit, poſtea Epiſcopus Policaſtrenſis (Buxentum eam urbem vocant antiqui) vir omnium ejus ſæculi eruditorum judicio & modeſtiſſimus, & doctiſſimus. plurima ejus atque honorificentiſſima mentio eſt in ſcriptis Pontani, (qui & librum de Magnificentia ei dedicavit) apud noſtrum Syncerum, Baſilium Zanchium, Alexandrum ab Alexandro, Paullum Jovium, Lilium Gregorium Gyraldum, &c. Exſtat illius Epithalamium Iſabellæ Aragoniæ cantatum, quod multis laudibus effert ipſe Cæſar Scaliger, haud mitis alioqui judex. legitur id tomo primo Poëtarum Italorum. neque ego memini ullum alium ALTILII carmen typis editum vidiſſe, præter unam (1) Elegiam: unde colligo

(1) Scilicet Epiſtolam Conſolatoriam ad Actium Syncerum, & M. Antonium fratres in matris funere, quam Broukhuſius collocavit inter Sannazarii Teſtimonia; at nos, meliore conſilio, in hac ſecunda noſtra Editione ad ipſius ALTILII Carmina rejecimus.

ligo non parvam ejus verſuum jacturam factam fuiſſe. Auctor enim eſt Paullus Jovius, ALTILIUM uſque adeo molliter, ac admirande in Elegis, & Heroico carmine excelluiſſe, ut Pontani, atque Actii teſtimonio antiquis vatibus æquaretur. neque multum ab illo abit Lilius Gyraldus. Ubi autem Elegi iſti? de Odis ALTILII audi noſtrum lib. 2. Eleg. 2.

ALTILIUSQUE *novos ſuperis laturus honores*
Pindarica ferit carmina docta lyra.

Ubi vero & Odæ? hoc damnum ut aliquo modo reſarciatur, rem me non ingratam facturum confido Muſicarum lautitiarum ſtudioſis, ſi verſus quoſdam ALTILII (1) publicavero hinc illinc e diſperſis ſchedis collectos, inque unum quaſi faſcem coëgero. Sunt autem: In Chriſtum ſepultum: *Te ne ego* &c. Ejuſdem. *Hanc faciem* &c. *Junius ut primum* &c. *Sive furor* &c.

---

(1) Si Broukhuſius evolviſſet editionem Oporinianam Carminum Baſilii Zanchii, hæc eadem ALTILII poëmata in calce illius voluminis collecta conſpexiſſet.

GABRIELIS ALTILII EPITHALAMIUM

In Nuptias Joannis Galeatii Sforiæ, Ducis Mediolanenſis, & Iſabellæ Aragoniæ, Alfonſi II. Regis Neapolitani filiæ.

I.

PURPUREOS jam læta ſinus Tithonia conjux
Extulerat, roſeoque diem patefecerat ortu,
Cæruleum tremulo percurrens lumine pontum;
Qui cupido ſua vota viro, deſponſaque dudum
Connubia, optatoſque toros, & gaudia ferret:
Quum dulces patris amplexus, quum mœnia caræ
Parthenopes, notaſque excedens linqueret arces
SFORTIADÆ juveni donanda ARAGONIA virgo.
Ipſe levi pater advolitans per cærula curru
Neptunus, late undiſonum ſubſtraverat æquor,
Infidique minas pelagi: nec gratior undis
Temperies, cælove quies demiſſa ſereno

Ad-

Adfuit, aut alias ſpirarunt lenius auræ.
Hic ſtudiis, varioque adſenſu lecta juventus,
Fronde nova redimita comas, myrtoque virenti,
Dum fremit, & validos certatim adnixa lacertos
Remigio expediunt alacres, tranſtriſque locati
Exſultant, lætoque ſonant cava litora plauſu;
Dum patrio flet nata ſinu, dum neptis avito
In gremio, fratrumque piis complexibus hæret,
Et longum inter ſe cara cervice morantur:
At gemitu ſimul urbs omnis ſimul ægra ſupremo
Digreſſu, deſiderio intabeſcit ituræ;
Litoreque effuſi toto atque e mœnibus altis
Proſpectant, mixtæque viris longo ordine matres,
Et lacrimis incedentem, votiſque ſequuntur;
Feliceſque vias abeunti, auraſque precantur.
Parte alia, qua perſpicuo delabitur alveo
Irriguis Sebethus aquis, & gurgite leni
Prata ſecat, liquidiſque terit ſola roſcida lymphis,
Tercentum diverſa locis ſe turba ferebant,
Virginei cœtus Nymphæ, Campana propinquis
Quas tulit ora jugis, quas dulcibus educat antris;
Centum Pauſilypi, centum de vertice Gauri,
Et totidem calidis e litoribus Bajarum:
Quæque etiam Lirim, lentiſciferique receſſus
Linterni, Bacchæa tenent quæ rura Veſevi,
Conveniunt: nec Vulturni, Sarnive puellæ
Non adſunt, non æquoreæ Neſidos alumnæ.
Quas inter mediæ magna cingente corona
Bis ſenæ ſuperant forma præſtante ſorores,
Aurea Sebethi ſoboles, quas cærula mater
Parthenope una ſciens Muſarum, & docta canendi
Parthenope primis teneras formavit ab annis,
Imbuerat cantuque novo numeriſque modiſque.
Pars vitta, pars cæruleis implexa hyacinthis;
Illæ apio, hæ narciſſo, aliæ immortali amarantho.
Perpetuos namque hos ipſæ ſibi ludicra flores

Sem-

Semper alunt, viridem ſemper de rore nitorem.
Ergo inter ſe ſe manibus per mutua junctis,
Compoſitiſque leves quatientes motibus artus
In numerum glomerantur: ibi variante reflexu
Nunc pedibus choreas, nunc carmina plaudere cantu,
Carmina quæ curvis in vallibus aſſultabant,
Incepere, omnis Hymenæo ut ripa ſonaret.
Magnorum tædas ſuperûm, noctesque jugales,
Et cæli veneranda canunt connubia Muſæ:
Nos thalamos, ISABELLA, tuos; tua gaudia, conjux
SFORTIADE, teneroſque choris cantamus amores,
Sanctaque jura tori: Muſarum nec pudet illos,
Nec te, Naïadum, virgo, aut te carminis, heros,
Pœniteat noſtri, dilectæ fontibus & nos.
Pegaſeis: præbet Sebethus pocula nobis,
Sebethus liquidos fontes, & mollia Tempe.
Dicite Hymen, Hymenæe Hymen ter dicite, Nym-
Tuque novas viſure faces, age, Lucifer, almum (phæ.
Pande jubar, roſeumque oriens caput exſere tandem:
Exſpectate redi, nec amantum vota moratus,
Coge tuis agedum flammis concedere noctem
Acturum; tibi ſi cupidi ſua vota mariti
Concipiunt, tarduſque redis ſi ſemper eiſdem:
Si tacita quem mente diu optavere puellæ,
Primaque jucundæ voverunt tempora noctis,
Exortum timide nutanti corde paveſcunt. (phæ.
Dicite Hymen, Hymenæe Hymen ter dicite, Nym-
Fortunate gener! tibi lux, tibi pulcher Eous
Deſerit Oceanum: tibi candidus explicat ignes,
Candidaque ora refert: fauſto tibi ſidere portat
Conjugium, dulceſque toros, lætoſque hymenæos.
Dexter enim e cælo dexter Jovis adſtitit ales
Naſcenti, eripuitque novum ter plauſibus omen
Advolitans, dextrumque affulgens riſit olympus.
Heſperia in magna multis e millibus uni
Virgineos junctura ſinus ARAGONIA virgo

Ad-

Adveniat, ſocioſque toros paret aurea conjux.
Dicite Hymen, Hymenæe Hymen ter dicite, Nym-
Fortunate gener! magnus tibi proſocer Atlas, (phæ.
Quoſque tibi a prima percenſet origine Iberus,
Adveniant reges ſoceri diis æqua propago:
Hos tibi per titulos atque hæc per nomina felix
Adveniet felix eadem ſub ſtragula conjux,
Sidonio tecum excipiat quam lectus in oſtro
Languidulos tenero ſociantem pectore ſomnos:
Maternum ſeri numerent genus unde nepotes,
Seque olim magnis jactent a regibus ortos.
Dicite Hymen, Hymenæe Hymen ter dicite, Nym-
Illa tibi amplexuſque feret noctemque beatam, (phæ.
Implebitque tuos nivea cervice lacertos:
Qualem nulla tulit priſcis heroïbus ætas,
Ipſa nec Eurotæ viderunt flumina Nympham,
Taygeti aut juga virgineis luſtrata choreis,
Nec noſtri videre chori: quibus addita, qualis
Aurora exoriens ſtellis nitet alma fugatis,
Purpureumve ſolet bruma cedente novum ver,
Candida ſe talem nobis ISABELLA ferebat.
Dicite Hymen, Hymenæe Hymen ter dicite, Nym-
Illam dia parens dum nixibus edit in auras, (phæ.
Ambroſio exceptam gremio Venus aurea fovit,
Et formam, formæque decus decori addit honorem.
Ac Primas, tibi, virgo, aliis cedentibus, inquit,
Prima feres, Veneri tantum collata ſecundas.
Dicite Hymen, Hymenæe Hymen ter dicite, Nym-
Admovit quoque blanda manus Saturnia Juno, (phæ.
Permulcenſque artus, Sceptris haud, inquit, avitis
Sceptra minora geres; Latias regina per urbes
Incedes, populiſque potens & divite regno.
Magna Jovis conjux magni tibi conjugis omen
Præcinit, hæcque ſuis oppignerat oſcula dictis:
Oſculaque in teneris ſonuerunt preſſa labellis. (phæ.
Dicite Hymen, Hymenæe Hymen ter dicite, Nym-

Nec

Nec Pallas non læta ſuos impertit honores
Naſcenti: primos eadem ad cunabula cantus
Concinuit, ſuaſitque leves tibi carmine ſomnos:
Atque Animum tibi, virgo, inquit, moreſque verendos
Trado diva, mares ſenſus, & vincere ſexum
Pallas: acum doctaſque manus tibi cedet Arachne:
Cedam victa libens dea. dixit: ibi aurea totis
Fluxerunt cunis flavæ inſtrumenta Minervæ
Et radius pectenque & inaurati calathiſci.

Dicite Hymen, Hymenæe Hymen ter dicite, Nym-
Se Junone Samos, jactant ſe Pallade Athenæ: (phæ.
Te Cyprus, Cytherea, colunt juga Cynthia Phœben:
At, virgo, non una tuo de nomine tellus
Clareſcit: ſe noſtra tuis natalibus ornat
Parthenope, propriamque vocat Sebethos alumnam:
Claraque mox ipſis Inſubris terra feretur
Connubiis; flavuſque comas Ticinus, & ingens
Eridanus, pronoque ruens celer Abdua curſu
Attollent caput, & tanto ſe nomine cælo
Æquantes, celſis elati cornibus ibunt.

Dicite Hymen, Hymenæe Hymen ter dicite, Nym-
Maternam inviſens Delon Latonia virgo (phæ.
Lætatur dulcique ſolo, & natalibus arvis:
Lætatur ſuperas repetens Proſerpina ſedes,
Myſtica maternæ quum ſacra reviſit Eleuſis:
Tu quoque Sfortiacos, virgo, acceſſura penates,
Cognatas i læta domos, genus inclyta mater
Unde ferens, tanto talem te diva parenti
Progenuit: quod deinde tuis felicibus auctum
Connubiis, duplici confirmes addita vinclo,
Ipſa viri fratriſque tui conjuxque ſororque.

Dicite Hymen, Hymenæe Hymen ter dicite, Nym-
Tales rite toros, taleſque iniere hymenæos, (phæ.
Saturno quos Rhea potens enixa marito,
Quum primos illi thalamos Thaumantias Iris
Inſtrueret, variis ſpectanda coloribus Iris,

Am-

Ambroſiæque manus ſucco perfuſa nitentes;
Adſtarentque ſuis incinctæ veſtibus Horæ:
Quum paſſim cæli per limina læta frequentes
Cælicolæ obſtreperent, ac toto reddita olympo
Frater io, Conjux & io, vox una ſonaret.
Dicite Hymen, Hymenæe Hymen ter dicite, Nym-
O patriæ, o ſæcli decus, heroina; jugales (phæ.
Jam te ſub leges vocat & ſua jura maritus.
At nos æquales, quibus idem ad flumina curſus,
Et certamen idem florum, ſtudiumque decentes
Inſtaurare choros, noſtri jam ad munera luci
Mane revertemur; jam te ſine munera nobis
Illa quidem placitura minus. namque, alta relictæ
Per nemora ut querulis vitulæ mugitibus inſtant,
Et gemitu matrem implorant, quæ montibus altis
Erravit, viridi aut convalle oblita refedit
Mollia prata ſecuta, novos aut forte hymenæos;
Cara, tui ſic nos memores abitura relinquis
Æternum, dulciſque animis hærebis imago:
Te noſtri recinent luſus, te noſtra ſonabunt
Carmina, te thyaſi, primæ tibi munera noſtra
Per debunt ſuave halantes de more corollæ:
Prima tibi unguenta, & patrios fundemus odores
Umbroſam ſub loton: opaco vertice lotos
Sebethi patris ad ripas ſpectanda virebit.
Quodque oculo properante aliquis properante carina
Præteriens legat, hoc ſignabit littera carmen,
Grandior inciſum teneris quod præferat arbos
Corticibus: COLE. MÆ. ISABELLÆ. EGO. REGIA. LOTOS
Hæc ita nos: at tu divis egreſſa ſecundis,
Ibis in amplexus cari exoptata mariti,
Qui robuſta tuo circumdet brachia collo,
Virgineaque ſinum zona mox ſolvere pergat,
Fœcundam exercens optata prole juventam.
Inde ſuos mox jam matri miſſura nepotes
In gremium, formoſa decor queis matris ab ore

Mi-

Miſceat ora, maremque ferant a patre vigorem. (phæ.
Dicite Hymen, Hymenæe Hymen ter dicite, Nym-
Sed te jam placidis ſpirantes flatibus auræ
Pacatumque vocat nautis properantibus æquor;
Increpat & ſumma rector de puppe morantem.
Ingredere, optataſque vias pede ſuſcipe læto:
Oſcula germanûmque pios age deſere fletus.
Te quoque lacrimulas, virgo, jam mittere tempus.
Abſtergent tibi ſingultus mox gaudia tantos,
Gaudia, quæ lacrimis aliter teſtere profuſis.
Dicite Hymen, Hymenæe Hymen ter dicite, Nym-
Jam dextro claſſem tetigit pede; jam procul alta (phæ.
Conſpicitur virgo in puppi, lætique recepta
Clamorem tollunt nautæ; jam vincula ſolvunt,
Jam pontem, funemque legunt: cavaque æra coruſco
Igne tonant, crebriſque laceſſunt ictibus auras,
Ac validis diſploſa ſonoribus aëra complent,
Egreſſæ bona ſigna rati, & ſolventibus omen.
Talis ad Hæmonium frenato piſce maritum
Vecta Thetis, levis aut ſedit quum Cypria concha.
Dicite Hymen, Hymenæe Hymen ter dicite, Nym-
Provehitur ſed jam pelago ratis, actaque remis (phæ.
Litora deſeruit: dubios jam lintea viſus
Paullatim, flenteſque oculos ſublata relinquunt.
Nos quoque vox, nos ipſa animi mens deſerit omnis;
Infractique labant gelido ſub pectore ſenſus.
Quod ſupereſt, votis te, virgo, & mente ſequemur.
Ergo ſeu patrio digreſſam litore, curvo
Excipiet Cajeta ſinu, ſeu te Anxuris arces;
Circeoſque lacus juxta, & Tiberina legentem
Oſtia nec fidum nautis mare, remige dextro
Flectentem facili adnitens tranſmiſerit aura
Puppis, & Herculeos inviſerit hoſpita portus:
Sive Argoa tuis ſpumeſcant æquora remis,
Qua patet effoſſis fœcundior Ilva metallis,
Et vaſtos pelagi in fluctus Populonia mater

Pro-

Proſpectat, ſummoque attollitur ardua ſaxo:
Seu tua Neleæ remorentur lintea Piſæ;
Roranteſque imo tollens de gurgite vultus
Labentem, niveæ præter vada cærula Lunæ
Adſpiciat procul, & Nymphis ſtipatus adoret
Macra ſuis adſtans ripis pater: ad ſua tandem
Litora delatam regnis Ligur ora maritis
Accipiat, prima & puppim veneretur herilem;
Dum ſacros Erycis portus, tutoſque receſſus
Ipſa ſuis nantem excipiens Venus alma lacertis,
Invehat, optatiſque adſignet denique terris:
Nereïdes tibi, Nereïdes Tyrrhena propago
Numina Neſæe, Melitæaque, Cymodoceque,
Glauceque, Spioque, Janiraque, pulchraque Doto,
Amphinomeque, Opiſque, Pheruſaque, Dexameneque,
Atque Halye, atque Thoë, & flavo crine Amathuſa,
Maternumque Thetis nunc primum oblita dolorem,
Adſiſtant, ſternantque viam, & comitentur euntem,
Certatimque tuæ præludat turba carinæ.
Jam votis nos te, virgo, jam mente ſequemur.
Mox ubi jam pelagi tantum & permenſa viarum,
Contigeris cupidas dilecti conjugis ulnas,
Grataque ſollicitos tandem nox junget amantes;
Æternos vobis Cypris dea, Cypris amores,
Concordeſque animos, & mutua vincula nectat:
Vincula quæ ſeræ maneant ad fata ſenectæ.
Fœcundet Latona torum, Latona perenni
Prole domum, Latona genus per ſæcla propaget.
Juppiter ingentes det opes, det Juppiter annos,
Regnaque, fortunamque domus ſine fine manentem.
Dicite Hymen, iterate Hymen Hymenæe, puellæ.
Dulcis Hymen Hymenæe Hymē, ades, o Hymenæe.

II.
IN CHRISTUM SEPULTUM.

TE ne ego, magne Pater, te ne, alti rector olympi,
Te ne ego sic lacerum indignos crudeliter artus;
Sic positum aspicio? quem non vasti atria cæli,
Non mundusve capit; tegit heu brevis urna sepultum.
Nec miseri assiduos lacrimarum fundimus amnes? 5
Tanta nec æterno deflemus funera luctu?
At tellus tremefacta, latensque in nubibus aër,
Cunctaque turbatis flerunt elementa figuris:
Flevit Sol nigra tingens ferrugine cælum,
Ipsaque lugubri crines velavit amictu, 10
Auctorem miserata suum, mœstissima Phœbe,
Atque aversa novus stupefecit sidera mundus.
Heu dolor, heu pietas! heu quæ manus impia tantum
Ausa nefas? neque enim diris illa excidit ausis.
An ne parum fuerat, patrium modo linquere cælum, 15
Nec dedignatum miseræ commercia terræ?
Quodque Deum *jungens* homini (mirabile dictu!)
Induere humanos non fastidiveris artus?
Tristia quin diræ passus ludibria gentis,
Ferre necem, & nostro voluisti occumbere leto. 20
Sic quondam caræ divulsus ab ubere matris,
Mitis ubi exstructas agnus mactatur ad aras,
Nostra luis commissa, tuo nos sanguine servas,
Dulciaque æternæ das noscere præmia vitæ. (25
Quo jam, summe Pater, (nam supra quicquid, & infra est,
Te venerata tuos observant omnia nutus)
Da, seu te intimæ tangunt contagia partis,
Terra, Prometheumque lutum, primordia nostra:
Seu dolor, & fassæ spes non indebita menti,
Nec tua difficilis nostræ clementia culpæ; 30
Ut qui mœsta pii repetentes orgia sacri
Annua solenni colimus mysteria luctu,

Per

Per te pacatæ defunctis munere vitæ,
Supremus tenues quum spiritus ibit in auras,
Elysii læta arva poli, sedesque beatæ,
Pollicitique tui pateant non irrita dona.

III.

AD ACTIUM SYNCERUM, ET M. ANTONIUM *Fratres Epistola Consolatoria IN MATRIS FUNERE.*

UNANIMI fratres, rapta qui matre doletis,
Et desiderio fletis uterque pio:
Definite ah lacrimis tam sanctos lædere manes;
Vos vetat Elysiis illa recepta choris.
Illic optatis longum complexibus hærens
Jucundo fruitur conjugis ore sui:
Felicesque animas inter cœtusque verendos,
Narrat natorum de pietate parens:
Scilicet his ut spem viduæ solata juventæ
Deserti tulerit frigida regna tori:
Addit & obsequia, & dulces cum pondere mores,
Jam tum quum patrias ferret uterque vices.
Quum simul & Nymphas, Satyrorum & cantat amores:
Estque in SYNCERI carmine tota sui.
Quod subito cantu turba excipiente deorum
Hinc illinc variis plausibus arva sonant.
Massiliam chorus omnis, & ætheriæ convalles,
Massiliam totis reddit & aura locis.
Illa autem æternos caro cum conjuge gressus
Jungit, & Elysium sic terit alta nemus.
Quo jam pro lacrimis Panchæos urite odores,
Orpheæque move tu fidis alter opus:
Non quibus infernas ille exoraverit umbras,
Flebilibus supplex ausus adire modis:
Sed quibus & divûm laudes, ipsosque canendo
Heroas cælo, sideribusque locat.
Has mitti jubet inferias, hæc funera mater:
Ipsa sibi has lacrimas, hæc sibi busta rogat.

IV.

PUELLAM FORMOSAM DESCRIBIT.

HANC faciem, & niveæ tam rarum frontis honorem,
Hiſve roſis hæc quis lilia miſcet? Amor.
Quis gemina aut illic ſuccendit ſidera? quiſve
Arcum illic, illic ſpicula condit? Amor.
Rubra quis in teneris polit hæc corallia labris?
Aut hoc intus ebur finxit ab arte? Venus.
Quis decus effingit morum? quis verba loquenti?
Clamve decor qui te ſubſequitur? Charites.
Quis formam ſine labe dedit? digitoſque manuſque?
Quis format nullo crimine membra? Venus.
Quis mihi perpetuos hos nutrit in oſſibus ignes?
Frons, oculi, facies, verba, labella, decor.

V.

DE JUNIO PUERO.

JUNIUS ut primum materna eſt editus alvo,
Miratæ puerum circuiere deæ.
Dum certant, optatque ſuum dum quælibet: inter
Certantes rapuit Cypria baſiolum,
Atque ait: Hæc noſtrum defendant pignora. at illi
Preſſa rubet tenui nunc quoque mala nota.

VI.

IN JUVENEM AUDACEM.

SIVE furor, ſeu ſit ratio contemnere vitam,
Alterius vitam perdere dum properas:
Inde mones, juvenum confidentiſſime, quam ſit
Et fragile, & fallax, & breve vita bonum.

Gabrielis Altilii Carminum Finis.

ILLU-

ILLUSTRIUM POETARUM
CARMINA
DE GABRIELE ALTILIO.

Jacobi Sannazarii de Natali Altilii Vatis.

Musarum lux alma, meus cui tura quotannis,
Cui rite Altilius *fundit in igne merum:*
Accipe servatos hiberno frigore flores;
Quæque madent Siculis annua liba favis.
Quandoquidem magnum Latio, tarumque dedisti
Pignus, & Aoniis non leve nomen aquis.
At tu, sic tristes numquam experiare tenebras;
Sic Phœbi nitido semper honore mices:
Fausta, precor, longos tamen exspectata per annos,
Altilioque *tuo concolor usque redi.*

Idem Elegia XI. Libri I. v. 17.

Cui (Pontano) *comes intactæ lustrans sacraria silvæ*
Altilius, *docto pectore carmen hiet.*

Idem Elegia II. Libri II. v. 21.

Altiliusque *novos superis laturus honores,*
Pindarica feriat carmina docta lyra.
Sforciadum *mox dicat,* Aragoniosque *Hymenæos,*
Jure quibus cantus æquet, Homere, tuos.

Joannis Joviani Pontani.

Comtis Altilius *placet puellis,*
Incomtæ Altilio *placent puellæ.*
Iratam quia fecerit Dionem

Cuno candidior puella cycno,
Quam totis Amor inſidens medullis
Fulgentis pueri uſſerat calore.
Oblatum ſibi dum ſuaviari,
Dum levi cupit hinc, & indo collo,
Utraque & ſimul implicare palma,
Hic trux ALTILIUS *reflectit ora,*
Et dextra cupidas manus repellit,
Ac verbis ferus, improbus minatur.
Tunc illa in miſeros abit dolores,
Et largus abit imber ex ocellis,
Torpent pectora, menſque, corculumque,
Semi & mortua lectulo recumbit,
Ultricem in puerum imprecata divam.
Incomtæ ALTILIO *hinc placent puellæ.*

BASILII ZANCHII in GABRIELEM ALTILIUM. Poemat. Lib. VI. pag. 185.

QUalis, Hylan Myſorum agris dum quæreret amens,
Alcides ripa concidit Aſcanii:
Talis ego, amiſſam dum per juga longa Lycinnam
Perſequor, & nullo devia trita pede,
Procubui herboſo viridantis margine ripæ,
In mare qua liquidis Albula rumpit aquis.
Hic me jucundo devictum lumina ſomno,
Pievidum dulcis per loca raptat amor.
Errabam, molli qua ſe demittere clivo
Incipit arguto Caſtalis unda pede.
Inde pios ſupero lucos, viridemque Helicona,
Hic ubi ſortitæ rura beata deæ.
Lauricomi circum colles, & amœna vireta,
Et vaga odoratum perſtrepit aura nemus.
Telluris gremium non uno nomine flores,
Non uno pingit miſta colore roſa.

Hos

Hos ſuper argento, & tenui vnge ſplendida vitro
Irrigat Aoniis lympha profuſa jugis.
Alta latebroſo dependent pumice tecta,
Veſtibulum molli fronde tegente viret.
Intus nativo conſtructa ſedilia ſaxo,
Et ſtrepitans murmur lene ſonantis aquæ.
Hic mihi Pieria viſus recubare ſub umbra
Pythius, & circum Theſpia turba deæ:
Queis ſubter fuſos cervix argentea crines
Accipit, & fuſos aurea ſerta premunt.
Illis Aſſyrio veſtis fucata veneno
Ardet, & ex humeris parte ab utraque fluit.
Hæc modo vocales percurrit pectine chordas,
Hæc ſimiles chordis nectere docta modos.
Hæc modo pallentes violas, modo lucida texit
Lilia, virgatis quæ gerat in calathis.
Hanc tenet hoſpitiis late frondentibus arbos,
Hæc lavat integris pectora fluminibus.
Pars etiam implexis per mutua vincula palmis,
Exercent faciles ad nova plectra choros.
Has inter junctis ſpatiantur paſſibus ambo,
Calliope, & magni nominis ALTILIUS:
ALTILIUS, *quo non Phœbo jucundior alter:*
ALTILIUS *ſacro lotus in amne pater.*
Huic modo prima chori citharam ſuſpendit eburnam,
Addit & Orpheæ fila canora lyræ:
Queis thalamos, ISABELLA, *tuos,* ARAGONIA *virgo,*
Pindarico reſonet queis gravis ore deos.
Melpomene inſignem victrici fronde coronam
Nunc parat, & verna lutea ſerta roſa:
Nunc plectro inſignit lætum, teſtudine & aurea,
Ut referat dulci dulcia furta ſono.
Ille canit: Mea vita, Lami loca nota relinque,
Quintia, Parthenopes dulcia tecta pete.
Dum modo ſim tecum, mea lux, non regna, nec aurum,
Non Arabum optarim ditia rura mihi.

Sat mihi sit cara mentem saturare figura,
Pascere & optatis lumina sideribus.
Tu tantum ambrosiis intendas vincla capillis,
Vincla vel æterno non soluenda Jovi.
His addit dominam insignem de cæde ferarum,
Munera Dianæ digna referre tholo.
Dum canit, Aoniæ respondent carmina valles,
Et nemora intonsis spissa cacuminibus.
O nimium felix tanto scriptore puella,
Felix, quam longum charta loquetur anus!
Nota colorati discent tua nomina Seres,
Quæque jacet nimio terra perusta gelu.
Jam niveos illi jungebat sedula cycnos,
Et dabat adducta lora regenda manu:
Quum mihi jucundus defluxit corpore somnus,
Lucifer & roseo fulsit ab Oceano.

Ejusdem.

MINCIADE *in ripa veteris prope mœnia Mantus*
Errat, & in Tusco concinit umbra lacu.
Dum canit, argutos cantus imitatur oloris,
Dulcius extremum dum canit ante diem.
Scilicet ALTILII *post funera dulcis imago*
Nunc repetit patriæ limina cara suæ:
Nunc tumulum invisit magni prope busta Maronis,
Sebethus placidis qua fluit amnis aquis.
Talis Persephone, talis Ledæa propago
Alternis superas itque reditque vias.

HIE-

HIERONYMI AMALTHÆI. Pag. 293. Carm. Basilii Zanchii edit. Basileensis Oporini an. 1555. vocatur *Incerti Auctoris*.

PRotulit ALTILIUM, *quæ protulit ora Maronem:*
Protulit una duos, abstulit una duos.
Felicem eventum sortita est utraque tellus,
Altera per cunas, altera per tumulos.

JOANNIS MATTHÆI TOSCANI.

CArminis arguti, dulces qui spiret amores,
ALTILIO *palmam detulit ipsa Venus.*
Sic decuit vatem quem culta Neapolis inter
Perpetui voluit vivere veris opes.
Unde suas lecto distinxit flore Camœnas,
Struxit & Aoniis condita mella favis:
Enthea quos Phœbi libabit turba liquores,
Citria dum & gignet Parthenopea rosas.

Meminerint ſtudioſi juvenes, anno Chriſti MDCCXXX. *ex Cominiana typographia prodiiſſe* Gabrielis Altilii *Epithalamium, admodum eleganter a Joanne Baptiſta Carminati, Patricio Veneto, redditum carmine Italico quod appellant* Ottava Rima. *Auctor paullo poſt immatura morte præreptus, amicis, & litteratis hominibus magnum ſui deſiderium reliquit. Strophæ ſunt quinquaginta & una: Italica Latinis reſpondent, e regione collocata. Editio ipſa magnifica eſt, ac typis luculentis. Numerus exemplarium in dies apud bibliopolam decreſcit: propterea qui res pulchras amant, feſtinent ea quæ adhuc reliqua ſunt, ſibi comparare.*

HONORATI FASCITELLI ISERNIENSIS CARMINA ELEGANTISSIMA,

In altera noſtra Editione, inſigniter aucta.

Selecta Doctorum Virorum
DE HONORATO
FASCITELLO
EJUSQUE SCRIPTIS
TESTIMONIA.

Abbas Ferdinandus Ughellus Italiæ Sacræ Tomo Nono in Epiſcopis Inſulanenſibus.

HONORATUS FASCITELLUS † Iſernienſis, nobili familia natus anno 1502. patre Marco viro clar. matre Margarita Caraceiola; puer anno 17. monachus Caſinenſis Cœnobii factus (1), vir evaſit in Græcis, humanis, diviniſque literis verſatiſſimus, & poëta inſignis, cujus etiam poëmata lepidiſſima leguntur apud Jovium in Elogiis, ſuntque impreſſa quoque in Deliciis Poëtarum Italorum. Laudatur a Bembo, Joanne Caſa, Flaminio, ab amico noſtro erudito Jo. Baptiſta Mari Canonico S. Angeli in foro Piſcium in notis ad librum Petri Diaconi Caſinenſis de Viris Illuſtribus Caſinenſibus, quem publici juris fecit Romæ anno 1655. aliiſque doctiſſimis

---

(†) Seb. Gryphius vocat *Venetum* in Præf. ſua ad Lectorem Lactantii ab eo excuſi Lugduni 1541. in 8. ſic enim ait: *Tanta annis ab hinc quatuor* (ſex *debuit dicere*) *felicitate Honoratus Faſitelius* Venetus *integritati ſuæ reſtituit, ut non Firmiano plus, ex quo nati ſunt, quam Faſitelio, ex quo renati, debere videantur.*

(1) Sub Vincentio Neapolitano.

mis viris; quumque ob egregias virtutes, JULII III. PONTIFICIS notus, & familiaris esset, Insulana insula condecoratus est die 30. Januarii 1551. præceptor datus Innocentio Montio Cardinali in Pontificis familiam adoptato. Interfuit Concilio Tridentino. Romæ obiit mense Martio 1564. quum jam antea Episcopatu se absolvisset. (1) Insigne edidit opus de factis Alphonsi Marchionis Vasti heroico carmine, cujus cum laude meminit Scipio Capicius de Principiis Rerum *in calce Lib. II.*

† *Paulus Manutius in Epistola ad Germanum Minadoum Monachum Casinatem præfixa suæ Lactantii Editioni anni* 1535. *ab* HONORATO FASCITELLO, *correctæ & auctæ, post multas* FASCITELLI *laudes, hæc subjungit.*

NON enim facile dicam, plusne humanitatis in optimo juvene, an eruditionis inesse perspexerim. sed certe cum alteram acceperit ab ipsa natura, alteram diligentia, vel summo potius quodam ingenio sit consecutus: in utraque ita præstat, ut anteponendus nemo, conferendi vero quam pauciſſimi sint. Non pauca tum græce, tum latine ab illo scripta amici legimus. quid elegantius? quid purius? quid magis aut sententiosum, aut proprium? Versus facit: Musas ipsas non aliter loqui credas. Conscribit aliquid soluta oratione: veterem eloquentiam exprimi melius non posse dicas. De judicii præstantia, de candore animi, de comitate nihil di-

(1) Scripsit quamplurima opera, quæ temporum calamitate ad manus nostras non devenerunt. Floruit temporibus Caroli V. & Maximiliani Imperatorum. *Placidus Diaconus Casinensis in Supplemento ad Librum Petri Diaconi de Viris Illustribus Casinensibus.*

dicam. Primum, quod hæc notiora ſunt, quam ut noſtro indigeant teſtimonio: deinde, quod facile poſſim, cum non ſit hic proprius illa commemorandi locus, in aliquam aſſentationis ſuſpicionem incidere. a qua ego tam longe abſum, quam ille ipſe, qua eſt modeſtia, cum hæc pauca de ſe ſcripta vel audiet, vel leget, laturus eſt ſubmoleſte. Verumenimvero faciundum ita fuit, & dandum aliquid amicitiæ ac veritati: quando is eſt, de quo ſit poſteritas locutura. Quibus rebus cum ego, ut illum incredibili quadam benevolentia, vel potius pietate, complecterer, impulſus eſſem: etiam ut deberem, magno ejus beneficio factum eſt. Nam cum me ita animatum, ut ſupra commemoravi, ſenſiſſet; quaſi non contentus, eam viam quæ ad veram ſapientiam ducit, oſtendiſſe, niſi etiam primos aditus muniret, detulit ad me quos nunc impreſſimus Lactantii libros, tam multis illos quidem in locis & emendatos, & auctos, ut cum omnibus qui ante exierant, collati, propemodum alii viderentur. &c.

Petrus Victorius Epiſtolarum Lib. II. Epiſtola ad FASCITELLUM.

Accepi (*a Simone Portio*) te ab JULIO III. PONT. MAX. Epiſcopum eſſe creatum, quum paucis antea menſibus vel diebus potius te uſus eſſet, atque inſtituendo, ingenuaque omni diſciplina, expoliendo Cardinali ſuo deſtinaſſet: eo autem nuntio maxime lætatus ſum, & tui ipſius cauſſa, quem ſemper amavi, & propter admirabiles virtutes tuas, merito ſuſpexi, & aliorum etiam, qui idem vitæ iter ingreſſi, atque in doctrinæ ſtudiis diu verſati, ſperare poſſunt, præmium aliquod aliquando fore ſuis laboribus; cui rei ſi operam darent opulenti viri, & in maximis dignitatibus conſtituti, vehementer in-

inflammarentur animi reliquorum ad optimas artes colendas, & in antiquum gradum honoris reſtituendas, unde importunitate barbarorum, calamitateque ſuperiorum temporum indigniſſime dejectæ fuerant: nam, quin hoc perfici poſſit, dubitare non debemus, quum hac ætate magna illis acceſſio facta ſit, ſponte ad hoc conſpirantibus ingenioſis viris, potius quam juſta ulla mercede tantæ ſuæ induſtriæ invitatis. &c.

Q. Marius Corradus Libro XIII. de Lingua Latina.

Luſerunt alia doctiſſimi viri, Pontanus, Caſtilio, Varchius, Jo. Baptiſta Arcucius, Cotta, Naugerius, Fracaſtorius, Amaltheus, Marullus, Gambara, FASCITELLUS; quorum tamen ſcriptis non minus, quam Virgilii, Horatii, aliorumque veterum, poſteritas omnis adjuvabitur.

Jo. Matthæus Toſcanus Pepli Italiæ lib. III. pag. 78.

FASCITELLUM protulit Neapolis, Cardinali FARNESIO ob ingenii elegantiam carum: a quo & Epiſcopatu honeſtatus eſt. Puriſſima ejus & dulciſſima poëmata, quotquot in manus noſtras venerunt, typis exaranda curavimus primo volumine Carminum Illuſtrium Poëtarum Italorum. Multo tamen majorem carminum numerum, nondum luce donatum, poëtices ſtudioſi deſiderant: quæ aliquando proditura (1) non deſperamus.

Janus

(1) Nobis potiſſimum id contigit, ut primi omnium (niſi valde fallimur) plura, & ea quidem graviora, FASCITELLI carmina, ſitu atque oblivione pæne ſepulta, in lucem proferremus. Quanti enim fieri debet a juſtis

Janus Broukhuſius ad illa Tibulli Eleg. I. lib. I. Exiguo luceat igne focus.

Quæ perpulchre eſt imitatus HONORATUS FASCITELLUS, Epiſcopus Inſulanus, vir multis nominibus laudatiſſimus:

At dies brevioribus
Rapta cum ſpatiis ruit,
Brumaque extulit horridum
Verticem gelidæ nivis
Imbriumque potentem,
Tum foco ſilüa integra
Advoluta hilarat domum:
Nos pigri utraque & utraque
Cruraque, & latera indidem
Uſtulamus ad ignem.

tum quæ inibi ſunt plura, eruditæ venuſtatis pleniſſima.

Idem ibid. ad illa Eleg. I. lib. II. Fulvis circumdatus alis Somnus.

Pulchre HONORATUS FASCITELLUS, poëta purus ac nitidus, cujus ego plura exſtare Carmina (1) magno emerim:

Uſque

ſtis rerum æſtimatoribus Poëma nobile de geſtis ALFONSI, Marchionis Vaſti, cujus egregii operis meminerunt Scipio Capicius, & Ferdinandus Ughellus, quos teſtes locupletes in hac cauſſa excitavimus. Id tamen ante noſtram ætatem typis deſcriptum numquam fuit, quod ſciamus.

(1) Utinam Broukhuſius adhuc ſupereſſet! magnam ſcilicet

Usque dum veniens genis
Conniventibus, & pede
Debili Sopor, unus ut
Quisquis eat cubitum monet
Oscitante labello.

pulchre, inquam, Somnum pede debilem fecit. Rationem nos docet Pausanias Eliacis prioribus, sive lib. V. &c.

Idem ad illum Propertii versum Eleg. I. lib. III.
Ad tua rorantes carmina flexit equos.

Perquam venusta tralatione ii pisces nostro *equi* dicuntur. Et secutus est HONORATUS FASCITELLUS, nobilis superiorum temporum poëta, ad homines transferens:

Regem magna virûm proceraque colla duorum
Sublimem junctis sustulerant manibus.
Hi currus illis, hæ sunt in honore quadrigæ:
Non aliis prisco more vehuntur equis.

Respexit autem is ad locum Plinii Minoris Panegyr. *Nam priores invehi & importari solebant, non dico quadrijugo curru & albentibus equis, sed humeris hominum.*

Josias Simlerus in Epitome Bibliothecæ Conradi Gesneri. fol. Tiguri 1555. pag. 80.

HONORATUS FASCITELLUS scripsit insigne Poëma ad Heroinam Piscariæ.

cet animo lætitiam caperet legendis quamplurimis FASCITELLI versibus, huic alteri editioni nostræ adjunctis; qua erat in eum poëtam voluntate. Hos tamen insigni Viri celeberrimi APOSTOLI ZENI liberalitati omnino deberet, qui ex illo suo copiosissimo bonorum librorum thesauro depromtos, nobis edendos benigne concessit.

HO-

HONORATI FASCITELLI ISERNIENSIS CARMINA.

I.

ALFONSUS.

(E Codice chartaceo in folio, ut vocant, Viri Celeberr. Apostoli Zeni; in quo nonnullorum poëmata Latina & Etrusca, item alia soluta oratione scripta continentur; pag. 24. Huic Codici nota numeri I. apposita est.)

NUMQUAM non Musis, numquam non vatibus æque
Gesta deûm curæ, curæ sunt gesta virorum.
At vos, Pegasides, vos æquius inclyta semper
Facta patris decet, & divûm cecinisse trophæa;
Qualia Phlegræos dudum bellata per agros
Stans vestrûm medius, quondam cantabat Apollo;
Ætnamque, Prochytenque, & olentes sulphure Bajas:
Quandoquidem divas æquum est meminisse deorum.

Nos contra melius, nobiſcum carpere ſuetos,
Quicquid id eſt tandem cæli & ſpirabilis auræ,
Noſtrates canimus, veſtriſque æquare paramus.
Sic ego * id meditor totum vulganda per orbem,
Quæ mihi poſt paullo Parcæ dicenda reſervant:
Scilicet ut tenui jam pendeat Africa filo,
Jam trepidet, miſeriſque modis turbata laboret;
Nec quid agat, norit; vel quo ſe exterrita vertat.
Ipſe ſibi mediis Triton diffidit arenis;
Ipſe tremit vacuis Naſamon prædator in arvis;
Et celeri Garamas curſu delatus ad Indos,
Avia jam noti ſuperat cunabula Nili.
Per nemora ad latebras, & inhoſpita tenditur antra;
Nec tamen aut ſilvæ miſeris, aut ulla putantur
Teſqua ſatis. Paſſim pallorque, pavorque vagantes
Occupat; & vario miſcentur cuncta tumultu.
Tantum aſpectantes Aſiam, Turcamque tyrannum,
Ore fremunt omnes: Tum, ſpes ubi nulla ſalutis,
Id ſibi præſidii ſolum ſupereſſe fateri.
Jamque cient magnis clamoribus. Huccine rerum
Deventum eſt Libyæ? vix eſt mihi credere dignum.
Sed tamen hæc etiam, Libye, te fata manebant.
Ah miſera, ah male ſana, ducesque oblita priores,
Nec tibi jam conſtans, nec habens cui perdita fidas!
Tu Libye? tune illa tuis armiſque viriſque
Terra potens, Latii quæ nominis æmula ſemper,
Sola parem terris animo aſpernata Quirinum,
Aurea ſublimi feriebas ſidera dextra?
Nunc Aſiam imbellem ſpectas, Parthumque fugacem;
Nunc externa petis Tyriæ ſolatia genti,
Heu quantum meritis minor, & virtute parentum!
Nequicquam tamen, infelix, hæc ipſa fatigas
Auxilia, & turpi talem te fœdere firmas.
Nam ſua ſtant Aſiæ quoque funera, nec procul ardent;
Et junctæ caſu longe majore ruetis.
Anne parum vobis Europæ cognita virtus?

Vos

Vos armis Europa petit, belloque laceſſit,
Italiæ auſpiciis, ducibuſque innixa Latinis.
Jamque parat Siculi præter vada currere ponti;
Jam Ligurum obſedit ſalebroſo in litore portus
Magnanimûm inſtructis heroum exercitus alis;
Adcincti bello juvenes, Romana propago;
Spirantes patriæ meritos virtutis honores.
Quos inter medius gradiens ALFONSUS, & ipſe
Scipiadas nobis referat qui ſolus utroſque,
Sceptra manu geſtans, AVALUMque inſignia regum,
Terribilem criſtis galeam quatit acer equinis,
Qualis Parthenopes nuper ſub montibus idem
Gallorum magna delebat ſtrage cohortes.
Tempore quo mihi LAUTRECCUM Ligur AURIA Belgâ,
Ignavoſque duces infauſtaque caſtra peroſus,
Vertit iter, ſeriſque ſuis ſibi conſcius annis,
Hic demum tuta claſſem ſtatione recepit.
I cava nunc Cetara, & Amalphides ite puellæ,
Incuſate deos, & Tuſci numina ponti,
Candida marmoreis plangentes pectora palmis.
Hæc quoque Parcarum volvebant ſtamina fuſi,
AURIA uti fato victorque & victus eodem,
Jungeret ALFONSO ſeſe, juvenemque ſecutus
Jam ſenior, bello tumidos, præſtaret, ut ille
Tum certe Gallos noſtris averteret oris:
Mox vero magnis Libyamque Aſiamque catenis
Implicet, & pedibus calcandas Cæſaris....
Nec mihi ſe Rhenus jactet conjunctus Ibero:
Dum ſtetit, hoſtileſque minas interrita vidit
Parthenope, ALFONSI dextra ſtetit. AURIA magno
AURIA dein AVALO junctus, terraque marique
Ilicet oſtendit, quid pubes Itala poſſet,
Diſcordes animo pergat ſi ponere motus;
Sponte nec ipſa ſua caput offerat obvia leto,
Dum ſtudiis diverſa ruit; dum turbine cæco
Acta, odiis, grata & rerum novitate tenetur.

Atque utinam quorum manibus victoria parta eſt,
Iidem virtutis quæſiſſent præmia ſoli,
Et bene pro meritis laudum quoque dona tuliſſent.
Nunc eadem inſontes pariter ſonteſque procella
Perculit, & cunctos uno ſimul obruit æſtu:
Dum ſibi quiſque putat nil non impune licere;
Et rapit; & læti quantum quis poſſidet agri,
Tanti agitur reus, & patriis procul exſulat oris.
Heu ſortem miſerandam, & noſtris debita ſeclis
Fata deûm! ſi fata deûm tam dira putandum.
Sic o ſic tandem patriis viduata colonis,
Una viris florens, opibuſque, & fortibus auſis,
Una domus genitrixque deûm, ſoboleſque deorum
ITALIA infelix, Septem-jam tota-trioni
Occidis; &, curru celſa ad Capitolia victos
Ducere gratantum longo quos ordine ſueras,
Nunc dominos perfers; nec te juga barbara tangunt?
Sic nos (heu miſeri!) quæ digna indigna relatu
Pertulimus? quæ non mala vidimus? O ubi tellus
Ultima, & æternis numquam non cana pruinis,
Aut ſolis rapido ſemper damnata ſub axe?
Sed lacrimis modus eſto. Meus, meus ecce propinquat
Quadrijugo invectus Campana per oppida curru
ALFONSUS, pacemque ferat, finemque malorum
Qui ſtatuat; curaſque jubens procul eſſe ſequaces,
Æterna inducat miſerarum oblivia rerum.
Victor io trahit ecce tot inclyta regna, tot urbes
Captivas; monteſque novos oſtentat; & arces
Montibus, & rapido fluviorum vortice tutas
Victor agit, clari ſecum monumenta triumphi:
Innumeras Italo proſtratas Marte phalangas;
Æthiopum Meroën, & Bactra extrema, Dahaſque,
Quoſque habet infelix felices Mecha Sabæos,
Quique bibunt Indum, & centumgemina oppida Cari;
Atque alios, alioſque omnes, quos maximus ambit
Orbis, & Oceano complectitur Amphitrite.

Ve-

Veſtes cuique ſuæ, nec lingua alienior armis.
Hic illum, ille alium miratur: at omnibus omnis
Præcipua Othomani cura eſt, Aſiæque jacentis
Arma procul, capitiſque immenſa volumina ſacri
Proſpicere; humanaſque vices variantia fata,
Aureaque Eoi miſerari vincula regis.
Tu vero Pœnos & claſſem diſcere, & ecquis
Sub pedibus frendat Libyci novus Annibal æſtus,
Ænea cui barba eſt, ferroque incincta nitenti
Dextra rapax, regnumque dolis & cæde paratum.
Ipſi non audent dejecta cacumina montes
Tollere; non oculos, infractis cornibus, amnes.
Caucaſus Atlantem miratus, & arida menta,
Ingenteſque artus, concretaque terga pruinis,
Cælum ubi ſit, quærit: verſoque ad gaudia fletu,
Irridere ſenem, percontarique videtur,
Ecquis in Herculei deſudet mole laboris.
Ille ſupercilium tollens, cervice reflexa,
Suſpicit ALFONSUM; ſcapuliſque ad colla relatis,
Ut licet, hæc majora fatetur pondera; & ore
Compreſſo, tantum demiſſo vertice nutat.
Bagrada reſpectat Tigrim ſimul, & ſimul omnem
Prolixam, illacrimans, ſalſo rigat æquore barbam.
At Tigris nictatque oculis, torvumque tuetur,
Jam jam erupturo ſimilis, totamque ſonanti
Curſu everſuro pompam. Pavet obvia turba;
Et flentes pueros preſſant ad pectora matres.
Sic Tagus ad Gangem, Ganges converſus ad Iſtrum,
Inque alios alii, muſſantque dolentque viciſſim;
Spectantumque tenent oculos, atque ora morantur.
PAUSILYPUS læta redimitus tempora citro,
Jura dat, & leges victis imponit amicas;
Ac monet, ut partem ſocii SEBETHUS honoris
Jam ſubeat, Nymphiſque roſas & lilia mittat.
Ipſe fluentiſona lenis pater incubat urna,
Cæruleos tenera præcinctus arundine crines,

Sufficit & feſtas vario de flore corollas,
Hortaturque ſuas per mollia prata Napæas,
Viſendi properent dulci prævertere cura
Naïadas comites, feſtinantumque catervas
Nereidum: quarum Siren dux, maxima Siren
PARTHENOPE, thyaſoſque novos, nova carmina tentat;
Et movet in numerum choreas, & voce canora
ALFONSUM ingeminans, Felix, hoc auſpice, felix
Nunc ego dicar, ait. Reſponſant æquora plauſu.
Immixtæque viris paſſim nullo ordine matres,
Et pueri adſultant, voceſque ad ſidera tollunt,
Gratandi exciti ſtudio, effuſique per urbem.
Ære cavo divûmque arces, arceſque minorum
Certatim plaudunt heroum, atque aëra frangunt:
Sed divûm reſonis tantum tinnitibus auras
Complent, & molli nubes clangore ſerenant:
Heroum valido fumantes igne coruſcant,
Igne tonant, cælumque petunt, cælū igne laceſſunt,
Et longis liquidum labefactant æthera bombis.
Quæ pater ignipotens media Vulcanus ab Ætna
Dum procul exaudit, clauſo Cyclopas in antro
Caſtigat, furtique vias & nomina quærit;
Fulminibuſque ſuis fremit æmula fulmina, olenti
Sulphureque ſtrepituque & terrificis fulgetris.
Jam fremitu reboant montes; jam jam omnia late
Litora turbantur: Campania tota reſultat.
  Aſt AVALUS divûm templis indicit honores,
Et larga fert dona manu, cumulatque per aras
Tura Arabum, & ſtirpes ima ab radice revulſas.
Tum ſpolia excelſis gaudet ſuſpendere tectis;
Parietibuſque ſacris adfigit opima, ſuperbis
Pro foribus ſtatuens quæſita ex hoſte trophæa.
Talis Liber erat, nigris cum victor ab Indis
Indomitos egit tigres ad frena jugales,
Sileno cum evante, & thyrſigeris Satyriſcis.
Talis & Alcides præda ſpectandus Ibera,

Poſt

Poſt tot inexhauſtos terraque Ereboque labores,
Aut fuit, aut poterat Pompejis eſſe propinquis,
Æterno noſtras dignatus nomine terras.
Victori in primis medio Victoria templo
Adſiſtit, jactatque ſuo ſe nomine læta,
Quondam ſæpe viro, nunc facta nepotibus omen.
Utque olim invicti fata immatura mariti
Flebilibus numeris, doctiſque ſacraſſe querelis
Juvit, & æternis manes intexere chartis;
Jam canit Alfonsi victricia ſigna nepotis,
Lesboas Tuſco percurrens pectine chordas.
Sed locus haud patitur me longius ire per altum,
Nec mihi tam gelido præcordia frigore torpent,
Hujus ego ut brevibus laudes perſtingere verbis
Poſſe rear, ſperemque omnes æquare canendo.
O decus, o patriæ ſpes, heroina, deorum
Salve perpetuo noſtris data munere terris:
Te canimus læti, te cælo tollimus omnes.
Tu mihi te facilem da, vates optima, vati:
Et potuiſſe aliquid tecum fortaſſe feremur.
Hæc meditor, tacituſque animo mecum ipſe voluto.
Atque utinam tantis par ſim modo conditor actis,
Ne me deficiant ſub iniquo pondere vires.
Sed tamen experiar: nec me tentaſſe pigebit.

II.

AD CARDINALEM FARNESIUM.

Farnesi, tibi non ſat eſt, ut ajunt,
In magnis voluiſſe; nam puſilli
Illud eſt hominis * Tibullianum.
Te, qui maximus es, deûmque proles,
Decet maxima quæque jure poſſe:
Quamvis ſors etiam Maronianum
Perrupiſſe Acheronta ſit neceſſe.

* *Propertianum* etiam dicere poterat; nam Propertii eſt Elegiar. lib. 2. *In magnis & voluiſſe ſat eſt.*

Jam ſcis quod volo; perfice ut ſatis ſit;
Hac via, aut alia, nihil laboro:
Tantum perfice. quod remordet, hoc eſt.
Sic tu terque quaterque diis ſecundis
Diu terque quaterque ſis beatus.

III.

AD ANTONIUM PERENOTUM *CARDINALEM.*

QUUM quiſquam maris æſtibus
Deprehenſus, truculenti & rabie Noti,
Jactatus lacera trabe,
Certus naufragii, vota deis facit;
Implerint ſubito leves
A puppi ſi animæ lintea; & æſtibus
Ereptus, rabie & Noti,
Terras proſpiciat, quas petit; & prope
Accedat magis ac magis
Cara ad litora, caram ad requiem, & lares,
Non jam naufragium timens;
Attollit mediis lætus in æthera
Ex undis duplices manus;
Præſenteſque ſupinus celebrat deos:
Quos ſperat fore perpetes,
Purgato rapidis cælo Aquilonibus,
Dum terras cupidus premat.
Sarcit carbaſa mox; & reficit ratem
Diris fluctibus erutam:
Tranquillo det hians ne pelago prius,
Quam portum ſubeat, latus;
Et, qui nunc fuerat præſidio Dei
Servatus, ſua inertia
Magno cum opprobrio turpiter occidat.
Is, poſtquam incolumes tulit
Tandem in litus amicum madidus pedes,
Pictis veſtibus, & trabe
Votivam ſuperis pariete de ſacro

Suſpen-

Suſpendit tabulam, memor
Quam vim ſuſpiciat Numinis, & colat.
Ceſſet ſi auxilium Dei,
Nil noſtrum ingenium, nil valeant manus;
Sitque incognita cælitum
Virtus, ſi nihil æquo ab Jove defluat.

IV.

IN OBITU ARSILLI, MEDICI, *ET POETÆ.*

ERgo videmus lumine hoc ſpirabili
Caſſum jacere te quoque;
Ut plebe quivis unus e vili jacet;
Arsille magno Apollini,
Novemque Muſis care? ſive poculis
Præſentibus morbi graves
Eſſent levandi; ſive dulci carmine
Dicenda mater aurea
Cupidinum, luſuſque furtorum leves.
O vota noſtra inania!
Quid dura fati non poteſt neceſſitas?
I, da lyram mihi, puer;
Manuque funde proniore Cæcubum.
Nunc ſunt Lyæi munera,
Nunc plectra cordi, nunc juvat lectiſſimo
Cinxiſſe flore tempora.
Sicci, tenebris obſiti, triſti in Styge
Fortaſſe eras ſilebimus.

V.

AD NICOLAUM ARDINGHELLUM, *CARDINALEM.*

EST quidem hoc aliquid, fatemur omnes,
Non magnum modo in urbe te, ſed inter
Patres poſſe videre purpuratos.
Eſt quidem hoc aliquid, fatemur omnes,
Ardinghelle: fatemur, & frequentes
Hinc, atque hinc tibi gratulari avemus.

Sed

Sed quod ſit ſatis, id negamus omnes,
Quantum quod pote plurimum negari.
At, quum maximum in orbe viderimus,
Inſignem triplici aurea tiara;
Quæ virtus tua, noſtraque omnium eſt ſpes;
Tum vero id poterit ſatis videri.

VI.

AD F. CORNELIUM.

UNus qui reliquus mihi patronus,
Corneli, fueras, vetuſque amicus;
Qui excelſo uſque animo eſſe me jubebas
Firma in ſpe eximiaque, maximaque,
Ut jam iſtos facerem pili beatos:
Nunc diverſus abire, nunc videris
Idem non animo eſſe, non loquela.
Et, quod me cruciat magis magiſque,
Nullam ob cauſſam aliam niſi ob facetam
Unam, ridiculamque, futilemque.
Quod Farnesius ad jocum libenter
Refert omnia; qui ſolet jocari
Tecum; & cui fuerit bono, rogare.
Atque hic tu mihi per jocum, atque luſum
Verbis illius (o novos lepores!)
Quid non dicere, vel tacere pergis?
Commentum placet elegans, faliſque
Plenum. ſed, mihi crede, vultu, ocellis,
Pallore, atque tremore, denique ipſa
Næ tu proderis oſcitatione.
Tun' me? tun' mihi? qui tibi. ſed ad rem.
Amabo, mihi deſine iſta, poſthac
Plane frigida. Sin, vide, palam, clam
Profecto ad Jovium elegantiarum
Appellabo parentem. habet paratas
Is chartas, calamoſque, ſive Etruſcos
Malis, ſive etiam Latiniores:
Quales nunc Venetos tuos videmus:

Qui-

Quibus quum hiſtoriam politiorem
Conſcribillet ab orbe condito omnem,
Illuſtrans, celebranſque & hos, & illos:
Jure amicitiæ petemus, ut te
In hos inſerat, & tuos lepores.

VII.

* IN PAULLUM JOVIUM.

NÆ debent Jovio viri elegantes,
Bonis artibus his, & his politi.
Næ debent Jovio elegantiarum
Parenti, artibus omnibus polito,
Quantum vix animus capeſſat ullus;
Nec vivi modo, qui vident, amantque
Urbani ſenis & ſalem, & lepores;
Sed quos lumine ademto avarus Orcus
Quis ſcit quo cohibet loco miſellos?
Nam facit Jovius ſuis tabellis,

Ex-

* Hoc Epigramma Italice ita redditum eſt an ab ipſo FASCITELLO, an ab alio illorum temporum poëta? Quæ quidem interpretatio præponitur Elogiis Paulli Jovii Virorum Litteris illuſtrium, de Latina in Italicam linguam translatis.

Quanto al Giovio, che ſiede in ſu la cima
Degl' ingegni eccellenti, incliti, e ornati,
Debba chi vertù eccelſa ebbe dai fati,
Nè in penſier cape, non che in verſi, o in rima.
Ben tenuti gli ſono i vivi in prima,
Ch' ammirano i ſuoi detti alti, e pregiati:
Ma non men quei che fur quindi levati
Da lei che tutti al fin convien ch' opprima.
Che 'l ſuo ſtudio gentile; ond' ei ci diede
Tante onorate immagin da vedere;
Senza cui la lor fama era ſmarrita;
Fa che non temon quei movere il piede
Verſo la morte: e a queſti fa godere
Ancor nel mondo ſempiterna vita.

Excultis lepido ſuo labore,
Leti funera non timere vivos;
Vitam vivere mortuos perennem.

VIII.

AD EUMDEM.

JOvi, quem pote nil novi latere,
Reſciſtine hodie, tuum ſodalem,
Qui te plus reliquis tulitque, fertque,
Et ſemper feret in ſuis ocellis,
A duro tibi Samnio rediſſe?
Neges o utinam, ſenex beate;
Sic ſit, ipſe ego nuntiuſque primus,
Biſque hoc nomine carus eſſe poſſim.
Sed ſeu ſic habeat, quod ipſe malim,
Se res, ſive aliter; tuus ſodalis
A duro tibi Samnio reverſus
Te ſalvere jubet, manuſque pronas
Abſenti, ut licet, oſculatur ambas.
Hoc primum: a regione tum remota
Vectos caſeolos dat, atque pernas;
Addit præterea lepuſculoſque
Duos, quos ab Anagniæ ruinis
Venator tibi tradidit ferendos.
Tu ne deſpice qualecumque munus;
Paullo poſt aderit ſodalis ipſe
Cum rerum tibi ſacculo novarum:
Canet verſiculos ſuos jocoſos;
Tu gravem hiſtoriam tuam repones.

IX.

AD JOVII

Viros illuſtres Armis.

MAgnanimi heroes, ſalvete, haud parva ſupremi
Cura Jovis, docti maxima cura Jovii.
Vos tulit in cæli ſublimes Juppiter arcem,
Dignatus menſa concilioque deûm:

Vos

Vos Jovius totum late volitare per orbem,
  Romanaque jubet vivere in hiſtoria.
Munera magna Jovis: verum, ſi dicere fas eſt,
  Non ſunt æterni dona minora Jovii.

X.

DE JOVIO.

POSTQUAM relegit omnium
  Provinciarum Jovius intimos lares,
Nec inſtituta ſubſtitit
  Via, vel alto territus montis jugo
Hinc dividentis Italos,
  Illinc Iberos bellicoſa Gallia,
Vel æſtuoſis Hadriæ
  Illinc procellis, hinc profundis fluctibus
Turbatus inferi maris:
  Sed inter acres evagatus milites,
Interque rauca cornua,
  Et fuſa victorum hinc, & hinc cadavera,
Non otioſa indagine,
  Tot inde retulit libros annalium:
Mox utriuſque litoris
  Ora remenſa, diligens felicibus
Piſcator inde retibus,
  Avara quidquid ante Neptuni manus
Celaverat nobis, tulit.
  Nunc inquietus patre deductus Jove,
Animuſque jam terreſtribus
  Non rebus explendus, velut celeri Noto
Elatus, ubi cæleſtibus
  Explere ſe ſe latius bonis poteſt;
En aureo promit penu,
  Quantum ſupremo Juppiter manu polo
Pulchri recondit: & quia
  Numquam moveri cælites queunt loco,
Ut ſuſtulit fati dies,
  Veras recepit ſingulorum IMAGINES.

Quas

Quas deditas Apollini,
Musisque Larium colentibus lacum,
Beata continet domus.
Has si videre longa te vetat via,
Aut morbus, aut senium grave,
Præsens libellus indicabit, aureo
Quovis monili carior.
Vos hinc remordet illa si cura, arduum
Tentate cælum, posteri;
Quod summa virtus sola dat recludier.

XI.

IN CAROLI MAGNI EFFIGIEM.

AUDISTINE olim magni post Herculis arma,
Extremam paribus Calpen qui terruit ausis,
Invictum virtute animi dextraque Rolandum?
Audistin' robusta senis tot pignora Amonis?
Ac teneram roseo cum primis ore puellam,
Casside sub dura solitam se credere campo,
Congressamque viris victricem excedere pugna?
Atque alios alioque omnes fortissima bello
Pectora, bis senos ex ordine Pallatinos?
Quos magnis longum spectatos Gallia rebus
Evexit cælo, & fulgentibus intulit astris:
Scilicet insignes spoliis heroas opimis,
Insignes raptis immani ex hoste trophæis.
Hoc duce, quem multo trabeatum cernis in auro,
Nunc etiam adspectu ipso, & majestate verendum,
Hoc meruere olli, & tantum exhausere laborum.
CAROLUS hic ille est, quem nec sæcla ulla, nec ætas
Non canet eximio REGEM cognomine MAGNUM:
Cujus ab auspiciis tum primum Gallica signa
Bætis, & infractus victricia sensit Iberus.
Intremuere Asiæ reges, jacuitque subacta
Punica terribili tellus concussa duello.
Cetera, ab angustæ spatiis exclusa tabellæ,
Te magni divina JOVII monumenta docebunt.

XII.

XII.

FARINATÆ UBERTO.

SERVATA per te patria quod tum maxime
Sit quum misera casura fuerat maxime;
Nunc optimo tu jure, præter cæteros,
O belli & idem pacis artibus inclyte
UBERTE, patria vivis in superstite,
Vivesque dum vivent sacri annales Jovii.

XIII.

IN GIBERTUM, SUMMA INGENII *INDOLE PUERUM.*

GIBERTI ingenium bonas per artes
Excultum celebramus urbe tota,
Dignum Socratica institutione.
Hinc est gloria vera comparanda:
Hinc laus ipsa perennior petenda.
Hoc GIBERTUS amat, puer disertus,
Contemta juvenum procacitate.

XIV.

AD DEOS.

O' Inter veterem, & novam Thearen
Qui me, dii, statuistis immerentem,
Quid vobis voluistis? an poëtam
Vestrum perdere per jocum, atque ludum?
Nam quid feci ego, quidve sum locutus,
Cur vos tam male me, male atque acerbe
Haberetis, ineptiæque multo,
Quam Rheæ deceat genus beatum?
Esto enim mala nostra vos juvabant:
Una non satis, & super Charybdis
Erat? quorsum opus addidisse Scyllam?
Sed freto bona ficus in Sicano
Duci Dulichio tulit salutem:
Nobis in Latio salus Latinis
Est a montibus expetenda summis;
Ut Phœbus cithara increpans sonora

Ter

Ter per ſomnia viſus admonere.
Quare Tibridis ad fluenta, montes,
Qui gratiſſima regna diis tenetis,
Cælo vertice proximi, & decorum
Incincti triplici caput tiara,
Summos vos adeo, rogoque ſupplex,
Ut monſtro me ab utroque liberetis.
In ſinu liceat latere veſtro,
Et ſacra recreare me ſub umbra
Non fici Siculæ; ſed innocentis,
Floridæ, peramabiliſque olivæ:
A cujus mihi ramulis in orbem
Plexis Palladiam petam coronam;
Et colam omnia veſtra dicta, facta.
Sic poſt ſæcula longa & uſque & uſque
Vobis non modo collium ſuperbas
Septem aſſurgere gratulemur arces;
Sed magnum Oromedonta, & ipſum Olympum.

XV.

IN SABELLAM ROMANAM PUELLAM LEPIDISSIMAM.

SABELLÆ * ocelli, non ocelli, ſed vagi
Soles duo minutuli:
Labella, non labella, ſed corallia
Saxis tenella in candidis:
Si vos rigentum flabra ventorum horrida
Diſſuaviari inſaniunt,
Nec eſt manu vel pallio procacium
Arcere pervicaciam;
Nos perditos, qui carne molli, & oſſibus
Non ſaxeis plane ſumus,
Quonam putatis eſſe poſſe corculo?
Qua mente? nec plura attinet.

XVI.

* *In Gagnæji Collectione legitur* GIBERTI.

XVI.

IN EAMDEM.

OOs purpureum, genæque læves
Sabellæ, o teneræ manus eburnæ,
Dentes candiduli, venusti ocelli:
Quibus candidius, venustiusque
Nec candor potis esse, nec venustas:
Qui vestra glacie Notum rigere,
Aut vestra Boream tepere flamma,
Stulti versiculis canunt ineptis,
Ah quanto satiusque veriusque
Me ægrum, flante Aquilone, flante & Austro,
Dicerent tremere usque & æstuare!

XVII.

DE LIVIÆ COLUMNÆ *ROMANÆ OCULIS.*

OCelli nitidi meæ puellæ,
Puellæ lepidissimæ, & venustæ,
Quantum non alia ulla, cui per urbes
Forma excellere contigit Latinas;
Ocelli nitidi, quid accidisse
Vobis (me miserum!) audio molesti?
Vos horror malus, & malæ tenebræ,
Vos furvis nigra nox obumbrat alis?
Et qui sideribus pares eratis,
Nunc caligine hebescitis profunda?
O nimis male, nequiterque factum!

XVIII.

AD EOSDEM.

NÆ, si vos, nitidi & venusti ocelli,
In magnum superi ferent olympum,
Inter ætherias faces locandos;
(Ut percrebuit, & dolemus omnes)
Næ duri superi, miselli homulli.
Sed quando superi; nec in beatos
Jus ægris, neque fas; quod unum, & ingens

Solamen reliquum, valete, ocelli:
Ocelli nitidi meæ puellæ,
Avete, atque valete; deque ſummo
Poſthac vertice mi micate cæli.
In terris ego ture vos, & ara,
Et cantu citharæ colam ſonoræ,
Incenſus magis in dies magiſque
Sanctarum liquido igne pupularum.

XIX.

AD EOS DEM.

POSTQUAM vos, nitidi & venuſti ocelli,
Ocelli nitidi meæ puellæ,
Inter ſidera diis referre viſum eſt;
Nos veſtra ſine luce multa paſſi,
Eo nomine gratulari habemus,
Quod iidem dederunt mali levamen,
Terrarum miſeram vicem dolentes:
Ut quicumque levi ſecant faſelo
Magnæ navifragum ſalum Dione,
Illis vos Helice petita nautis,
Vos ſitis Cynoſura jam futuri.
Ergo quod ſupereſt, miſelli amantes,
Ne fruſtra irrevocabiles fleamus;
Sit finis lacrimis, modus querelis:
Et mecum Veneris patens per æquor
Hos jam ſuſpicite, hos duces habete.

XX.

AD PETRUM MYRTEUM.

MISI caſeolum meo poetæ;
Ille continuo ſuæ puellæ
Miſit turpiculæ atque ineleganti:
Tanti me meus æſtimat poëta.
Poſt paullo ſuus it puer, reditque
Ad me verſiculis novis onuſtus,
Quærens quod dominus comeſſe poſſit.
Mittam, Myrtee: qui negare poſſum?

Sed

Sed prius mihi dic, rogo, quid omnes
Vos ſummi, & lepidiſſimi poëtæ
Muſas dicere virgines ſoletis;
In luſtris tamen improbe adlubeſcit
Enectas ſcabie, & fami perire?

XXI.

IN ASPASIUM,

MALUM POETAM.

AD me tam ſtupidi, & mali poëtæ
Aspasii maledicta numquid hilum
Pertinent, rogo? noti uterque noſtrûm
Bonis omnibus, & malis ad unum,
Ego, atque ille ſumus ſuis uterque.
Solum me miſeret dicacitatis,
Qua fertur ſtolidus, ruitque præceps,
Cæcus nequitia, in meos Iambos.

XXII.

IN DIEM NATALEM SUUM.

NATALIS meus eſt. Io, ſodales,
Urantur pia tura diis amicis,
Vitæ auctoribus, & Jovi ſupremo
In primis hominum, & deûm parenti.
Poſt Jovem neque Juno, nec Minerva,
Sed FARNESIUS inclytus colendus,
Bona cum venia omnium deorum:
Nam in terris prope par Jovi ſupremo.
Luce non alia, ſed ipſa eadem,
Vitæ principium ut dedit mihi ille;
Hic cultum addidit, & decus: paremque
Juſſit, & ſimilem eſſe me deorum.

XXIII.

DE ANNIA VILLA.

ANNII nemoris ſacra
Citria, & liquido ſacer
Fons fluens pede per nemus,
Quodque colle habet in ſacro
Mollis acta ſacellum:
Voſque agreſtia numina,
Dii deæque genus Jovis,
Frigidum quibus eſt nemus,
Fonſque jugis, & inclyta
Ara rite dicata:
Rite ſi nemore horrido
Fonte ſepoſito procul
Imminens pelago capit
Ulla vos ſuper arduo
Ara colle dicata:
Quam relinquo dolens querens,
Quam reviſo volens lubens
Vos ego! & tenerum in ſinum,
Dia ad otia, gaudeo
Memet abdere veſtrum!
Sive ſub nemoris nigri
Delitere comis juvat,
Et fluente brevi in tunica ad vagi Zephyri levem
Frigerarier auram:
Sive dulce loquaculi
Fontis ad gelidos ſpecus
Seſſitare, & aquam hac & hac
Somnuli illecebram manu
Uſque pellere lenta.

Tum

Tum modo ſpatiarier
Garrula cithara gravem:
Collis e ſpecula modo
Mille cernere puppium
Vela prætereuntum:
Quum calore Canis gravi
Terra & æquore perfurit,
Fervidoque Hyperione
Arctos icta vacat gelu,
Triſtibuſque tenebris.
At dies brevioribus
Rapta quum ſpatiis ruit,
Brumaque extulit horridum
Verticem gelidæ nivis
Imbriumque potentem,
Tum foco ſilua integra
Advoluta hilarat domum:
Nos pigri utraque & utraque
Cruraque & latera indidem
Uſtulamus ad ignem.
Verna pingue mihi veru
Verſat, & pereat cavet
Ne qua ſtilla beatior:
Ac premens fovet offulis
Uncta cruſta ſuillis.
Promit hic ſibi Cæcuba,
Miſcet ille Falerna: nec
Hic, nec ille ſpuit, negans
Firma Maſſica lenibus
Diluenda Calenis.
Tum ſatur Genium Laris,
Tum Larem Genii canit:
Stridulaque ſtrepens cicuta hinc & hinc male ſobrio
Ter ſolum pede pulſat;

Uſque dum veniens genis
Conniventibus, & pede
Debili Sopor, unus ut
Quiſque eat cubitum monet
Oſcitante labello.
Qui novi tibi floſculos
Veris explicet, explicet
Is minore negotio,
Nocte quot media micant
Clara ſidera cælo.
Nec meum officium mihi
Excidit: facio Jovi
Maximo, reliquiſque diis
Semper; ut decet, & boni
Tradidere parentes:
Sive Solis ad extimos
Cardines, citimoſve ſe
Vertat annus, amabile
Sive rideat ad pares
Mollis ætheris horas.
Illa nocte dieque me
Cura fervidior coquit
Sola; cetera liberum;
Ne ſacri ulla operatio
Negligatur aviti.
Hic diu mihi vivere, &
Hic tandem liceat mori,
Semper & lateam immemor
Omnium, bene nec mihi
Sæpe cognitus ipſi.
Quod meus Fabius ſuo
Cum Polo facit optimus
Optimo, Capimontio
Rure qui ſibi candidum
Lætus exigit ævum.

Quod Caſerta facit meus,
Pontietta facit meus,
Ille moribus aureis
Clarus, hic fidibus ſacris,
Inſulaque decorus.
Quod Maphæus ad uvidi
Rura frigida Tiburis
Nuper ambitioſius
Velle ſe quoque credulis
Jactitabat amicis.
At FARNESIUS inclytus
Vota diſſipat irrita:
Et jubet medio in foro
Scribat hiſtorias graves,
Ludicrumque poëma.
Sed FARNESIUS, omnia
Qui poteſt, mihi tum meum
Poſſet excutere ANNIUM,
Quum ſuum imperium ſibi
Poſcet urbis & orbis.
Sic diu hic mihi vivere,
Hic mori liceat mihi:
Et FARNESIUS, ut lubet,
Poſſit omnia, maximo
Nil Avo minor olim.
Voſque agreſtia numina,
Dii deæque genus Jovis,
Eſte vos faciles mihi:
Vos Lares, Genius foci,
Intonate ſiniſtrum.
Sic lætum vireat nemus
Semper, & vitreus fluat
Fons perenne, recentibus
Ara ſumet odoribus:
Intonate ſiniſtrum.

Ipſe non Heliconio
Collis invideat jugo:
Ipſa non Aracynthios
Optet acta ſibi modos:
Intonate ſiniſtrum.
Nullus huc aditum ferat,
Nullus aut grege cum improbo
Paſtor impius, aut mala
Ales, aut quadrupes fera:
Intonate ſiniſtrum.
Nullus undiſoni æquoris
Fluctus auribus obſtrepat:
Nulla vos violentior
Tundat aura Favonio:
Intonate ſiniſtrum.

XXIV.

AD SCIPIONEM CAPICIUM.

QUis mihi nunc ruri non ſuadeat eſſe, Capici,
Et vetet agreſti munera ferre Lari?
In patrios migravit agros, cæloque Caſerta
Devocat æternos ad ſua rura deos:
Et facit, ut magnum Campania terra Tryphonem
In parva jactet ſe quoque habere caſa.
O ego quid ceſſo? populique urbeſque valete;
Et quæcumque levis compita vulgus amat:
Vulgus, in extremis quæſita Themiſtita terris
Cui placet, incertis & Calicuta viis;
Neſcio quæ Calicuta novo ſub Sole repoſta,
Æternum Hiſpanæ munus avaritiæ.
Nempe parum fuerat, noſtris diteſcere regnis,
Et verſare avida faſque nefaſque manu;
Intactos niſi claſſe nova penetraſſet ad Indos,
Intentata rudis Tethyos ad ſpatia.

Sci-

Scilicet a curvo miles digreſſus aratro,
Præceps trans terras, & maria alta ruit.
Jamque ſuper Solis curſuſque æſtuſque perennes
Audet in ignotum tendere vela ſalum.
Sic alius nobis alio micat orbe Bootes;
Merſaque ſub Stygio gurgite terra patet.
Ille quidem victor tetris advertere proram,
Et nova poſt tanto geſtit adire ſola.
Ignari rerum populi, per litora fuſi,
Mirantur liquidas currere monſtra vias.
Nunc alacres properant, trepida nunc mente reſiſtunt:
Attollunt cælo lumina cum manibus.
Dumque nova paſſim tacti dulcedine torpent,
Et multa ancipites ſpeque metuque fremunt;
Ecce tubæ ſubitus magnum ferit æthera clangor;
Et crebra reſonant tympana pulſa manu.
Illi Nereïdas divina voce canentes,
Et ſanctos rentur Doridos ire choros.
Inter ſe miris obvertunt nutibus ora,
Et plauſum magnis vocibus ingeminant.
Aſt, ubi fulmineo cælum tremit omne fragore;
Et late fumo ſtat graveolente fretum;
Tum vero ingenti perculſi corda pavore,
Bacchari Eumenidas per vada ſalſa putant.
Nec flammas jam ferre novas, ictuſque minaces,
Permiſtumque gravi ſulphur odore queunt.
Pars fugit, & ſilvis ſe ſe procul abdit opacis:
Agmine pars denſo regia juſſa facit.
Regem magna virûm proceraque colla duorum
Sublimem junctis ſuſtulerant manibus.
Hi currus illis, hæ ſunt in honore quadrigæ:
Non aliis priſco more vehuntur equis.
Sed quibus ille paret contra contendere telis?
Aurum habet: hoc plena porrigit uſque manu.
Quid facis ah, demens? gemmas, aurumque reconde:
Muneribus perdis teque, tuoſque tuis.

At

At felix quondam patriis Epicurus in hortis,
Dum ſibi & ipſe ſerit, quod ſibi & ipſe metit,
Contentus modico vitam traduxit agello:
Nec labes ſanctum polluit ulla ſenem.
Hei mihi, quid dixi? cæleſtes, parcite faſſo:
Contemſit magnos impius ille deos.
Securus leti, Stygiæ ſecurus & undæ,
Riſit tergemini ferrea vincla canis.
Non ego, qui ſoleam ſacra menſtrua. vos mihi teſtes:
Excidit; & linguæ, non mea culpa fuit.
Sanctum ego judicibus potuiſſem dicere vobis,
Flagraret tanta ni ſcelus invidia.
Infelix Epicure, nec hoc mihi nomine care,
Numina tune auſus temnere magna deûm?
Tune auſus Grajas convellere ſacra per urbes,
Et dulci menres faſce levare pias?
Stulte, luis pœnas: quam nunc Acheronte ſub imo
Velles accenſis tura dediſſe focis!
I, miſer, Eumenidum pendentes fronte colubros,
I nunc, & manes, & Phlegethonta nega:
Perſephonem, Ditemque nega. te Tartarus horrens
Compeſcat, miris excrucietque modis.
Sed, mea quæ pietas, unum hoc ignoſcite, divi;
Tuncque illum ſanctum quis neget eſſe, rogem.
Quis tunc, oro, neget? primis cui ſemper ab annis,
Ut ſine cura eſſet, maxima cura fuit.
Non vaſti tumidis pelagi ſe credidit undis;
Flecteret ut dubiam per freta cæca ratem.
Non litui ſtrepitus arrectis auribus hauſit:
Nec ſtupuit medio vellera tincta Tyro.
Denique deſpexit curas; quæcumque ſequaces
Protinus a triſti pectore nos abigunt.
Quin rerum cauſſas tantum libare latentes
Conſtituit primi liminis ante fores:
Ne curis animum torqueret inanibus ægrum;
Cerneret & medio ſomnia vana die.

Huic

Huic igitur meritam dubitem concedere laudem;
Et titulum nudi nominis invideam?
Quin senis exemplo jam stat quoque, pace deorum,
Hoc reliquum vitæ degere, quod supereſt.
Urbis delicias in cælum ferte, ſodales:
Urbs aliis placeat; ſordida rura mihi.
Hic juvet inſanos animi componere motus,
Et legere in tuto lintea laxa ſinu:
Armaque pro templo non magnæ figere villæ,
Soſpitis & cymbæ texta ſoluta meæ:
Tum longis dulces ſomnis adjungere ſomnos,
Et ſæpe ipſius non meminiſſe mei.
Dii facite, immites diſcerpant cetera venti:
Hæc pars e votis ſit rata ſola meis.
Ut ſit, qui poſſit de me quoque dicere, Felix,
Urbe procul ſolis qui ſibi vivit agris:
Vivit; & æterno CHRISTI dum flagrat amore,
Farre pius modico ruſtica ſacra facit.

XXV.

AD RAMBERTUM SUUM.

* *De quodam Veneto adoleſcentulo e nobili* BARBARORUM *genere, qui quum ficus decerpendi gratia in arborem aſcendiſſet, in puteum delapſus, inde incolumis extractus fuit.*

NE lacrima, RAMBERTE; graves in fata querelas
Ne move; & Aonidum mitte dolere vice.
BARBARUS ut caſu putei delapſus in ima eſt,
Najades incolumem reſtituere deæ.
Nam quicumque ſacris ſemel os admoverit undis,
Hunc quæ jam reliquæ non vereantur aquæ?

XXVI.

MUSIS, DE EODEM.

DEVOTAS quid opus diris inceſſere ficus,
Et probris puteos exagitare malis?

Vos

* Hæc duo Epigrammata in eodem Codice chartaceo, in quo ALFONSUS, adhuc inedita latebant. pag. 28.

Vos potius Musæ, pleno vos prosequar ore,
Quarum præsenti sospes amicus ope est.
Barbarus incolumis vestro mihi munere vivit,
Infausta occiderat qui prope raptus ave.
Scilicet hæc vestra est vatum bona cura piorum,
Olim qui dextro vos adiere pede;
Ut qui Castalio liquidos de fonte liquores
Hauserit, is nullis stet violandus aquis.
Inde etiam Pario quæ pendet fixa sacello,
Hæc Fascitelli grata tabella tui est.

Sonetto di Onorato Fascitello esistente a c. 99. della Raccolta di Rime e Versi in lode di D. Giovanna Castriota Carrafa, Duch. di Nocera, e March. di Cività S. Angelo, fatta da D. Scipione de' Monti. in Vico Equense appresso Giuseppe Cacchi. 1585. in 4.

I Caro io son, che con cerate piume
M' innalzo al Sol del vostro immenso onore,
Qual semplice animal che per costume
Vola alla luce, ove s' incende e muore.
E temo che non strugga e non consume
La cera del desire il troppo ardore,
Sì sono ardenti i rai del vostro lume;
Onde caggia nel mar del proprio errore.
Debili vanni ho certo a sì gran volo;
Ma chi frena il desio vago di farsi
Eterno in grembo della vostra gloria?
Dirassi almen dopo mill' anni ch' arsi
Le penne ardite per seguirvi solo:
E fia di me nel mondo alta memoria.

Honorati Fascitelli Carminum Finis.

Marcus Antonius Flaminius ad Honoratum Fascitellum. Edit. I. Cominianæ pag. 138.

Fascitelle, *quid otio in beato*
Dictavit tibi roſcidis ſub antris
Muſa candida? nil ſoles profecto
Umquam ſcribere laurea corona
Non dignum. Ipſe miſer tumultuoſa
Urbe detineor: tibi benignus
Dedit Juppiter in remoto agello
Latentem placida frui quiete,
Inter Socraticos libros, & inter
Nymphas, & Satyros, nihil profani
Curantem populi leves honores.
Verum, ſive aliquid Marone dignum
Pangis, ſive modis Horatianis
Juvat ludere, quidquid eſt, ſodali
Tuo mitte. alii ſibi, atque Muſis
Scribant: tu cave, carmina occulas, quæ
Digna ſunt medio legi theatro.

De eodem Jo. Matthæus Toscanus Carminum Illuſtrium Poetarum Italorum Tomo I. pag. 257.

Citria mala tuæ, & quot flores Parthenopes, tot
Munditiæ verſus ſunt, Fasitelle, *tui.*

Idem Pepli Italiæ Lib. III. pag. 78. Honoratus Fascitellus, Epiſcopus Inſulenſis.

Fascitelle, *fatum blandæ Sirenis ad urbem*
Te probat ille, madent quo tua plectra, lepos.
Parthenope æternos veris tua fundit honores:
Perpetuo vernat flore Camœna tibi.

Citria

Citria nativo patriæ auro mala renident:
Aurea ſunt Muſæ pignora cuncta tuæ.
Quam tibi cum patria bene convenit! illa poëtæ
Eſt patria, at patriæ es ipſe poëta tuæ.

SCIPIO CAPICIUS in calce Lib. II.
De Principiis Rerum.

TUm vitæ unanimem ſocium comitemque laborum
FASCITELUM, *irati rapuit quem numinis iræ,*
Redde meum. nil triſte illo durumque recepto.
Ipſe tuam cælo demiſſam virginis alvo
Progeniem, canet ille duces, magnique triumphos
AVALIDÆ, *qui nunc vires Orientis, & acrem*
Impia compreſſit reparantem prœlia Gallum.

FINIS.

SCIPIONIS CAPICII

DE VATE MAXIMO,

Hoc eſt de Sanctiſſimo

JESU CHRISTI

PRÆCURSORE

JOANNE BAPTISTA,

LIBRI TRES.

Ex Manutiana Editione anni 1546.

NOTIZIE STORICHE E CRITICHE

Intorno alla Vita e agli Scritti di

SCIPION CAPECE

Napolitano, estese dal Conte

GIAMMARIA MAZZUCHELLI

BRESCIANO.

SCipione Capece, illustre Letterato Napolitano, fiorì nel secolo XVI. Quanto chiaro fu, ed è il nome di lui per le sue coltissime Poesie Latine, altrettanto scarse sono le notizie che abbiamo intorno alla sua Vita; poco o nulla, per quanto ci sia noto, avendone parlato i suoi Contemporanei, e pochissimo gli Scrittori posteriori. Ignoto è egualmente il tempo della sua nascita, che quello della sua morte, e possiamo unicamente affermare ch'egli fiorì dal principio del secolo XVI. fino verso alla metà del medesimo. Della qualità di sua famiglia non ci lasciano per altro all'oscuro gli Autori, che tutti la dicono *nobilissima* (1); che anzi sappiamo da Jacopo Gaddi (2) che *fuit*

E e *Do-*

(1) Lorenzo Crasso nel Vol. II. de' suoi *Elogj d'Uomini Letter.* a car. 176. lo dice *discesо dall' antichissima famiglia Capece patrizia Napolitana*; il Toppi nella *Bibl. Napol.* a car. 280. lo chiama *Cavaliere Napolitano*; e Giambatista Capasso nella sua *Historia Philosophiæ* al Lib. IV. Cap. XI. pag. 39. lo dice *nobilissimæ familiæ Neapolitanæ germen, magnum patriæ, suique ævi ornamentum.*

(2) *De Scriptor. non Ecclesiast.* Vol. I. pag. 104. e 116.

ne'

Dominus Antignani & S. Joannis a Toduccio.

Le sue applicazioni e la sua principal professione furono quelle del Diritto Civile, e noi troviamo ch' era Pubblico Professore di Legge nella Università della sua patria l' anno 1535. siccome fede ce ne fa con una onorevole testimonianza Benedetto del Falco Scrittore contemporaneo e suo amico (3), e ce ne conferma una lettera d' altro suo amico (4). Alcune Opere poi in tal materia, che di lui ci restano, e delle quali si riferiranno i titoli appresso, possono far conoscere abbastanza il suo valore in cotal genere di studio. Ma della celebrità del suo nome egli è principalmente debitore al suo genio verso le belle Lettere, le quali non solamente coltivò egli indefessamente, ma diede altresì comodo agli altri

---

ne' quali due luoghi si vede replicatamente con errore stampato ciò che del nostro Capece scrive il Gaddi, il quale della nobiltà della famiglia Capece ha trattato a lungo nell' Elogio di Corrado Capece.

(3) Non può essere al parer nostro più onorevole per il nostro Capece la menzione che ne ha fatto Benedetto del Falco nella prefazione del suo rarissimo *Rimario* impresso in *Napoli per Matthio Canze da Brescia* 1535. *in* 4. In essa, dopo essersi difeso del non aver ad alcuno dedicata quella sua fatica, dice che, quando sotto il favor d' alcuno avesse dovuto pubblicarla, scelti avrebbe que' Cavalieri, a cui egli e l' Opera sua erano più che ad altri obbligati; e fra questi registra anche il nostro Autore nel seguente modo: *E ancora il mio Signor Scipion Capece Jurisconsultissimo e alto interprete delle sacre Leggi publicamente stipendiato nella interpretazione vera e sottile degli altri Jurisconsulti, che non men è prudente in sì nobilissima lettura, che Poeta eccellentissimo e Latino, il cui divin Poema sua* De Vate Maximo *si versa da tutte dotte e latinissime mani.*

(4) Lettera di Paolo Flavio premessa alla prima edizione de' *Comment.* di Donato sopra Virgilio, di cui si parlerà più sotto.

altri di coltivare in sua casa, cui aprì alla conversazione letteraria di tutti gli Uomini dotti ed onesti d' allora, i quali vi concorrevano in copia, e vi trattavano di materie Filosofiche, di coltura di Lingua, e de' migliori Scrittori. Di molto agio certamente a quest' Adunanza, e di frequente argomento a que' discorsi sarà verisimilmente stata la scelta di buoni libri, e de' migliori Codici fatta dal nostro Autore, che molto se ne dilettò; e in fatti siamo a lui debitori della rarissima edizione seguita nel 1535. de' Commentarj di Donato sopra l' Eneide di Virgilio, mercè d' un testo a penna che dalla Libreria del celebre Pontano era passato in suo potere. Il merito d' esso Codice fu in detta Adunanza esaminato, e con approvazione di questa dato alla luce (5) con una lettera in fronte di Paolo Flavio, che di tutto ciò c' instruisce (6), e con altra

(5) Il titolo della suddetta edizione, ch' è stata ignota anche al celebre Giannalberto Fabrizio nella *Biblioth. Latina*, ove parla di Virgilio, è il seguente: *Donati in Libros XII. Æneidos, quæ antea desiderabatur, absoluta interpretatio*; e in fine si legge: *Hujusmodi finis extat in Archetypo. Impressum Neapoli per Jo. Sulzbacchium & Matthiam Cancer IV. Id. Novembris* 1535. in fogl.

(6) Il principio d' essa Dedicatoria, la quale fu indirizzata dal Flavio a Lodovico Toledo, è il seguente: *Cum Scipione Capicio est mihi, clarissime ac vere illustris Adolescens, magna familiaritas, quam mihi colendam semper putavi, ejusque domum optimo cuique apertissimam frequentare soleo, quo Viri Literati, ac studiis doctrinisque dediti solent convenire, ut de rerum ac verborum ratione, bonisque auctoribus colloquantur. Sæpius autem sermo habitus est de Tib. El. Donati in P. Virg. Maronis divinam Æneidem perspicua ac dilucidissima interpretatione, a studiosis ac eruditis sanctopere expetita: quæ apud ipsum Scipionem ex Bibliotheca Pontani, Viri memoria & scriptis celeberrimi, integra exta-*

del noſtro Capece, il quale diede il carico al Flavio dell' accennata edizione.

Una ſua Elegia poi, nella quale preſe a deſcrivere le diſgrazie ſue e inſieme quelle del ſuo ſecolo, ci fa ſapere che la fortuna non fu verſo di lui troppo favorevole, o almeno ch' egli ſe ne trovò poco contento (7). Per altro, mercè d' una lettera di Bernardo Taſſo, che fu ſuo ſtretto amico, a lui ſcritta, venghiamo in cognizione di non ſo che carico o impiego ch' ebbe anche da Ferrante Sanſeverino Principe di Salerno, di cui eſſo Taſſo era Segretario, dal qual Principe fu il Capece per ciò anche gratificato (8). Qual foſſe il detto impiego, non

---

extabat & abſoluta. Eam vero Donati perpolitam expoſitionem &c. e poco appreſſo ſoggiugne: *Quæ res ipſa Scipioni calcaria ita adhibuit, ut e veſtigio ipſos Donati Commentarios ſtatuerit eſſe imprimendos: Tibi enim jucundius, ac ſtudioſis præſtabilius fore id putabat. Is vero, quum eſſet in Jure Civili interpretando magnopere occupatus, hanc mihi provinciam dedit, quam ut lubentius ſuſciperem, me plura impulerunt, atque illud unum maxime, quod tibi id opus dicatum iri intelligerem &c.*

(7) La mentovata Elegia è la quarta, o ſia l' ultima, delle ſue Elegie impreſſe con le altre ſue Poeſie Latine in Napoli nel 1594.

(8) La lettera del Taſſo a lui ſcritta d' Anverſa ſi trova a car. 330. num. 160. del Vol. I. delle *Lettere di Bernardo Taſſo* dell' edizione fatta in *Padova preſſo il Comino* 1733. in 8. In eſſa fra l' altre coſe, così gli ſcrive il Taſſo: *Il Signor Principe pochi giorni ſono ha avuti lunghiſſimi ragionamenti con eſſo meco della virtù voſtra; e m' è ſtato ſommamente grato che le azioni voſtre non pur abbiano agguagliata la ſperanza che aveva Sua Eccell. di voi, ma avanzata l' opinione degli uomini; di che io non fui mai in dubbio: perchè la voſtra prudenza e integrità mi prometteva queſta e maggior coſa. Io me ne rallegro quanto debbo, e quanto poſſo, così per ſervizio del Sig. Principe, come per*

onor

non ben si sa; ma noto essendo che il Principe di Salerno si trovava allora, cioè intorno al 1544. in Fiandra al servigio dell' Imperador Carlo V., e che lasciata aveva in Napoli Isabella Villamarina sua dilettissima moglie, da cui pur era teneramente corrisposto (9), non è inverisimile che fra i soggetti destinati da quel Principe o al governo de' suoi Feudi, o alla cura della sua famiglia, e delle sue copiosissime rendite, fosse pure il nostro Capece; tanto più che veggiamo in quel suo servigio lodata dal Tasso la sua *prudenza ed integrità* (10), ed era uno de' parenti d' Isabella il Capece (11). Ci è anche noto per altra lettera del Tasso, come ad amendue, cioè alla detta Principessa e al Capece venivano comunicati e renduti noti gli stessi affari in tempo della lontananza del Principe (12); e certi pur siamo della singolare stima e venerazione ch'

onor vostro; sperando che e Sua Ecc. della vostra virtù, e voi della sua gratitudine debbiate ugualmente rimanere soddisfatti; e io, come servidor dell' uno, e dell' altro, partecipe d' ogni vostro utile e reputazione.

(9) Del raro e tenero amore che passava fra que' due sposi veggasi ciò che racconta Agostino Nifo Scrittore contemporaneo nella sua Opera *De Amore* al Cap. CII. pag. 426. dell' ediz. di Parigi 1645. Delle rare doti poi e d' animo e di corpo di quella Principessa moltissimi Scrittori hanno fatti distinti Elogj. Il Ruscelli, fra gli altri, nella sua *Lettura sopra il Sonetto del Marchese della Terza* a car. 40. afferma che la natura poteva ben formare una Donna che fosse o in tutto o in parte simile a quella, e ciò *col fare un estremo delle sue forze*; ma non mai che la superasse in una minima parte.

(10) *Lettera* del Tasso soprammentovata.

(11) Gaddi, loc. cit. ove la chiama *consanguineam* del nostro Autore.

(12) Veggasi fra le *Lettere* del Tasso nel Vol. I. quella segnata del num. 212. a car. 434.

ebbe e conservò il Capece delle rare doti di quella Principessa, a lui più che ad ogni altro forse, ben note; di che ci somministra una evidente prova la testimonianza di Paolo Manuzio nella Dedicatoria a quella indirizzata del Poemetto del nostro Autore intitolato *De Principiis rerum* (13).

Questo Poemetto, cui piacque al Capece di dedicare al Pontefice Paolo III. non fece che vie più render chiaro il nome dell' Autore, il quale già alla Repubblica Letteraria con altri saggi della sua facondissima vena s' era fatto conoscere per uno de' più felici e colti Poeti Latini del suo tempo. Egli lo divise in due Libri, e trattò in esso de' Filosofici sistemi, sostenendo essere l' aria il principio di tutte le cose, e perciò a quella attribuendo quelle cagioni che altri attribuivano chi agli atomi, chi al fuoco, chi all' acqua, e chi a tutti insieme gli Elementi. Il primo a recarne giudizio, per quanto da noi si sappia, fu il Cardinal Pietro Bembo, che lo lesse Ms. e desiderò di vederlo stampato, dicendo esser tale *ut magnopere cum Lucretii stylum & elegantiam, tum antiquorum hominum ætatem illam cultam & perpolitam* (†) *redoleat*. Ma se il Bembo si contentò in questo Elogio di paragonarlo nello stile e nella eleganza a Lucrezio, con maggior vantaggio eziandio volle giudicarne il Manuzio nella soprammentovata Dedicatoria, in cui non contento di dirlo un *Poema divi-*

(13) *Hinc Capicius ille tuus*, così ivi scrive a quella Principessa il Manuzio, *tuarum laudum laudatissimus præco, qui te admiratur unam, qui observat; qui cum de te multa & nova prædicarit, ita concludit, unam habere quæ optabilia sint, omnia*; e poco appresso chiama il Capece *tui studiosissimum*.

(†) Il detto giudizio del Bembo si legge in una sua Lettera impressa avanti la mentovata edizione di P. Manuzio,

divino, l' esaltò ancora sopra quello di Lucrezio, confessando che venne questo a piacergli meno, dappoichè letto aveva quello del Capece, di cui nulla di più perfetto in quel genere aveva ancora letto. Eccone le sue parole: *Divinum carmen est* (parla del detto Poema *De Principiis rerum*) *multis luminibus ingenii, multa arte distinctum. Equidem nihil legi in hoc genere perfectius: ut ne Lucretius quidem pluris apud me sit: quo cum antea propter sermonis elegantiam delectarer, utererque multum, cœpit mihi jam minus esse familiaris, posteaquam Capicium legi.* Dopo giudizj così vantaggiosi del Bembo e del Manuzio non potrà taluno non maravigliarsi che il celebre Lilio Gregorio Giraldi, uomo per altro assai atto a giudicare in genere di Poesia, abbia parlato del nostro autore come d'un Poeta dozzinale, e che appena appena meritasse luogo fra' Poeti del suo tempo (14). Le parole del Giraldi meritano d' essere quì riferite. Dopo aver egli dunque favellato de' Poeti Volgari del suo tempo, passando a trattare de' Latini così incomincia (15): *Inter hos igitur imprimis commemorabo Scipionem Capicium poëtam ex Neapolitano Regno, qui in aliquo poëtarum numero censendus est.* Pare veramente che il Giraldi gli faccia onore registrandolo il primo fra i Poeti Latini, di cui principia a parlare, ma a un tal vantaggio ogni forza fanno perdere quelle parole *in aliquo poëtarum nume-*

(14) Se n' è in fatti maravigliato il Nicodemo nelle *Addizioni alla Bibliot. Napol. del Toppi* a car. 225. e 226. ove afferma che il Giraldi ne giudicò *o con troppa iniquità, o pure con poco giudizio*. Anche il Gaddi nel luogo cit. scrive sembrargli *rigido* in ciò il Giraldi.

(15) *De Poetis nostrorum Temporum Dial. II.* pag. 417. nel Vol. II. delle Opere del Giraldi. *Basileæ ap. Thomam Guarinum.* 1580. in fogl.

ro censendus est. Egli è tuttavia da osservarsi che il Giraldi formò tal giudizio non già del mentovato Poema *De Principiis rerum*, ma dell' altro soltanto che assai prima il Capece aveva composto e pubblicato sopra San Giambatista intitolato *De Vate Maximo*, siccome chiaramente si conosce da quanto subito aggiugne il Giraldi dicendo: *Ejus ego tres libros carmine heroico conscriptos legi De Vate Maximo inscriptos, quos ita exorsus est:*

Egregium juvenem, terris qui numine missus
Divino, æterni patefecit luminis ortum,
Surgentisque canam veræ primordia lucis (16).

Ciò si vuole da noi detto più per far comparire senza oppositore il giudizio recato dal Bembo, e dal Manuzio, che per difendere o sostenere il sentimento del Giraldi, il quale assai meglio doveva pur giudicare del Poema *De Vate Maximo*, che non è senza un merito singolare. Questo merito è stato assai ben conosciuto e da Benedetto del Falco, che lo chiamò *divino Poema* (17), e da Antonio Tibaldeo chiaro anch' egli Poeta Latino, e quindi ottimo conoscitore di cotal genere di Poesia, componendo sopra di esso il seguente Epigramma al Capece medesimo indirizzato:

Quum nequeam ipse tuo munus par reddere, grates,
Et super hoc nostrum accipe judicium.
Maximus ille tuus Vates: tu, Scipio, Vates
Maximus: haud alio is Vate canendus erat.

Nè a chi volesse difendere il Giraldi, o del tutto sce-

---

(16) Merita perciò d'essere considerato come poco esatto il Baillet il quale ne' suoi *Jugem. des Sçavans* al num. 1277. riferisce avere il Giraldi giudicato poco favorevolmente dell' uno e dell' altro de' suddetti Poemi.

(17) Vedi sopra l' annotaz. 3. ove si è riferito intero il passo di Benedetto del Falco.

ſcemare la forza de' giudizj riferiti di ſopra, potrebbe già valere il riflettere che tanto del Bembo e del Manuzio, quanto del Tibaldeo venga meno in queſto caſo l' autorità per quella parzialità accompagnata di gentilezza che ſi dee ſupporre in un amico che ſcrive, e giudica dell' Opera d' un altro amico; perciocchè, quando anche accordar ſi voglia perciò qualche degrado all' elogio fattone dal Manuzio, non per queſto potrà giuſtificarſi il giudizio del Giraldi (18). Le ſteſſe Opere del Capece parlano da sè, e può ognuno giudicare della ſingolar eleganza e felicità con cui ſono diſteſe. Del merito loro poſſono anche ſervir di prova le replicate riſtampe che di poi riferiremo, e l' avidità con cui ſono ſtate accolte e ricercate in ogni tempo da' Letterati; onde fra' libri rari, o almeno non comuni, ſi ſono ſempre conſiderate. Nè mancano anche teſtimonianze di Autori non ſoſpetti di parzialità o d' amicizia, che le hanno tenute in pregio ſingolare, e molto eſaltate. Si può fra queſti nominare l' autore della Dedicatoria che ſta avanti alla Raccolta intitolata *Poemata Sacra præſtantium Poetarum*, la quale corre ſotto il nome di Giovanni Oporino, ove così parla del Poemetto *De Vate Maximo* in eſſa inſerito: *Adjunximus igitur Scipionis Capicii Viri doctiſſimi carmen longe eruditiſſimum quidem illud, & quod cum Veterum etiam majeſtate conferri non immerito queat, Maximi Vatis D. Jo. Baptiſtæ res, hoc eſt Evangelicæ hiſtoriæ partem non exiguam tribus libris complectens.* Il Geſnero pure chiama *Carmen eruditum* quello *De Vate Maximo*, e *Poema eruditiſſimum* l' al-

(18) Anche il Nicodemo nel luogo citato così conclude: *Può ſtimarſi però che amendue, cioè il Manuzio, e il Giraldi, errino, quegli in troppo, e queſti in lodar poco.*

l' altro *De Principiis rerum* (19). Bello è altresì l' elogio fatto a queſt' ultimo Poema dal P. Franceſco Verierio della Compagnia di Gesù col ſeguente Epigramma:

Quæ rerum genitrix amplum natura per orbem
Edidit, in certis conſtituitque locis;
Cœlique tractuſque maris, terramque patentem,
Quæque ſuo hæc claudunt, dantque recluſa ſinu:
Sunt, quibus in mutis libet aſpectare tabellis;
Sunt, quos immenſo cernere in orbe juvat.
Quæ tamen hæc quanta, qualique Capicius olim
Expreſſit parvo viderit arte libro;
Quæ peperit natura parens, quæ pinxit Apelles,
Scipio, præ numeris deſpuet ille tuis.

E finalmente onorevoli giudizj n' hanno laſciati molti altri Scrittori, fra i quali ci piace di nominare Olao Borrichio (20), Giovanni Batiſta Capaſſo (21), e i Signori Giornaliſti d' Italia (22).

Già di ſopra abbiamo veduto come il noſtro Capece coltivò l' amicizia di diverſi illuſtri Letterati del ſuo tempo, cioè di Benedetto del Falco, di Bernardo Taſſo, del Cardinal Bembo, e di Paolo Manuzio; ora quì ci reſta d' aggiugnere come altri pure ebbero luogo fra' ſuoi amici, fra' quali pare a noi che ſi diſtinguesſe Onorato Faſcitello, il quale a lui indirizzò una ſua Elegia (23), e di cui ono-

(19) *Epitome Bibl. Conradi Geſneri per Joſiam Simlerum*, pag. 163. *Tiguri* 1555. in fogl.

(20) *Diſſertatio III. De Poëtis Latinis*, num. 95.

(21) *Hiſtor. Philoſ.* Lib. IV. Cap. XI. pag. 391.

(22) Tom. VII. pag. 118.

(23) La detta Elegia ſi legge a car. 262. a t. del Vol. I. della Raccolta di G. M. Toſcano intitolata *Carmina illuſtrium Poetarum Italorum. Lutetiæ ap. Ægidium Gorbinum* 1576. in 16. e dietro alle Poeſie Latine del Sannazaro e dell' Altilio impreſſe in Padova pel Comino nel 1731. n 4. a car. 297.

onorevole ricordanza fece altresì il Capece nel suo Poema *De Principiis rerum*, nel quale, dopo avere descritta qual sia la vita felice, e dopo avere pregata la Prima Causa, perchè tal vita gli concedesse, soggiugne pregandola che gli restituisca il suo Fascitello, cui dice essere stato suo *unanime compagno nella vita, e collega nelle fatiche* (24). Ma egli è ormai tempo di passare al Catalogo delle sue Opere, che sono le seguenti:

I.

Super Tit. De acquir. possessione, ubi multa in pract. & in materia Feudorum, & Constit. Regni continentur. Neapoli apud Jo. Sulzbacchium (senza nota d' anno) in 4.

II.

De Divo Joanne Baptista Vate Maximo Libri III. La menzione che di questo Poema fece Benedetto del Falco fin dal 1535. col dire che si versava allora *da tutte dotte e latinissime mani* (†) ci fa credere che fosse per avventura stampato fin dal 1535; ma può anch' essere che non si leggesse allora che a penna. La più antica impressione in fatti da noi vedu-

(24) A car. 32. dell' ediz. del Manuzio, ove così dolcemente s' esprime il nostro Autore;

Tum vitæ unanimem socium comitemque laborum
Redde meum. nil triste illo durumque recepto.
Ipse tuam cælo demissam Virginis alvo
Progeniem, canet ille Duces magnique triumphos
Avalidæ, qui nunc vires Orientis, & acrem
Impia compressit reparantem prælia Gallum.

(†) V. sopra l' annotaz. 3.

veduta è quella fattane in Basilea da Giovanni Oporino nel 1542. in 8. con altri Poemi sacri di varj autori, la qual è intitolata: *Poemata sacra præstantium poetarum collectore Jo. Oporino*, ove si trova dalla pag. 239. fino alla pag. 301. (*) Una ristampa ne intraprese poscia Paolo Manuzio (25) insieme col Poema *De Principiis rerum*, di cui si farà menzione nel numero seguente, ed altra impressione se ne ha cogli altri suoi Componimenti Poetici, cui registreremo ne' numeri segg. *Neapoli apud Jo. Jacobum Carlinum* 1594. in 8.

III.

De Principiis rerum Libri II. & De Vate Maximo Libri III. Venetiis apud Aldi fil. 1546. in 8. Questa edizione, ch' è pur rara e stimata, si vede accompagnata di due lettere in fronte, l' una del Cardinal Pietro Bembo al Capece, e l' altra di Paolo Manuzio alla Principessa Isabella Villamarina moglie del Principe di Salerno, in lode d' esso Poema *De Principiis rerum*, siccome abbiamo di sopra riferito. Tre edizioni del medesimo si hanno coll' Opera *De Elementis* di *Gasparo* Contarino, *Lutetiæ Paris.* 1548. 1556. & 1564. in 8. Una di poi è stata fatta coll' altre sue Poesie insieme raccolte *Neapoli*

(*) Benchè non si sa indovinar la cagione perchè l' Oporino facendo una ristampa di detto libro senz' anno, così intitolata: *Pii, graves, atque elegantes Poëtæ aliquot, nunc primum ad piæ juventutis & scholarum utilitatem conjuncti.* 8. *Basileæ*, l' ommettesse.

(25) Sbagliò pertanto il Nicodemo nel luogo cit. ove credette che l' edizione del Manuzio fosse la prima anche del Poema sopra S. Gio. Batista, quando fu la prima solo dell' altro *De Principiis rerum*.

poli apud Jo. Jac. Carlinum 1594. in 8. ed altra se ne ha dietro al Poema di Luctezio, *Francofurti* 1631. in 8. E finalmente dai Chiarissimi Signori Volpi di Padova si è aggiunto in fine della loro seconda edizione di Lucrezio insieme col Poema di Aonio Paleario *De Animorum immortalitate*, tanto commendato dal Cardinal Jacopo Sadoleto (26).

IV.

Elegiæ IV. & Epigrammata. Neapoli (cogli altri suoi componimenti Poetici) *apud Jo. Jac. Carlinum* 1594. in 8. Di quest' Elegie la prima è indirizzata al Cardinale Antonio Perenotti, che fu Vicerè di Napoli; la seconda al Cardinal Girolamo Seripando; la terza a Giambatista Castaldi Marchese di Cassano; e nell' ultima deplora le miserie sue e quelle del suo secolo. Alcuni poi de' suoi Epigrammi sono di sua invenzione, e gli altri sono tradotti o imitati da quelli dell' *Anthologia*.

V.

Magistratuum Regni Neapolis, qualiter cum antiquis Romanorum conveniant, Compendiolum nunc demum recognitum & instauratum. Neapoli ex typographia Stelliolæ 1594. in 4.

VI.

Una sua Epistola Latina si ha in principio dell' Edizione de' Commentarj di Donato sopra l' Eneide

(26) *Epistolar. Lib. V.* pag. 200. ediz. *Coloniæ Agrip.* 1572. in 8.

neide di Virgilio seguita per opera sua, come sopra si è detto. *Neapoli per Jo. Sulzbacchium* 1535. in fogl.

VII.

Di un altro suo Poema sopra la Vita di GESU' CRISTO così ha lasciata ricordanza Lorenzo Crasso (27): *Si pregiava d' aver anche in verso descritta la Vita di* GESU' CRISTO *Signor Nostro, della quale non s' ha reliquia alcuna, essendosi miseramente smarrita tra le tenebre dell' oblivione per incuria d' un suo amico, nelle mani del quale trovossi nel tempo della sua morte, che non curò, come far doveva, di darla per mezzo delle stampe alla luce.*

(27) *Elogi d' Uom. Letter.* Vol. II. pag. 178.

SCIPIONIS CAPICII DE VATE MAXIMO

LIBER PRIMUS.

EGregium juvenem, terris qui numine missus
Divino, æterni patefecit luminis ortum,
Surgentisque cano veræ primordia lucis.
Felix, conveniant operi si carmina tanto,
Inceptum, si par merito sublimibus adsit
Rebus honos, deturque novo deducere cantu
Laudes eximias vatis, quem prætulit ipse
Omnibus æthereus judex mortalibus unum.
Tu mihi, perpetui quo lumina condita cæli,
Infima quo sidit tellus, & mobilis hæret
Collectus telluri humor, quo purior æther
In spatia effundit vasti se ingentia mundi;
Per mare, per terras, tenuisque per aëris oras
Omnia qui vitam spiranti numine reples;
Æquævum patri natum qui fœdere jungis

Æter-

Æterno, triplex unum quod numen adorat
Gens pia; qui rudibus ſibi quos rex junxit olympi
In terris comites radiis afflata repente
Ora tuis ſolviſti, & linguis edita centum
Vox eadem ſummi oſtendit pia juſſa parentis,
Et mira attonitæ gentes ſtupuere locutos,
Sancte ades, ignarumque tuo da flamine pectus
Perfuſum dignos auſis effunderé cantus.

Eſt regio, ſacris qua felix labitur undis
Jordanis, cultos agros, & pinguia late
Arva rigans, magno qui auſus contendere ponto
In mare ſe tumidus vaſto bis gurgite pandit;
Grata Deo tellus, & vatum carmine clara
Aurea qui æterni cecinerunt ſecula regis,
Quam patriam legit, cum cælo miſſus ab alto
In terris vitam, generis miſeratus acerbos
Humani caſus, vitæ inſtaurator agebat,
Septi pomiferis molles ubi collibus horti
Fragranti ſudant felicia balſama ligno.

Hic ævum in ſilvis, atque inter luſtra ferarum
Degebat, fluxæ fugiens contagia vitæ,
Materna juvenis cælo promiſſus ab alvo;
Qui reputans, ſatis in terris mortalia membra
Indutum, veræ auctorem latuiſſe ſalutis,
Nec procul eſſe diem tenebras quo mente fugaret
Humana antiquas verus ſemperque nitens ſol,
Aſſiduis liquidas implebat vocibus auras,
Divini oſtendens felicia tempora regni.

Illum mirati non unquam audita canentem
Audivere colunt amplas qui nobilis urbes
Judææ, lætos findunt qui vomere colles,
Quique bibunt Jordanis aquas; telluris avarus
Frugiferæ domitor, pecudeſque ad pabula læta
Atque amnem oblitus vitreum compellere paſtor,
Molliaque in nitidis qui ducunt otia tectis,

Et

Et varias vitam assueti exercere per artes;
Ætatemque atrox contentus miles in armis
Conterere impavidam, glacie duratus & æstu;
Solertisque animi quotquot diversa cupido
Impellit variis studiis impendere curam;
Maturique senes, pueri, virdisque juventus;
Matres, atque nurus, primaque ætate puellæ;
Omnes conveniunt, ingensque effusa relictis
Urbibus; ad juvenem certatim turba ruebat.
Ille autem: O miseri, quæ tanta ignavia mentes
Corripuit vestras? cæci quo tenditis? o gens
Ignara, & propriæ tam longum oblita salutis.
Quid læti in mortem ruitis? jam debita vestris
Criminibus vos pœna vocat, suprema que poscunt
Exitia, justantisque urget sors aspera leti.
Nec vestri miseret, quos jam jam maximus atro
Supplicio vindex, & diro funere perdet.
Ecquis erit scelerum finis? vestigia patrum
Fœda sequi, & prisco juvat indulgere furori.
O genus invisum, quo non dignatus honore est
Vos opifex rerum, ingratos, & dura gerentes
Pectora, & insanis furiarum fluctibus actos?
Ille tamen nudosque fovens, inopesque salutis
Complexus, cælique modo non luce carentes
Extulit, & rerum summa ad fastigia vexit;
Et formidatos populis, lateque potentes
Imperio erexit, gentisque extendere nomen
Jussit, qua pelagus telluri obducitur, & qua
Igneus alternis variat sol corpora flammis.
Pro quibus o quoties sanctum rescindere fœdus,
Vobiscum magni pepigit quod rector olympi,
Impia gens ausi, atque illas contemnere leges,
Ille suo tabulis digito quas scripsit, in ævum
Riteque servandas dedit æternumque colendas.
Quin etiam divûm fingentes numina vana

Mortales facies mutarumque ora ferarum,
Feciſtiſque deos, ſacraque locaſtis in æde,
Nil memores larga ille dedit quam plurima dextra,
Et dira immeritos quoties a morte reduxit.
Heu brutæ mentes; premeret quum Ægyptius olim
Elapſos duro imperio, e miſeroque receptos
Servitio, anguſtas rubri cecidiſtis in oras
Littoris, & curſu trepidos hinc hoſtis agebat,
Hinc pelagi moles clauſis obſtabat, & omnis
Spes erat effugii, ſpes omnis ademta ſalutis;
Quum ſubito inſuetis aſſurgens viribus Eurus
Naturæ impulſu domini rerumque parentis,
Diſpulit objectas undas, atque intima vaſti
Gurgitis oſtendens penitus maris ima retexit;
Perpetui, mirum, fluctus ſcinduntur, & æquor
Fit via per medium, geminaque in rupe profundum
Subſtitit; invadit pelagus tunc agmina Moſes
Divino juſſu ductans, adigitque paventes
Per ſiccum gradiens, & apertas calcat arenas.
Jamque fretum emenſi terram littuſque tenebant
Adverſum, & tuta ſe ſe regione locarant,
Quum modo qui trepidos urgebat perfidus hoſtis
Divino ignarus nutu pendere fluentem
Vim pelagi immotam, mutataque fœdera rerum,
Mentis inops luciſque carens ac percitus ira,
Qua petiiſſe fuga innocuos conſpexit eadem
Perſequitur ſciſſi gradiens per gurgitis æquor.
Jamque altum ingreſſi penitus maris ima ſubibant,
Nativum quum ſenſit onus, ſedeſque petivit
Lympha repente ſuas, trepidātiaque agmina preſſit,
Undarumque ruens alto de gurgite moles,
Et letum una fuit cunctis eademque ſepulchrum.
Æthereum tantus potuit tenuiſſe parentem
Gentis amor veſtræ, & pietas inſignis avorum.
Ille idem hoſtili rabie, dominiſque ſuperbis

Ere-

Ereptos iterum dextro vos lumine vidit,
Quum nudas inter cautes, Arabesque peruſtos
Urgeret veſana fames, paſſimque cadentum
Infelix ægros macies abſumſerat artus;
Nulla aderat vitæ ratio, certumque parabant
Ante oculos miſere pallentibus omnia letum.
Tunc vobis liquido demiſit ab æthere rorem,
Felicem rorem quem ſudavere tepentes
Non tantum æſtivum ſub ſolem molliter auræ,
Deflagrans late exurit quum Sirius orbem,
Et tenuans ſe ſe arentes circumfluus aër
Deſtituit terras, & in æthera funditur humor;
Sed quum torpet hiems, nec terra refundit in auras
Obliqui ſolis radios, liquidumque rigenti
Denſatur glacie, & brumali frigore cælum,
Orbe quaterdeno, dum notum perficit aureus
Sol iter, & certo percurrit ſigna meatu,
Fluxerunt cælo vobis fragrantia mella;
Nec duro interea terram vertiſtis aratro,
Abductiſque opibus dominorum & divite gaza
Ocia per ſteriles duxiſtis pinguia campos.
Et jam tempus erat quo magni conditor orbis
Has profugos ſedes atque hos induceret agros,
Promiſſos vobis agros longumque colendos,
Quum populus ſacri ad ripam pervenerat amnis,
Feliceſque avidi ſedes, gremiumque videbant
Optatæ telluris, iter ſed clauſerat undis
Altior, & late ripis Jordanis abundans;
Divinum imperium tum flumen ſenſit, & undas
Compeſcens rapidas, dictu mirabile, ſiſtit,
Et vada detecti monſtravit pervia fundi,
Viſus & in nubem quo pacto argenteus altam
Præcipites glomeravit aquas, undiſque retortis
Vis fluida ingenti erexit ſe ad ſidera mole.
Ipſa parens ſtupuit rerum natura, ſub auras

Quid tantum æthereas liquidus ſe tolleret humor.
Illi, qua flumen toto defluxerat alveo,
Tranſmittunt læti ripas, campiſque beatis
Conſiſtunt tandem, & terra potiuntur amata.
Cætera quid memorans rerum miracula narrem;
Hic quibus inſignes fama populoſque per omnes
Vos mundi dedit eſſe ſator, lateque verendos?
Quid referam bello domitos paſſoſque cruenta
Excidia, ingentes populos everſaque regna?
Totque triumphatos reges, tot parta trophæa;
Ipſe animos vobis cæli dum ſufficit auctor,
Ingenteſque addit tam multa in prœlia vires?
At vos inſanam induti gens impia mentem,
Artificis toties contemto numine mundi,
Supplicibus votis diis vanis tura dediſtis
Impia, quorum aras ipſi deleſtis, & ædes,
Cepiſtiſque amplas cæſis cultoribus urbes.
Heu rationis egens, & veri luminis expers,
Inviſumque genus ſuperis, obtuſaque corda,
Et ſemper ſurdas averſi vatibus aures.
Nil movet aut veſtri pietas, nil proxima culpæ
Vos pœna, aut veterum exagitant expenſa malorum
Supplicia, æterni terret nil vindicis ira?
Vipereum ſemen, patrumque ſimillima proles,
An tumidos ſtirpis decus, & vos gloria magni
Reddit avi, patrumque agitant pia facta priorum?
Num pater, e nullo eduxit qui ſemine mundum,
Has nequit Abrami in ſobolem convertere cautes,
Neglectumque genus, populoſque optare relictos?
Ergo animos cælo, & totas advertite mentes
Quo vos ætherei poſcunt promiſſa parentis,
Heu terræ nimium defixi noxia corda.
Jam tremit admota mox collapſura bipenni
Arbos, ingentemque dabit ſucciſa ruinam.
Eja agite, ambiguas vitæ dum carpitis horas,

In meliuſque datur mentem ingeniumque referre,
Ne illecebræ incautos miſeræ, ne oblivia fallant
Vos recti, & fugiens Euro non ſegnior ætas.
Et tandem frenate animos, penituſque malorum
Pœniteat, mentemque atris avellite curis;
Linquite peccati morem, vitamque priorem
Pertæſi, impuris abſtergite funditus omnem
Pectoribus labem; ſummi ſat numina regis
Contemta, & pravis indultum eſt undique votis.
Jam lacrimis opus, & fletus effundere largos
Tempus, & humentes oculos intendere cælo.
Mox divina aderunt felicis tempora regni,
Æternique niteus pandet ſe luminis ortus,
Fulgebitque dies, longos quæ attrita per annos
Colla jugo, & diro incipiet vos ſolvere nexu:
Auferet & priſcæ terris contagia culpæ,
Ultima quæ tanta ſub luce novabitur ætas.
Scilicet hæc olim promiſſa ingentia tandem
Accipiet, longumque optato ducere vitam
Promeritæ genti dabitur ſub rege beatam.
Vos igitur, tam læta manent quos tempora ſummis
Viribus eniti par eſt, ut cenſeat inter
Selectos Deus in regnum hoc, numerumque ſuorum.
Et ſcelerum puri, terrena & labe piati,
Tota anima, & totis venientem admittite votis
Servatorem hominum, ſummus quem miſit ab alto
Exſpectata piis genitor promiſſa ferentem.
Sic ſacer optati vates felicia regis
Tempora monſtrabat populis, dictiſque frementes
Firmabat, vitæ accendens melioris amore.
Jamdudum accepta intentas divina per aures
Vox cupidos multa ſpe animos, & corda replebat
Regem exſpectantum terris promiſſa ferentem
Manſuræ æternum ſecuræ commoda vitæ.
Immitis velut egregiam ſi cinxerit urbem

Hostis, defensamque diu vi evertere captam
Festinet, miseros maneant dira omnia cives;
Tum forte insignis fama si nuncius adsit
Missu exspectati ducis, instructisque reportet
Subsidio turmis illum jam jam affore, cuncti
Circumstant, gratisque intendunt vocibus aures,
Et collapsa diu subita spe pectora complent;
Haud secus optata pandentem proxima regis
Secula suspiciunt vatem, lætique frequentant.
Res mira, eductum in silvis has edere voces,
Et populum ingentem pendere loquentis ab ore!
Felices silvas vox tanti ubi reddita vatis
Implevit colles, atque umbriferas convalles;
Felicesque amnis lymphas, quibus abluit ille
Quos fœdæ docuit sordes deponere vitæ.
Præcipue felix vatum tu maxime, regi
Nuncius æthereo materna lectus ab alvo.
Jam tum ostendisti admirandæ signa juventæ
Afflatæque Deo. sancto & me pectus amore
Perculsum, juvat insignis cunabula vitæ,
Atque tuas prima revocare ab origine laudes.
Augustus late Romanis fascibus orbem
Subdiderat, rerumque unus retinebat habenas,
Dum terras coleret veniens pax candida cælo,
Squalerentque situ præduri militis arma,
Et redisset honos contemto priscus aratro;
Rex fama Herodes opibusque & cognitus armis
Imperio Solymos patriamque tenebat Idumen;
Abiadas cum forte fuit justissimus inter
Electus, sacra qui faceret quæ maximus olim
Isaides lectos jussit celebrare nepotes;
Cui fuerat vinclo conjux sociata jugali
Par vitæ meritis nullique obnoxia culpæ.
Non ulla his fuerat soboles, sterilisque juventam
Altera, & utilius soboli traduxerat ævum;

Et

Et jam ſera illos graviorque oppreſſerat ætas,
Languidaque exhauſto torpebant membra calore;
Quum viduam plorans alter triſtemque ſenectam,
Fundebat ſupplex imo de pectore voces,
Cœlicolûm regem tota ſic mente precatus:
Ergo corripiet me lux extrema priuſquam
Connubii fructus, & dulcia pignora noſcam?
Nec noſtri te damna tori, nec conjugis unquam
Tanget honos, primis quæ in te ſpem fixit ab annis?
Tu, pater omnipotens, poſtquam primordia gentis
Humanæ dederas, ſtatuiſti fœdere ſancto,
Conjugio genus ut coëat prolemque propaget;
At nos hoc animos nequicquam & corpora vinclo
Junximus, & tantum geſtamus nomen inane.
Noſtra tamen cedant divinis commoda juſſis,
Et maneat rata quæ fuerit tua cumque voluntas.
His ſenior cælo figebat lumina dictis,
Concipiens prolis præſaga gaudia mente;
Quum pater æthereus nunquam vota irrita paſſus
Ite pia, & dextro ſpe fultos lumine cernens,
Supplicibus clemens admovit vocibus aures.
Ille autem de more ſacri penetralia templi
Ingreſſus pia tura dabat, lata atria circum
Turba preces patri æthereo dum funderet omnis;
Quum ſubito halanti cæleſtis nuncius aræ
Aſtitit, & dextra præſenti in lumine fulſit,
Humana ſoliti ſpecie qua ſæpe videri
Cælicolæ, quum juſſa ferunt cæleſtia terris.
Obriguere ſenis ſubita formidine membra,
Sideream ut faciem radiis fulgere coruſcis
Vidit, & ætherias fundentia lumina flammas;
Cui juvenis, Mentem revoca, gelidumque timorem
Pone, pater, tua divinas vox contigit aures;
Concipiet tandem conjux ſanctiſſima, vobis
Quod fuit in votis & ſupplex ſæpe petiſti:

Quæ poſtquam implerit felicis tempora partus,
Naſcetur puer egregius; quem læta ferentem
Secula voce hilari excipient plauſuque ſecundo,
Et cælo magni tollent cunabula vatis,
Grataque fundentes plenis munuſcula dextris,
Omnia fauſta illi dicent, atque omnia læta.
Hic tibi, qui vacua triſti cum conjuge in ædi
Sæpe doles, ſteriliſque incuſas damna ſenectæ,
Gaudia quanta dabit, qualis felicia vota
Succeſſus tanto vobis implebit in ortu!
Hunc, poſtquam de more aberit lux ſeptima partus,
Nomine JOANNEM dices, non ulla tulerunt
Secula cui ſimilem, veniens nec viderit ætas.
Magnus erit, poterit quem vix humana probare
Vox ſatis, atque ſua ſat digne extollere laude.
Teſtis erit meritis ſummo mens nata parente
Humani vindex generis, cui terra fretumque
Servit, & immenſi ſubdunt ſe lumina mundi.
Felix, qui ex hominum ſupremi judicis ore
Accipiet vitæ eximios inſignis honores.
Non ille æthereos tardantia pocula ſenſus
Stulta coloratis bibet uvæ expreſſa racemis,
Contentuſque ſitim pura reſtinguere lympha,
Non ullo ſacris avellet tempore curis
Cæleſtem nullo pollutam crimine mentem.
Hauriet & cæli nec dum ſpirabilis auras,
Cæca rudimenta, & tenuis dum munera vitæ
Materno ex utero captat, quum pectore toto
Concipiet ſanctos divini flaminis ignes.
Qui poſtquam in lucem veniet, ſanctæque juventæ
In tacitis teneros ſilvis firmaverit annos,
Os populis ſacrum ſolvet, patrumque priorum
Oblitos longum natos pia juſſa docebit.
Multorumque animos labes quos polluit atra,
Juſtitiæ aptabit rectique ad frena volentes.

Sic

Sic magnus nondum ardenti trans aëra curru
Advectus vates meliores Tesbius oras,
Insanasque tribus infandaque crimina regum
Damnabat sancto fultus pia corda vigore.
Hunc eadem accendet pietas, & spiritus idem.
Hic & supremo regi qui sanguine culpam
Humani antiquam generis letoque piabit,
Præmissus, tantæ mortales lucis ad ortum
Convertet, dignos reddens quos ille beatas
Dignetur sedes, numerumque inferre piorum.
Dixerat: ille oculos divina loquentis ad ora
Defixos mira perfusus luce tenebat,
Eventura minus reputans cælestia dicta,
Quo promissa magis volvebat gaudia mente.
Rettulit hæc tandem: Caræ si conjugis annos,
Si numerem ipse meos, ambobus serior ætas
Et leto propior dulcis spem prolis ademit.
Fluxerunt gelido nobis de corpore vires;
Defectusque suo sanguis coiisse vigore
In fœtum nequit, & teneros formarier artus.
At tu magna fide haud dubia da dicta probari,
Gaudia ne violet sperantum incerta cupido.
Ille autem: Pater omnipotens quem robore fulsit
Divino, e cælo cernis mandata ferentem,
Implentemque tuas lætis me vocibus aures;
Has mihi quod dubias præbes, prolemque futuram
Et divina petis signo promissa probari,
Signa dabo, & ne impune usquam non vera loquutus
Æthere demissus videar; tibi signa negatus
Vocis erit linguæque usus, mea tempore dicta
Eventura suo donec non vana probentur.
Hæc ait, & subito fulgentia lumina condens,
Et faciem ætheream, tenues excessit in auras.
Interea effusæ spatiosa per atria turbæ
Sacra observanti, mirum insuetumque videri

Illum

Illum adytis mora quod ſolis tam longa teneret.
Egreditur tandem, & ſe ſe exſpectantibus offert.
Conantemque animi motus expromere, liquit
Nuncia vox mentis, linguæque interpretis uſus.
Divino agnoſcunt afflatum numine pectus,
Divinumque aliquid mortali lumine, in æde
Conſpexiſſe ſacra. Ille licet ſe juſta videret
Supplicia ambiguæ meritum perſolvere mentis,
Spe tamen hac vocis damnum ſolatur ademtæ,
Exſpectans lucem quæ linguæ frena relaxet,
Atque optata ferat promiſſi gaudia partus.
Sic ubi telluri gnavus commiſit arator
Semina, triſtis hiems glacie dum ſævit, & atrox
Intima pertentans ſubit in præcordia frigus,
Signa tenet meſſis lætæ, atque horrentia brumæ
Tempora ſpe frugum, & venturo fœnore penſat.
Ergo frena lubens linguæ clauſumque ſacerdos
Vocis iter patitur, magnæ præſagia prolis;
At ſignis nutuque animi dat cernere motus;
Nec minus interea fumanti ſufficit aræ
Quos pater omnipotens quondam ſibi legit odores.
Et jam divina, ſacris de more peractis,
Se ſe ex æde domum tulerat, quam ſedula conjux
Membra fovens tepido ſervabat caſta cubili;
Quum tandem inſueto tardari pondere ſenſit
Illa uterum, tacitoque agitari viſcera motu.
Lunaque jam quinos obliqua peregerat orbes,
Gaudia quum prolis læto ſub corde volutans,
Prodiderat toto non ulli hoc tempore, tantum
Ingenuo rugoſa genas ſuffuſa rubore,
Quod teneræ explebat munus jam effœta puellæ.
Sæpe Deum venerata, pia ſic mente profatur:
Grata magis veniunt, cæli, tua munera, rector,
Quo ſunt ſera magis; decoras jam pignore dulci
Connubium; jam non ſterilis, jam munere dicar

Facta

Facta tuo genitrix, toto ut tibi pectore grates
Haud equidem dignas persolvam at viribus æquas.
Cœperat interea sexto jam mense videri
Auctior, inque dies spatium protendier alvi,
Quum supra insignis cunctas Jessea virgo
Divino missu cælesti accepit ab ore,
Virgineum decus, illæsam, expertemque virilis
Attactus, mentem summi natumque parentis
Se sacro laturam utero, terrisque daturam.
Et ne qua possent illi nova certa videri,
Cælestis signo promissa probaverat ales,
Quod sterilis conjux senis, & maturior ævi
Quam pia cognato tangebat sanguine virgo,
Iret felici gravior jam pondere, sextum
Sub mensem, & tumida fœtus grandesceret alvo,
Fœtus qui lucis vacuas eductus in oras
Proferret tanti surgentia lumina solis.
Quæ postquam accepit virgo, quamquam affore dictis
Crediderat jam certa fidem cælestibus omnem,
Gratatura tamen conceptæ munere prolis
Visere anum, & visu statuit data signa probare.
Ergo digreditur campis, collesque beatos
Judææ subit, & caræ contendit ad urbem
Cognatæ, ac tectis tandem succedit amicis.
Illa ut tendentem gressus ad limina vidit,
Occurrit gaudens venienti, alacrisque tetendit
Brachia in amplexus; prior officiosa sereno
Virgo ore, & læta longævam voce salutat.
Protinus (o rerum suprema potentia patris!)
Clausus adhuc utero, nec lucis munere functus,
Prima salutantis quum vox audita parenti est,
Novit Joannes latitantem virginis alvo
Æternum regem, venit cui prævius ipse,
Exsilienque utero, poterat quo gaudia motu
Expressit, magni sobolem genitoris adorans.

San-

Sancte infans, at nondum infans, te ad ſidera quali
Voce feram, dignove æquem quo carmine cælo?
Tu nondum in vitæ ſpirantes editus auras
Hauſiſti ſanctos æterni flaminis ignes,
Afflatuſque Deo demiſſum ex æthere lucis
Agnoſti auctorem; felix, qui cernere lumen
In tenebris tantum potuiſti, ipſumque tueri
Sumentem humanos cælum qui condidit artus.
At vero ut ſubito puerum ſanctiſſima ſenſit
Exſultantem anus, æthereamque in virgine prolem,
Concipiens toto divinum pectore numen,
Voce alacri ſupplex illam venerata profatur:
Ante alias felix mater, fœtuſque beato
Quem ſervas utero felix, dicéris in omne
Ævum fama ingens, & noſtri gloria ſexus,
Quid me quid tanto immeritam dignaris honore?
Hæc in tecta venis, ſubiiſti hæc limina, regis
O genitrix ſummi? teneris en artubus infans
Oſtendens noſter divinæ gaudia prolis
Signa dedit, cum prima meas vox venit ad aures,
Atque afferre tuæ es tantam dignata ſalutem.
Præſtans o fidei virgo, quæ certa putaſti
Mira licet ſummi rerum mandata parentis,
Promiſſa accipies cæleſti munera voce,
Munera perpetuam generi latura quietem
Humano, & ſancti felicia ſecula regni.
Et jam tempus erat quo ſe proferret anili
Ex utero, luciſque infans prodiret in oras;
Fortunata ſacro tandem quum pondere mater
Se levat, & terris puerum dat cernere vatem.
Haud mora, vicinas vulgatur fama per urbes
Educti in lucem tam ſancti nuncia partus;
Conveniunt omnes, & juſti nota frequentant
Tecta ſenis, jungebat amor quos mutuus, & quos
Cognato antiquus ſociabat fœdere ſanguis.

Gra-

Gratantur tanto dignatæ munere matri,
Et puerum cælo tollunt, ingentia patris
Laudibus ætherei celebrantes numina summis.
Mos fuit, ipse sator rerum quem tradidit olim
Omnipotens genitori Abraæ, rite ille colendum
Quem docuit, sanctumque pii tenuere minores;
Infanti octavæ lucis quum fungitur aura,
Ancidunt partis pellem genitabilis imam,
Fœderis æternum juncti memorabile signum
Optatos inter populos cælique parentem;
Scilicet hoc gratamque Deo sanctamque cruore
Perfuso, tanti venturo proderet ævo
Progeniem patris egregiam, claramque nepotum
Magnorum seriem, reges, & regibus ortos
Heroas, sacrosque duces, & numine magnos
Divino afflatos felicia pectora vates;
Et servanda piæ genti qui mystica ferrent
Sacra Deo, sanctisque foverent ignibus aras.
Unde orbi nova lux micuit rex ille, beata
Qui secla induxit terris, miserosque vetusto
Servitio eripuit mortales, maximus unde
Et vates ductus populis orientia late
Prævius ostendit veri qui lumina solis;
Cujus ego in laudes divino accensus amore
Nunc feror eximias, sint hæc modo carmina tanti.
Ergo ubi lux radios octava reduxerat orbi,
Debita solvebant prisco de more frequentes;
Et puerum patris dicebant nomine, quum vi
Flaminis æterni pia pectus percita mater,
Dicite JOANNEM, dixit; commota repente
Pectora mirantum nusquam gentile quid illud
Optarit nomen genitrix, ipsumque rogabant
Indi quod mallet, nutu signisque parentem;
Ille autem poterat quando non voce, petito
Descripsit calamo, dictumque a matre notavit

No-

Nomen JOANNES, demiſſum ex æthere nomen.
Obrepſit ſubito cunctis ſtupor oſſa ſub ima,
Tum palmas duplices tollentem & lumina cælo
Aſpiciunt genitorem, ac mentis plena parantem
Gaudia ſolvenda jamdudum expromere lingua;
Atque erepta diu vox eſt audita repente.
Protinus ille novo divinas carmine laudes
Aggreditur, patriſque effert pia munera ſummi.
Hoc magis attonitis gliſcit ſtupor, & nova tanto
Perculſas viſu invadit reverentia mentes.
Nec mora, Judææ colles populoſque propinquos
Pervolitans late tanti prænuncia facti
Fama implet, pulſatque metu pia pectora ſancto.
Secum omnes ortum pueri, & divinitus illi
Optatum nomen, magnæ præſagia vitæ,
Atque injecta diu linguæ laxataque vincla
Verſabant, non illa patris ſine numine ſummi
Proveniſſe rati. genitor tunc flamine mentem
Divino afflatus ſolvens ſic ora, futuri
Præſcius, æterni cecinit nova ſecula regni.
Summus ab æthereo tandem regnator olympo
Optatam dextro deſpexit lumine gentem,
Inviſitque ſuos, regis de ſanguine mittens
Jeſſei aſſertorem hominum, auctoremque ſalutis;
Ille canendus erit nobis. vos laudibus æquis
Vos illum digno ſuper æthera tollite cantu.
Hic depreſſa jugo ſolvit languentia colla;
Infenſoſque diu nobis hoſtemque ſuperbum
Contudit, æterno componens fœdera nexu.
Sic vates cecinere pii, ſic munera clemens
Quæ magno juratus avo promiſerat olim,
Præſtabit genitor ſummus; ſic ægra ſoluti
Corda metu ancipiti, atque odiis exercita diris
Hunc recto aſſueti ſemper ſanctique colemus.
Et tu, magne puer, divinos maximus inter

Dico-

Dicéris vates, regi tu prævius illi
Ibis, ad hunc ſanctis convertens pectora dictis.
Tum pia gens veram venia donata ſalutem
Et lucem optatam, manſuraque gaudia noſcet.
Uſque adeo ex alto aſpexit miſeratus ab imo
Pectore nos pater æthereus, caligine preſſos
Antiqua, & diræ tabentes mortis in umbra,
Optato irradians æterni luminis ortu,
Ut capiant animos divinæ commoda pacis.

SCIPIONIS CAPICII

DE VATE MAXIMO

LIBER SECUNDUS.

JAM vero aërias pergam te lucis ad oras
Eductum canere, & vitæ memoranda futuris
Facta tuæ ſacro deducere carmine ſeclis,
Sancte puer; juvat inſuetos e fonte liquores
Haurire intacto, mollique ex arbore, tellus
Quam tua fert ſola, inſignes decerpere ramos,
Et mea fragranti præcingere tempora fronde.
Non ego Pegaſides accerſam vana ſorores
Numina, & Aonia inſignem teſtudine Phœbum;
Nec ſpatia immenſi tentantem vaſta profundi
Findere, me ambigui capient mendacia Protei;
Quæſituſve ignis cælo, ſimulataque divûm
Portenta, & pictis demiſſus nuncius alis,
Deductæque deûm facies, & vana tonantis
Nomina, & immotus fatorum creditus ordo:

Sed

Sed me divinus deſerta per avia raptum
Accendit radiis æterni ſpiritus ignis.
Sic ego cæleſtes poſcens ad carmina vires
Non fictas vires, Sebethi ad flumina primus
Aggredior ſacras digno res tradere cantu.
Mox regem æternum demiſſam ex æthere ſummi
Progeniem mentemque patris mortalia membra
Indutum, & mire comprenſum virginis alvo,
Poſtque necem diram vitæ admirandaque facta
Alta triumphata repetentem ſidera morte,
Accingar canere, & longum volvenda per ævum
Sacra piæ genti, faveant modo rite vocata
Numina, perpetuis intexere carmina chartis.
Interea vatis laudes pia cœpta ſequamur.
Ille rudimenta primus fructumque juventæ
Accipiat noſtræ, & populi contemnere vilis
Jurgia, & inſano doceat me tollere vulgo.
Ergo vocalis ſenior nova ſecula cantu
Et pia tollebat genitoris numina magni,
Vatidicis implens ſpe ſancta pectora dictis.
At tibi quæ talem, genitrix, tunc gaudia natum
Dum complexa foves, cariſque amplexibus hæres,
Adjungiſque tui lactentibus ubera labris,
Ubera vitali rugoſa tumentia rore,
Inque dies pingui roboras nova membra liquore?
Jamque puer ſenſus animi ſumebat, & artus
Firmabat teneros, ævi qui ſigna futuri
Ex utero matris quamvis jam certa dediſſet,
Hunc tamen ingenti ſtudio curaque parentes
Inſtituunt ſancte, & facta ad cæleſtia formant.
Ille autem afflatus divino numine mentem
Exſequitur præcepta lubens, & ſancta capeſſit
Mandata, atque alacres tollens ad ſidera ſenſus
Paullatim humanis rebus ſe avertit, & ultro
Delicias molles, & curas ſpernit inanes.

Jamque hominum affectus, & vanos noscere mores
Cœperat, æthereisque animis ut crimina sensim
Terrena, & miseræ serpant contagia vitæ,
Quum fastus vulgi, cœtusque exosus, in alta
Se abdebat nemora, & silvis degebat opacis.
Hic inter dumos sensim pubescere malas
Sensit, & insignis florem prodire juventæ.
Non urbes illum tectis fovere sub altis,
Per densos saltus nemorumque inculta suetum
Ferre gradum, & placidam in silvis captare quietem.
Hic strepitum vulgi, atque operam fugientis inertem
Spernebat vitæ, varii prævertere casus
Quam poterant venienque cito mors aspera gressu;
Synceroque omnem penitus de pectore curam
Fluxarum pellens rerum, & cælestia semper
Concipiens animo puram super alta ferebat
Sidera, & æterno mentem replebat amore.
Illum non ardens rapidi vis torruit æstus,
Non hiemis rabies, non inclementia cæli
Duratum glacie atque æstu, nec vestibus ullis
Indutum; tantum hirsuti contexta cameli
Squalentes humeros velabat penula setis.
At victum tristes nullo jejunia farre
Solventi, locustæ inopem pavidisque relicta
Poma feris, herbæque dabant baccæque rubentes,
Et congesta cavo silvestria stipite mella.
Non cibus hunc hominum mollita salubribus esca
Ignibus, instructæ tenuit non copia mensæ,
Non ullæ allexere dapes, nec pocula succo
Pampineo saturata, sitim compescere pura
Contentum lympha & deserti fluminis haustu.
Et rapidus seu sol agros urebat hiantes,
Sive gelu densabat hiems, quum cæca teneret
Nox terras, nullis macie confecta levabat
Stratis, non ullo recreabat membra cubili;

Verum

Verum antro in gelido patulave ſub arbore ſomnos
Carpebat tenues, cæleſtes cernere tractus
Lumina concedens feræ defeſſa quieti.
Heu ſtolidæ mentes, & luce carentia corda
Humanæ gentis, quantis vita ægra laborat
In tenebris, quali jactantur pectora motu!
Alma cibum nobis, nativaque pocula tellus,
In ſpecubuſque domos, in pratis ſponte cubile
Præbuit: ingrati fulgenti e marmore villas
Inſigneſque domos ſtruimus, vix mœnibus urbes
Egregiæ capiunt quoſdam, vix maxima regna,
Immemores, totos veniet quum ſerior hora,
Quam brevis urna teget. miſeri, quid tenditis arte
Vincere ſolertis naturæ inventa? quid uſus
Anguſtæ ad vitæ tenues tam multa paratis?
Luxibus ignavi luxus quid nectitis? omne
Quod ſuperat vobis, illis id demitur, ævum
Qui degunt inopes rerum, quibus ampla patentis
Aufertis terræ communis munera, & orbe
Arcetis toto, arque auræ vix linquitis uſum.
Interea ad lucem cœnas vos ducitis, ullæ
Nec ſatiant epulæ pinguiſve opulentia menſæ.
Hoc juvat, o miſeri, diros quod paſcitis atra
Ingluvie morbos, mortemque arceſſitis ultro?
At non in veſtro firmantur corpore vires,
Morſve minus properans veniet quod concava veſtram
Gemma ſitim levat, aut picto recubatis in oſtro,
Et nitidis fulgens quod veſtris ſerica villis
Nec ſaturata ſemel precioſo murice lana,
Et ductum argentum atque aurum vos textile veſtit.
Quam procul his petitur ſummi domus ardua cæli,
Deliciis miſeros diro quæ funere perdent!
Ille autem in ſilvis vitam qui horrentibus egit
Eximius vates, æſtus brumæque labores
Pauperiemque famemque ferens, non talia liquit

Exempla, at luxus, & vulgi mobilis auras,
Vanaque vitabat labentis gaudia vitæ.
Jamque illum viridis tandem firmaverat ætas,
Et solidæ stabant juvenili in corpore vires,
Quum volitans urbes implevit fama propinquas,
Insignem juvenem saltus errare per altos
Densorum nemorum, & cœtus vitare, proculque
Urbibus extolli tota super æthera mente.
Haud mora, conveniunt populi, solasque latentem
Per silvas perque antra illum deserta requirunt.
Quos ubi conspexit, se se venientibus ultro
Obtulit, & claro ostendit se in lumine vates.
Obstupuere omnes quum formam atque horrida cultu
Aspexere viri, & macie squalentia membra,
Et barbam impexam, intonsos hirtosque capillos;
Verum ubi fixerunt in sacros lumina vultus
Exsangues licet, & tristi pallore rigentes,
Conspiciunt ora æthereo suffulta vigore,
Et geminas sacro fundentem vertice flammas,
Cælestes flammas radiis quæ pectora miris
Spectantum, & sancto replebant corda pavore.
Visa minor fama est, vatis quum cernere sacri
Ora datum, coramque oculos explere tuendo;
Ardebantque illum jamdudum audire loquentem.
Is vero incepit tandem, & sacra ora resolvit,
Mira canens, sanctisque implens sermonibus aures,
Et læta ostendens æterni tempora regis.
Nec non & scelerum pollutos sorde priorum
Purgabat dictis animos; quæ quisque sequatur,
Quæ fugiat vitetque docens, tum tetra patentes
Crimina, mergebant miseros quæ funere diro,
Oranteque Deum veniam, vitamque priorem
Pertæsos, sacri lustrabat fluminis unda;
Scilicet abluti mortalia corpora, signum
Acciperent mentis terrena labe piatæ.

Res

Res nova per latos populos urbesque propinquas
Pertulerat vatis nomen, cunctique relictis
Sedibus in silvas alacres cupideque ruebant.
Per nemus aspiceres vastum, & deserta ferarum
Per loca certatim ferri nullo ordine turbas;
Et quemque inventum vatem contendere primum
Conspicere, & propius pendere loquentis ab ore.
Per campos veluti properat quum exercitus æstu
In medio stimulante siti, si ex agmine quisquam
Repperit in tenero muscosum gramine fontem,
Cuncti iter inceptum linquunt, & quisque perustas
Ante alios certat fauces pertinguere lympha.
Ille autem ardentes mire inflammabat, & acres
Commota addebat stimulos ad pectora dictis.
Hic aliquis, fœda urgebant quem noxia cordi
Crimina, quis vitam excoleret præcepta rogabat.
Tunc ille his avidas implebat vocibus aures:
Quos o divitiis juvat invigilare repertis,
Quid satiare sitim lacrimis inopumque cruore
Semper inexpletam, & prædando quæritis? omne
Perque nefas inhiatis opes? nullusve parandis
Usquam finis erit? partem jam ponite vestris.
Quæ tulit in lucem nudos, vos frigida nudos
Accipiet vitæ defunctos munere tellus.
Et qui tot proprios vestes servatis in usus,
Aspicite horrentis stringunt quos frigora brumæ,
Aut tenui aut nullo velatos tegmine corpus;
Hos non in vestis tantum, sed sumere rerum
Cunctarum in partem decet uno e semine natos;
Nec pigeat pingui miseros admittere mensa
Solicitat quos dira fames, pallentque negato
Sæpe cibo, nec longa valent jejunia ferre.
Nec non & miles cui larga licentia rapti,
Et quibus æs populus suevit dependere jussum,
Pertæsi scelerum se se felicibus undis

Purgandos vati obtulerant, quos talibus ille
Firmabat dictis: Cura eſt quîs publica cenſus
Cogendi, & gravia exigitis qui a plebe tributa,
Ne vos dira fames auri, ne injuſtus habendi
Vexet amor cupidos, neve æquum cogite ſupra
Pendere tam multo miſeros ſudore parata.
Tuque ferox parce innocuos inceſſere miles,
Debitaque accipiens tantum ſtipendia, vires
Adverſus placidæ infeſtos converte quieti.
Talia divino vates dum funderet ore
Attonitos paſcens dictis, & pectore cuncti
Ultima venturi verſarent tempora regni,
Eſſe illum hunc plures regem, miſſumque putarunt,
Qui ad ſuperas iter oſtendat mortalibus oras.
Hæc ubi Judææ vulgata eſt fama per urbes,
Illum adeunt, legis nodos quîs ſolvere curæ,
Et quos religio præſtans, ſimulataque major
Secrerat dederatque aliis præcellere cunctis,
Et pia tradentem genti præcepta rogabant
Tesbius an vates, an rex foret ultimus ille
Divinum terris qui ſic oſtendere regnum
Auderet, populumque inſueto more piare.
O decus humanæ gentis, quo carmine ferre
Te ſpatia immenſi valeam ſuper ardua cæli?
Jam tua te, vates, virtus jam gloria ad aſtra
Factorum extulerat, verumque aſſueta fateri
Acceptura fidem haud dubiam vox illa fuiſſet,
Ultima ſi annueras terris te ſecla tuliſſe:
At te nil humana agitantes pectora laudes
Moverunt regis caperes ut nomina ſummi.
Tum corda his vates firmans titubantia dictis,
Non ego cæleſti forſan quem ſede putatis
Advectum terris, vates ſum Tesbius, inquit,
Nec me ſupremi dignabor nomine regis:
Sed puro miſſus pertæſos crimina fonte

Ablue-

Abluere, æternis luſtret quos ignibus ille,
Et generis perimat labem, penituſque piatos
Adveniens rex eripiat caligine tetra;
Et quamquam in lucem venit me ſerior, ortus
Præceſſit tamen ille meos, longeque potentem
Ante alios unum hunc ſupplex veneratus adoro.
Ille idem radiis implens cæleſtibus orbem,
Collapſis penitus ſtatuet nova fœdera rebus.
Et veluti ſolers meſſem quum ventilat æſtu
Agricola in rapido, dat flammis urere ariſtas,
Et puras infert fruges flaventibus horreis,
Exſpectata piis donans felicia regna,
Hinc procul ejiciet fontes, noctiſque profundæ
Involvet tenebris, quos atra incendia diris
Addictos pœnis ſemper manſura vorabunt.
Hunc alii vobis vates hunc maximus olim
Amoïdes dixit, quum per deſerta vagantem
Monſtrantemque virum cecinit felicius ævum,
Clamantemque, Viam venturo ſternite regi;
Et jam clamantis nemoroſa per avia vocem
Accipitis, nec longe aberit, quum cernere tantum
Quem cano fas fuerit manifeſto in lumine regem;
Et nunc mortales inter nec cognitus ulli
Verſatur veſtris ſocium ſe cœtibus addens.

Talia dum fatur vates, turbamque beatæ
Attentam incendit vitæ venientis amore;
Plebs ignara fidem præbebat plurima dictis:
At quibus æternæ legis data cura docendæ,
Et quos ingenium ſolers, atque ardua rerum
Cognitio indocto dederat præcellere vulgo,
Irrita dicebant vatis reſponſa, novumque
Exſpectandum illud luſtris labentibus ævum.

Mens ignara hominum, quid rerum quærere cauſſas
Et multam prodeſt longo vigilique parare
Doctrinam ſtudio, modicis quid viribus impar

Sumere onus rerum auctoris pia sacra ferendi,
Si non quæsita ad superas prudentia sedes
Monstret iter cæcaque animos caligine solvat?
Quique sacris præsunt, si ad recti vertere cultum
Non curent, & jussa rudes divina docere?
Non acre ingenium, doctas non vita per artes
Exculta, ætherei genitoris numina flectunt;
Nec multa effulgens auro gemmisque corona,
Ac mitra insigni aut rutila frons aucta tiara,
Et laxa ad talos ardenti e murice vestis,
Fortunata parant duro quærenda labore
Regna piæ genti fuso, quæ sanguine sancto
Rex statuit moriens æterni conditor ævi.
Ergo veridico fuerat quæ mira canenti
Vati adhibenda fides, hic omnis defuit, esse
Quos penes ingentem decuit, nec vana putasse
Quæ rudis intenta credens plebs hauserat aure.
Interea sanctis vates dum pectora dictis
Irrigat, & crebro populos perfundit ab amne,
Rex patris ætherei soboles qui pellere noxam
Venerat antiquam, tenebrasque ex orbe fugare,
Quo vatis promissa pii non vana probaret,
Proxima qui æterni regis nova secla canebat,
Ipse etiam turbas inter lustrarier amne
Venit; & immensi cui parent lumina mundi
Rex ibat superûm velut e mortalibus unus.
O lux omnipatens, æterni o flaminis ingens
Virtus, non hominum fuerat qui cognitus ulli
Eductus silvas inter, saltusque ferarum,
Ut primum vates venientem lumina fixit
In regem, æterni magna vi numinis actus,
Ten', ait exclamans, te luce nitentior omni,
Qui priscam terris venisti abstergere labem,
Mortalis rerum dominum cælique potentem
Ausim ego delenti sordes pertinguere lympha?

Quin

Quin tu me ſceleris pollutum labe vetuſti
Elue, nativoque illic ſic redde nitori,
Sordida quem rapuit primævi noxa parentis.
Ille autem, Ne obſiſte, inquit: ſic convenit omne
Nos ſuperare ævum, porro diſcrimine nullo
Me quoque mortalem veluti perfunde liquore.
Hæc ait & pariter fert ſacra ad flumina greſſus
Sancta pedum figens udis veſtigia arenis.
Fortunate amnis, verum cui tinguere lucis
Humanæ auctorem felici contigit unda.
Ipſa tibi cedunt non tantum flumina quotquot
Terra parit, notique lacus, ſed vaſta profundi
Victa tuo fluvio ſubdunt ſe marmora ponti.
Nam licet immenſum Oceanus late ambiat orbem,
Ipſe tamen quem non tellus, non æquoris undæ,
Non ſpatia excelſi capiunt ampliſſima cæli,
Tendentem ad te humili inceſſu, nitidoque petentem
Flumine perfundi velut e mortalibus unum,
Sparſiſti ex illo ſacratis tempore lymphis.
Interea genitor conſperſum flumine natum
Audiit orantem: Quis me ſuper ardua raptum
Sidera, nec vanum quicquam aut mortale canentem
Diriget ad metam? o tantis nunc ſpiritus auſis
Annuat, excelſo vates quem ex æthere labi
Aſpexit, magnumque ſuper conſiſtere regem.
Vix fluvio egreſſus rex idem preſſerat udis
Tellurem pedibus, ſuperûm quum rector ab alto
Præſenti in luce emicuit, celſuſque repente
E ſummo ſe ſe patefecit culmine olympus.
Tunc ſe divinum demittens flamen ab aſtris
Acceſſit propius terras, mitiſque columbæ
Corporea apparens ſpecie, quam humana viderent
Lumina, conſedit divini in vertice regis.
Intonuit, ſonituſque novos dedit arduus æther,
Et vox ſupremi ſic eſt audita parentis:

Hic

Hic meus eſt ante omne fuit qui filius ævum,
Hunc æternus amor ſemper mihi junxit, & idem
Divinam clauſit mortali in corpore mentem.
Sed decet hic unum triplex oſtendere cantu
O liceat digno numen, manifeſtius unquam
Quod non ſe oſtendit, ſummus quam perluit ipſam
Quum vates ſacro divinam flumine prolem.
Id mentes capiunt hominum, & mortalia tanti
Sunt corda? & noſtræ poterunt hoc pandere voces?
Nos pater omnipotens ortum dedit æthere ab alto
Ducere, & in cælum evexit mortalia membra
Divinam inſpirans animam, quam noſcere fas eſt
Omnia, ſeque rapit quo fert ſua cumque voluntas.
Extollunt hæ nos geminæ ſuper æthera vires,
Præſtamus vitæ his volucrum generique natantum,
Almaque quot ſilvis paſcit quot gramine tellus;
Namque hæc non ipſum, quum ſint expertia mentis,
Supremum auctorem rerum, qui condidit imam
Tellurem, & celſo ſplendentia ſidera cælo,
Non ſe ſe agnoſcunt penitus, non condita quævis,
Sola etenim mens ipſa potis noſſe omnia ſolers.
Sed nec velle his eſt, hebeti tantumque trahuntur
Affectu, & prono ducunt e corpore ſenſus:
At nos quamquam animo afficimur, tamen una voluntas
Hunc agit, & nuſquam compellit cæca libido.
An non ſæpe libet quicquam, noſtroſque laceſſit
Quod cupimus ſenſus, animo tamen ardua velle
Longe aliud ſuadet ratio affectuſque coërcet?
Quumque ægris cordi ſint dulcia pocula nobis,
Quod mage conducat latices potamus amaros.
At contra non bruta queunt optare nec ullum
Conſilium vitæ ratione carentia ducit.
Ergo hominum ſublime genus non cætera tantum
Viribus his ſuperat geminis animantia ſummis,
Verum divino dignati ſemine, & ortu

Natu-

Natura ſimiles ſuperûm terræque parenti
Nos ſumus, eque illo eſt humanæ ſtirpis origo.
Namque Dei ut ſummi in natura eſt unica proles
Ex patre ipſa Dei mens, ſanctumque ex utroque
Eſt flamen, quæ eſt una patris natique voluntas,
Sic animæ natura eſt noſtræ, quæ parit ipſum
Noſſe, ſuum tum velle oritur tum intelligit illa;
Quare animam quum quis penitus cognoverit ipſam
Hinc poterit triplex unum cognoſcere numen.
Nam pater omnipotens ſumme felixque bonuſque
Quum ſit, mens autem faciat quum quemque beatum,
Nec quis ni prudens valeat bonus eſſe volenſque,
Eſſe Deo mentemque voluntatemque neceſſe eſt.
Et veluti eſt eadem natura atque unica noſtri,
Unde anima eſt, ratioque animæ ejuſdemque voluntas,
Sic patris natique & ſancti flaminis unum
Numen idemque eſt, triplex unuſque eſt Deus idem.
Atque illo quoniam non eſt in numine quicquam
Quod fiat, neu per ſe exſiſtat, nilque quod eſſe
Non habeat ſummum; quicquid Dei eſt Deus ipſe
Hoc ipſum omnino eſt, quum perfectiſſimus ille
Integer atque idem totus ſit, mens ſit oportet
Ipſa Dei Deus, & votum Deus, & ſit eadem
Cum patre natura, mens illius atque voluntas;
Quare animæ quamquam ſimilis natura parenti
Æthereo noſtræ eſt, tamen hoc ea diſtat ab illo
Quod geminæ ipſæ animæ vires quæ eſt condita quæque
Mutatur, nec quidque ſui quodve illa agit ipſa eſt,
Non ita ſunt anima ex noſtra, intellectio ut id ſit
Quod per ſe eſt animæ natura, itidemque voluntas.
Namque animæ affectus ſunt, dumque intelligit illa
Atque optat fiunt, at vero menſque voluntaſque
Æterni genitoris, ab illo ita ſunt, nihil ut ſit
Factum ab eo, aut non per ſe exſiſtens, neu Deus ipſe;
Namque aliter non ſumme perfectûm abque ſolutû,

Inte-

Integrumque Dei quicquam foret, ac Deus idem
Totus, menſque Dei per ſe, per ſeque voluntas
Exſiſtit, tum integra ac perfectiſſima utrique eſt
Natura, ac non effectus quicquamve Dei ſunt
Quod nō ſit Deus, atque Deo Deus utraq; ab ipſo eſt.
Quumque Deus pater ipſe ſit, eſt etiam Deus ipſa
Mens patris natus, votum natique patriſque
Sanctum etiam flamen Deus eſt, parque eſt tribus eſſe;
Tres tamen hos eſſe unum numen non tria certum eſt;
Atque alius pater eſt, aliuſque eſt natus, & ipſe
Spiritus eſt alius divinus, ſed tribus una
Omnino, atque eadem natura eſt: quumque trium ſit
Quiſque Deus, tamen haud tres Dii ſunt ſed Deus unus.
Res mira atque ingens, capiant quam pectora nunquā
Noſtra, nec humanæ poſſint oſtendere voces;
Attamen id nobis pro captu apprendere mentis
Fas eſt, quum liceat patrem cognoſcere ſummum
Per noſtræ naturam animæ, quæ condita quantum
Res unquam excelſo potuit dignarier ortu,
Eſt illi ſimilis qui condidit omnia ſolus.
Sed jam tempus erat, veri quo luminis index
Proderet æternum mortali in corpore regem
Promiſſum optatumque diu terraſque colentem.
Ergo rex idem turbas dum ſæpe reviſit,
Et ſe noſcendum coram mortalibus offert,
Aſpiciens vates venientem hunc eminus, Hic eſt
Hic, inquit, generis delet qui crimina noſtri,
Innocuus veruſque agnus divinus; hic ille eſt
Quem dixi æthereas quamquam me ſerius oras
Hauſerit, ante tamen cæli quam conderet arcem
Naturæ genitor, tempuſque ante omne fuiſſe.
Hunc pater e celſo demittens æthere ſummus
In terras, me præmiſit, qui prævius illum
Monſtrarem vobis venientem, undiſque piarem
Quos hic divini luſtrabit flaminis igne.

Hunc

Hunc idem oſtendit genitor quum flumine ſacro
Illum ego Jordanis lavi; vocem ipſe loquentis
Accepi, prolemque ſuam caramque probantis;
Et ſanctum e cælo labi, puræque columbæ
Hoc ſuper aſpexi ſpecie conſidere flamen,
Aſpexi, & regem æternum rerumque ſalutis
Humanæ auctorem agnovi, qui ex æthere miſſus
Purgabit longa preſſas caligine terras.
Sic vates regem optatum oſtendebat, & amnis
Pergebat ſacri mortales tinguere lympha.
Interea patris ſummi mandata faceſſens,
Parte alia ingentem populum felicibus idem
Rex luſtrabat aquis, divinaque juſſa docebat.
Id comites vati referunt, paſſim undique ad illum
Purgandos lymphis properare ſalubribus omnes.
Ille autem, Haud, inquit, tractat cæleſtia quiſquam
Ni datus e cælo. jam patris juſſa peregi
Hactenus ætherei, jam regi prævius ipſi
Oſtendi veniens divini ſecula regni,
Et ſcelerum oblitos penitus vitæque prioris,
Edocui puras venienti advertere mentes,
Jordanis tinguens unda, quibus eximat ille
Antiquam, luſtrans divino flamine, labem.
Vos ipſi audiſtis toties quum ſæpe rogarent,
Pura ego qui populos luſtrarem fluminis unda
An rex ille forem, tali me haud nomine dignum,
Æternumque illum regem dominumque fatentem;
Cujus ego haud digne genibus provolvar, & imos
Ore pedes & ſancta pedum veſtigia lambam.
Jamque probata omnes læto mea dicta videtis
Eventu; exſpectatus adeſt nova gaudia portans.
Jam me illum juvat aſpicere atque audire loquentem;
Ceu quis cum ſponſo ingenti devinctus amore;
Tradita ſi cupido fuerit nova nupta marito,
Lætitia exſultat, tum caro lætus amico

Gra-

Gratatur, totuſque imo ſub pectore geſtit.
Haud aliter, quum quæ optavi noramque futura
Adfuerint, noſtra æquarunt ea gaudia vota,
Inque ſuum hunc lætor regnum adveniſſe beatum.
Et jam quod late noſtrum crebeſcere nomen
Cœperat, ille ſuo poſtquam ſe protulit orbi,
Imminui par eſt, ipſumque ad ſidera tolli.
Ille Deo genitore ſatus, ſuper æthera, ſortem
Humanam excedens, meritis famaque feretur.
Interea ſummi nomenque & gloria regis
Per populos ſeſe Judææ effuderat omnes,
Et miris ingens factis, ſigniſque coruſcus
Virtutis monumenta ſuæ mortalibus ille
Clara dabat, ſummoque ortum ſe patre docebat.
Hæc ubi fama pii vatis pervenit ad aures,
Divino quamquam perfuſus flamine noſſet
Eſſe illum æterni ſobolem mentemque parentis,
Attamen ut comites quæ ſacro oſtenderat ore
Ante oculos interque manus expoſta viderent,
Ex illis mittit qui regem adeantque rogentque,
Ipſe ne ſit lapſis veniens ſuccurrere rebus,
An ne aliud maneat pietas hæc ſerius ævum.
Illi abeunt, ſanctique ferunt mandata magiſtri;
Rex autem non verba ſerens, cæleſtibus ipſos
Admonuit ſignis vati quæ facta referrent.
Continuo variis mortalia corpora morbis
Eripiens, vitam ſub nocte trahentibus atra
Pleriſque optati præbebat luminis uſum;
Et confecta lue, & ſanie tabentia membra
Divina firmabat ope, oppreſſoſque nocenti
Dæmone, depellens veſanam in tartara peſtem;
Senſibus & menti quoſdam reddebat ademtis.
Talia rex magnus felicis conditor ævi
Oſtendens, vatique illos quæ aut viſa referrent
Aut audita docens, divino hæc addidit ore:

Vos

Vos ite & ſacro reſponſa hæc reddite vati,
Per me fulgorem cæli qui luce carebant
Aſpiciunt, nuperque obſtructas miſſus ad aures
Jam ſonus accipitur certus, nec non quibus ægra
Torpebant membra, incolumes veſtigia firmant.
Tum quibus ambeſos elephantia læſerat artus
Squalens, & maculis fœdarat corpora diris,
Jam mundos triſtiſque lues languorque reliquit.
Et quibus exactæ fluxerunt ultima vitæ
Tempora, perpetuuſque urgebat lumina ſomnus,
Ad ſuperas auras revocati, & ſidera, rurſus
Æthereum cæli lumen ſpirabile captant;
Inſtruimuſque inopes divini ad gaudia regni.
Et felix noſtri quem nil offenderit umquam,
Meque Dei putet humana ſub imagine prolem
Mortali haud dubiam generi præſtare ſalutem.
His ſe qualis erat dictis oſtendit, & auctos
Spe ſancta illos edocuit, vatique remiſit.
Nec minus & reliquis defixis lumina in uno
Addidit hæc, Quid vos autem quid denſa petiſtis
Viſuri nemora, & ſilvas acceſtis opacas?
Non ibi gaudentem vulgi fallacibus auris
Spectatis, turbent volucris quem flamina laudis,
Et tumidum motent fluvialis arundinis inſtar
Quam crebris agitant ſtridentes flatibus Euri.
Non ibi munditiis captum faſtuque ſuperbo,
Quales ardenti veſtitos murice dives
Deliciis trahit, atque ignavo regia luxu.
Aſt illum licuit præſentem cernere ſummi
Quem cecinere olim felicia pectora vates,
Præmiſſum antiquæ noctis caligine preſſis
Longum exſpectatæ oſtenſurum gaudia lucis.
Hic inter vates divinos maximus, hic eſt
Qui cunctis longe præſtat mortalibus unus.
Sic decus eximii vatis, laudeſque recenſens
Rex hunc tollebat judexque ad ſidera ſummus.

SCI-

SCIPIONIS CAPICII DE VATE MAXIMO

LIBER TERTIUS.

INclyta quos valuit terris extollere virtus,
Et meritis claros fulgentibus intulit astris,
Sæpe hominum gens dira odiis exercuit atris,
Innocuosque ausa est crudeli perdere leto.
Sic vatum fera qui in nocte jacentibus ægris
Prædixere novæ lucis mortalibus ortum,
Insontem plerique animam effudere, piisque
Pro meritis diro solverunt funere pœnas;
Sic & testati intrepide pia nomina regis
Cœlicolûm, hunc terras propter lucemque perosi,
Infandas subiere neces exemplaque dira.
Idem etiam ætherei soboles patris unica, cælo
Deveniens sceleris contagem abolere vetusti,
Præclaram rursus venturam ad lumina vitæ
Et semper victuram animam per vulnera dira

Occum-

Occumbens leto mortali e corpore ſolvit.
Maximus & vates porro vitalibus auris
Ante diem indigna conceſſit morte peremtus.
Ille quidem attonitum ſuadebat crimina vulgus
Linquere, & æternum præſentem agnoſcere regem.
Et jam fama viri late diffuſa tyranni
Se ſe in Idumei volitans invexerat aulam,
Herodis, qui ſceptra patris partemque tenebat
Divitis imperii, patrii quoque nominis hæres.
Is vatem eximium obſervans divina canentem,
Præbebat ſanctis faciles ſermonibus aures;
Ille autem impuros mores, infandaque dictis
Acribus haud timide damnabat crimina regis.
Namque is fraternos thalamos violare, torique
Jura, fidemque auſus vetiti fas verterat omne,
Omne pium gaudens cognato inceſtus amore.
Huic germanus erat natu regnoque Philippus
Inferior, factiſque minor tum viribus impar.
Cui fuerat conjux forma ut præſtantior una,
Sic ſcelere ante alias animoque immanior omnes.
Quæ thalami pia jura, & vincula pacta jugalis
Solvere nil verita, & ſanctum temerare pudorem,
Fœdere connubii ſpreto, ſocioque cubili,
Junxerat Herodi veræ ſe conjugis inſtar:
At ſcelus ingeminans raptoque potitus adulter
Horrificis dignam tenebris & vindice pœna
Intulerat tectis reginæ more ſuperbis,
Cunctorumque ante ora palamque impurus habebat.
Ergo concubitu vates decedere turpi,
Et conſanguineo regem ſuadebat amori
Parcere, nec ſummi contemnere vindicis iram.
Ille piis mentem paullatim advertere dictis
Cœperat, & ſceleris potuit jam linquere morem,
Ni mollem illecebræ cepiſſent turpis amicæ,
Paviſſentque acrem molli ſub corde furorem.

Illa labantem animum nutu impellebat, & ægro
Non ægre monitus vertebat pectore ſanctos.
Quin metuens, dictis dum ſæpe hunc urget amaris,
Ne quando inſanos vates exſtingueret æſtus,
Inque ipſa accenſas furias ſedaret amantis;
Sæpe preces lacrimis miſcens his forte tyrannum
Vocibus aggreſſa eſt: Rapient ergo irrita venti
Quæ dederas nobis toties promiſſa, ferentque
Spes etiam noſtras rapidi, nec te ulla tenebit,
Ah durum, exſtincti te propter cura pudoris?
Ignoti ſi verba viri te triſtia flectent,
Et poterunt pactas jamdudum ſolvere tedas,
Ten' illi præbere aures, & lædere famam
Auſum Herodiadis pacato cernere vultu?
Et ſecurus adhuc vivit ferus ille, tuoque
Hoſpitio fruitur liber, pœnæque vagatur
Ante oculos expers; quæ ſunt mea crimina tanti?
Scilicet hic thalamis miſeram pactoque cubili
Extorrem aſpiciet victor, quemque ipſa reliqui
Incenſum infandis odiis, & conjugis ira
Ereptæ, in ſedes revehar captiva Philippi.
Nec me tam leti terret crudelis imago,
Quam paveo ut vivens te ſim caritura, tuoque
Complexu exceptam fugiens vita ægra relinquat.
O utinam noſtris hæſiſſet flamma medullis
Parcius, immeritam quæ nunc male perdit amantem:
Aut tua non levior præcordia carperet ignis:
Non penitus noſtro inſediſſet pectore vulnus,
Nec, quod tam facilis fuerim, nunc perdita pœnas
Has luerem tanto infelix confecta dolore.
Hæc promiſſa fides, pro ſimplicitate reponis.
Hæc noſtra, ut verear dictis avertat iniquis
Ne mihi te quiſquam & noſtro ſejungat amore?
Hæc de te merui? nobis hæc præmia tandem
Reddis? ſi mecum ſtabili te fœdere jungi

Non

Non animus fuerat, nec te data dextra tenebit,
Quid primo abductam thalamo caſtoque cubili
Pollicitis fraudas, & ſpe me paſcis inani
Immemor, ac ſævi miſeram formidine leti
Concuſſam tanto curarum turbine jactas?
Certe ego te famæ antetuli ſanctoque pudori,
Et noſtrum pro te fœdavi crimine nomen.
Quod te per noſtri ſupereſt tibi ſi quid amoris,
Id decus obteſtor quondam quo grata putabar
Ipſa tibi, falſa eſt hujus ni gloria formæ,
Hinc procul expellas, merita vel morte peremtum
Hunc mulctes, tanto inſontem qui avertere amanti
Me ſtudet, immiti peream ne victa dolore.
Aut, hujus tibi ſi tantum ſunt effera cordi
Juſſa, nec hos duras queſtus demittis in aures,
His manibus (figit regis ſimul oſcula dextræ)
Me perime, & noſtro ſumas tu ſanguine pœnas.
Sic ego ſi moriar lucem haud invita relinquam.
His dictis ſeſe in mollis demiſit amantis
Mœſta ſinum largis perfundens fletibus ora.
Heu ſemper miſeris mortalia dedita curis
Quam facile a recti declinant pectora cultu
Quum furor inſanus ſævique Cupidinis ignes
Per venas ſerpunt imas atque oſſibus hærent,
Ardua nec ratio obſiſtit, nec cernitur ægris
Quam ſubito pereant fugientis gaudia luxus.
Quem pius æterni ſuccenſus flaminis igne
Non potuit tetris vates avertere flammis,
His mala labe ſua contactum femina dictis,
Turpia pellexit non magno in vota labore.
Continuo facili labuntur pectore ſummi
Dicta viri, mentem ſubeunt monumenta nefandæ
Conjugis, hæc oculis jamdudum & ſenſibus hæret.
Hæc eadem benefacta abolet divinaque vatis
Præcepta, inſanoque iras ſub pectore nutrit.

Jamque animum cupere rex dudum explere furentis,
Insontemque virum crudeli absumere leto;
Sed decus insignis vitæ, memorandaque facta
Illius obstabant, nec quo defendat iniquam
Cædem habet, aut sceleri sumat quæ exordia tanto.
Nec melior captum mutat sententia mente.
Ergo hunc dum turpi vates avertere pergit
Crimine, dum furias incesti damnat amoris,
Explendæ causas optanti præbuit iræ.
Ille etenim fœdæ ex oculis hunc jussit amicæ
Auferri, & sontem veluti, quæ proxima visa est
Tunc sibi pœna neci, claudi illum carcere, quo non
Teste Deo melior fuerat nec justior alter.
Is tamen æquo animo stolidi crudelia regis
Jussa ferens, miseros quantum non claustra vetabant
Impia mortales optato advertere regi
Pergebat summo, divinaque jussa docere,
Et morem infandum Herodis, miserandaque gentis
Humanæ sanctis incessere crimina dictis.
Ast is non ullis præbebat vocibus aures;
Demens, qui e pravæ totus pendebat amicæ
Arbitrio: hæc, cæcam turpis quocumque libido
Traxerat, haud duris miserum flectebat habenis.
Hæc igitur, quamquam in vatem accendisse tyrannum,
Et potuit duris insontem nectere vinclis,
Præteritique juvet tutam meminisse pericli,
Ac vetitum stabili junctum sibi fœdere amantem,
Absentem tamen hunc præsens auditque videtque,
Et se carpentem dictis despectat amaris;
Terribilesque viri monitus & libera jussa
Assiduis urgent stimulis terrentque paventem.
Qualis ubi duris Nomadum venator in arvis
Incidit in jaculis actum de monte leonem,
Frendentisque feri vix dente elapsus, aperto
Securus licet in campo tamen horrida semper

Ora

Ora videt, rapidumque diu reminiſcitur hoſtem:
Aut ubi quem carcer ſervabat criminis atras
Laturum leto pœnas, ſi vincula rupit
Evaſitque fuga, elapſo tortorque neciſque
Aſſidue ante oculos dira obverſatur imago;
Haud aliter trepido verſans ſub corde timorem
Turpis amans, auſis reputat nil omnibus actum
Optato properet ni vatem perdere leto.
Nec contenta amplis ſolitum ſpatiarier arvis
Anguſto in tecto, & ſolis clauſiſſe latebris
Quærebat tota vitæ hunc ſubducere mente,
Et nece ſe tandem longis hac ſolvere curis,
Optatamque viam oſtendit Fortuna modumque.
Forte dies aderat, priſco quem more quotannis,
Illo quod fuerat vitalibus editus oris,
Rex celebrare epulo feſtoque aſſuerat honore.
Hoc juvenum primi, & forma cultuque puellæ
Inſignes, aula admiſſi dapibuſque beatis
Læta frequentabant alacri convivia plauſu.
Hunc vero prius alma novo quam proderet ortu
Aurora, ignivomos jungens ad frena jugales;
Quum vagus occidua ſublatus noctifer unda
Æthera ſuffundit tenebris, ſtellaſque reducit,
Et pecudes ſerpenſque animal raucæque volucres,
Ac mortale genus, vigili defeſſa labore,
Admittunt placidam per corda ſopita quietem;
Rex ipſe oblito curarum pectore ſomnos
Carpebat, ſeroque rigabat membra ſopore.
Et jam nox curſu medium ſuperaverat axem,
Fulgenteſque faces in mundi prona vehebat,
Quum nitidis fuſo in ſtratis blandumque foventi
Complexu e tenero ſpirantem conjugis ignem,
Olli viſa viri ornatu inſignis & ore
Effigies, ſacer ad talos quem fuſus amictus
Canaque purpureæ velabant tempora vittæ,

Sicque audita loqui: Tibi mollem cura quietem
Ducere, & ignavo proſternere membra ſopori?
Immanis tibi commiſſas moderatur habenas
Femina, dilectique Deo retinacula regni?
Ah miſer, ah male caute, vides quibus æſtuat illa
Fluctibus, & quantos agitat ſub corde furores;
Et tamen hanc propter nexus abolere vetuſtos,
Et veram vobis venientem pandere lucem,
In tenebris cohibes, & tetro carcere claudis.
Quin etiam quum clara dies ſe gurgite cano
Tollet, & ardentes radios induxerit orbi,
Egregia hunc conjux pro ignavi munere facti,
Hunc, tibi qui potuit perituro afferre ſalutem,
Æternæque decus vitæ, brutum velut, aræ
Aut epulis animal paſtor quod ſervat opimis,
Crudeli jam jam perdendum funere poſcet.
Dum licet, inſanæ mentis compeſce furorem;
Infandoque tibi devinctam fœdere, quæ jam
Facta tui regnique potens promiſſa repoſcet,
Mitius optare aſſueſcas, aut pareius uti
Pollicitis, pauco quæ in vos poſt tempore cedent.
Ille quidem ſuperis jampridem debitus, ægro
Corpore ſe exſolvens cœtus terraſque relinquet,
Atque aliam nullo præſcriptam tempore vitam
Deget, & ætherio præſenti rege fruetur:
Nec refert, ſua ne illum mors, an vulnus acerbum
Finiat, atque ævi modicum ferus auferat enſis.
Te tamen, o ſemper doliture, æterna manebunt
Supplicia, & vindex ſummo ſub judice pœna.
Et quæ nunc cædemque inhiat ſanctumque cruorem
Vatis, & horrifici compos mox impia voti
Ibit ovans parto tali ſpectanda trophæo,
Illi tempus erit diri quum funeris inſons
Eſſe volet, vitamque illa pro cæde paciſci,
Quum patrio extorrem cælo, regnoque beato

Te

Te comitata ſuum, rerumque, atque indiga lucis
Longe alias gentes, aliaſque vehetur ad oras;
Vitam ubi pauperie in miſera luctuque trahetis;
Externoſque pati mores, faſtuſque coacti,
Confectiſque ſitu tandem duroque labore
Corporibus miſero linquetis funere terras,
Ac barathri immerſis tetri infelicibus umbris,
Suppliciis nullo ceſſandum eſt tempore diris.
Tantum effatus regem mortalemque reliquit
Effigiem, tenueſque procul conceſſit in auras.
Talibus at viſis perculſo protinus illi
Somnus abit, geliduſque ſubit pavor oſſa ſub ima.
Nec dum pigra novo fugiens nox ceſſerat ortu,
Corripit e ſtratis trepidos quum mollibus artus,
Atque oculis peragrans, crebriſque recurſibus aulã,
Fatidici reſponſa viri, viſamque volutat
Effigiem, per tot ſervata ex ordine reges
Illa forte domo tabula quæ exſtabat eburna,
Molli ducta manu, gemmiſque auroque renidens.
Namque olim Solyma meritis inſignis in urbe
Vir fuit, æterno perfuſus numine mentem,
Ignavas qui voce tribus, tumidoſque tyrannos
Compeſcens, ſummi pia patris juſſa docebat.
Hic & clamantis nemoroſa per avia vocem
Supremi cecinit vatis, miroſque futuri
Æterni regis conceptu virginis ortus,
Humani attactus noxæque expertis, & illo
Devotum mortale neci, diriſque tenebris
Exemtumque genus recreataque ſecula partu.
Verum dum ſanctos monitus metuendaque ſummi
Dicta viri haud æqua rex captat perfidus aure,
Ancipitem ſtruxit querno de robore ſertam,
Perque viri hanc coſtas adigens, miſerabile dictu,
Diſſecuit medium, & longa ſic morte peremtum
Impia ſubduxit vitæ per vulnera corpus.

Ille igitur longum quamvis ante editus ævum
Ceſſiſſet terris ſuperas evectus ad oras,
Nota tamen pietas & ſacri carminis ardens
Gloria, quo regni cecinit nova ſecla futuri,
Et picto ſervata diu vivebat imago.
Ergo immota tenens rex fixo hic lumina vultu
Multa movet, trepiduſque imo ſub pectore verſat
Eximii vatis benefacta & conjugis iras:
Illa metus vulgi, impatiens has aggerat ardor.
Heu quo declinet? facinus ne immane retractet?
Et ſua dicendi reddatur ſancta redemto
Libertas, cedantque piis fera pectora juſſis?
An miſere ex illo lenitum carcere vulnus
Non gravet, & vatem ſervando exſtinguat amantem?
Nulla quies, non ulla animum ſententia firmat.
Ancipiteſque inter curas, certumque timorem,
Has nunc in partes agitur nunc flectitur illas.
Ceu ſpeculum verſat quum quiſquam leve, micantis
Perculſum ſolis radiis, jam mobile tecti
Summa ferit lumen, vacuas jam verberat auras,
Quaque refulgentis facies ſe verterit orbis,
Omnia percurrens variis loca flexibus ambit.
Jam caput oceani madidum ſol aureus unda
Extulerat, croceoque diem patefecerat ortu,
Quum trepidant omnes, felix quibus illa futura
Lux fuerat, ſubeuntque alacres regalia tecta.
Ipſe licet nulla admittat rex gaudia, & altum
Pectore vulnus alens ingenti exuberet æſtu,
Spem tamen obducens vultu, frontemque ſerenans,
Egregio procerum cœtu, juvenumque caterva
Septus, & ardenti late ſpectandus in oſtro,
In ſtratis placide venientes accipit altis,
Ordine quemque jubens lautis diſcumbere menſis.
Regia ſuſpenſis aulæis tota ſuperbis
Splendet, & inductis niveis mantilibus ingens

Ce-

Cedrus, collucentque abacis ingentia latis
Ex auro solida, & miris vasa aspera signis.
Continuo manibus lymphæ funduntur odoræ,
Tum famuli centum cumulatis orbibus amplas
Triticeis onerant candentibus, & dape mensas
Multiplici, totidem pubentis flore juventæ
Et cultu similes ardentia pocula miscent.
Atria lata sonant strepitu, laqueataque lætis
Vocibus, & vario miscentur murmure tecta.
Ergo Herodiadi, quod vix optaverit umquam,
Cum lacrimis repetenda dies illa obtulit ultro;
Namque nitet largo dives dum regia luxu,
Hæc natam ornabat solerti sedula cura,
Quam cantu & molli spectantes ducere saltu
Mira arte edoctam, a primis permiserat annis
Femineos celebrare choros cœtusque viriles.
Illam quo poterat studio comebat, & artem
Nativo decori formæque addebat honores;
Ora colorato pingit fulgentia fuco,
Certantesque auro crines innodat in aurum,
Tum gravibus teneras aures & pectora gemmis
Baccatoque onerat candentia colla monili;
Contextam hinc auro vestem, gemmisque coruscam
Induit insertis, vivis distincta figuris
Quam ducto argento decorabant aspera signa.
Sic parvæ genitrix natæ male cauta pudori
Insidians, gestu quo se componat, & orbes
Quos agat, & quali ducat vestigia motu,
Haud ignara docet, tum mollis gramine cœsti
Conspersam, & totam fragranti rore madentem
Sic jubet instructam regis se sistere ad ora.
Cuncti illam aspiciunt cupide & mirantur euntem
Ut fastu vultus obducat parva tumenti,
Præferat ut tenera maturum fronte decorem.
Jamq; aulam subit, atq; hilarē introgressa tyrannū

Con-

Convivaſque petit, blanda quos voce ſalutans
Accipitur placide, & largo cumulatur honore.
Ut vero expleti dapibus, requieſque petita,
Demulſitque aures non uno tibia cantu,
Rex nitidæ gnarus luſus artiſque puellæ,
Compoſitos jubet, & varios hanc edere motus.
Nec mora, turba frequens ſe ſe collegit in arctum;
Illa autem bifori buxo præeunte, novoſque
Ad ſonitus quos pulſa modis dant tympana miris,
Cœpit certa vago veſtigia ponere greſſu.
Jamque hos abſolvit, jamque illos dividit orbes,
Fulgentiſque ſoli pedibus nunc levia pulſat
Marmora, pernices certo nunc ordine plantas
Suſpendit, rectoque agilis ſe corpore motat,
In numerumque pedes agitans procedit eodem
Inceſſu, variis mox cedit ſaltibus, amplos
Aut gyros agit, anguſto aut ſe colligit orbe.
Quæ ſimul ac longo clauſit ſpectacula luſu,
Excipitur cœtu circum plaudente, noviſque
Certatim hanc omnes & regem laudibus ornant.
Aſt obtuſa gerens nimio præcordia luxu
Herodes, madiduſque jocis vinoque vacillans,
Ecquæ mater, ait, formoſi præmia partus
Digna feret? formæ & grati quæ filia luſus?
Quare age quæ cupies, dulcis, pete cumque, puella:
Cuncta feres, ſi vel regni ſoliique venire
Legeris in partem, & mecum regina vocari:
Per patris id juro ſuperûm inviolabile numen.
Sic ait, & pariter cunctantem hortatur, & addit,
Quæ petat, & largis ornat ſua munera dictis.
Illa autem, dita ſeu ſic edocta parente,
Sive, quid oblatis de tot prius eligat anceps,
Hanc feſtina petens, magni promiſſa tyranni
Edocet, & donis poſcit conſulta legendis:
Accipiens quæ animo tempus ſcelerata modumque,

Hæc

Hæc ſecum: Noſtro finis non ulla dolori
Nec requies erit? & vitam inter ſpemque metumque
Ægra traham dubiam ſemper? noſtriſque ferocem
Ille animum lacrimis paſcet, miſeramque jubebit
Ante diem exſtingui crudeli funere vitam?
Quem proferre piæ cæleſtia commoda pacis,
Æternique ajunt felicia tempora regis.
Nec pœnas hic morte luet? Sed vindicis ira
Me vetat, & timidam terrent odia aſpera vulgi.
Ergo ſic vivam potius? Sed linquere mortes
Per mille id vitam eſt. invictum flectere regis
Pellæi una animum potuit nec ſobria pellex,
Unde eſt in triſtem ſubito prolapſa ruinam
Perſepolis, regni memorabile nomen Eoi;
Ipſa ego non Thais, tellus abſorbeat ima
Me prius, Herodis conjux, explere merentis
Unius exitio, gravibuſque exſolvere curis
Non animum potero? muſſet mutabile vulgus,
Inque unam exſertent omnes rapida ora, quid ultra
Tum metuam? dicar nimium indulſiſſe furori;
Eſto, atrox fuerit, ſed non reparabile crimen.
Multa gravis carpit livor patranda, feruntur
Facta eadem, ac ſæpe hæc tribuit plebs improba laudi.
Tales illa truci volvens ſub pectore queſtus,
Eheu quo turbor gemitu, jam faucibus imis
Hæret, & hæc fari linquit vox ægra parantem;
Nata, dies, inquit, noſtras hæc ſolvere curas
Et poterit longo finem præbere dolori.
Tu modo, ne cœptis quicquam felicibus obſtet,
Tolle moras, munuſque piæ allatura parenti
I pete Joannis caput a cervice revulſum.
Hæc maneant noſtrum qui fœdant crimine nomen.
O ſævam! o tetram! rabies quo te impulit atra?
Tu ne virûm decus eximium, tu peſſima gentis
Femineæ ignavi mercedem poſcere luſus,

Flam-

Flammantiſque animi fluctus cæcumque furorem
Illa anima potuiſti, illaque exſtinguere cæde?
Sol, qui humana oculis penetralibus omnia cernens
Denudanſque opera, horrificis ſæpe impia ſignis
Accuſas ſcelera, & cohibes formidine mentes,
Impie ſol, nitidum quid non mortalibus illis
Occuluiſſe caput, turpemque offundere noctem
Te aſpexere pii, tantumque horreſcere crimen?
Illum per nemora, in luſtriſque horrentibus ævum
Degentem mutum genus atque immite animantum
Liquit inoffenſum, ſemperque per alta vagantem
Avia, & in ſolo carpentem gramine ſomnos
Securum, haud umquam læſit vis ſæva ferarum.
At tibi, ſævitia o rabidos truculenta leones,
Et tigres ſuperans, diriſque immanior hydris,
Nulla fuit pietas, flexit clementia pectus
Nulla tuum, ut vatis poſſes miſereſcere tanti,
Et ſcelere inſigni crudelem avertere mentem.
Ergo abiit parens genitricis filia dicto,
Et donum ſupplex regem miſerabile poſcit.
Indoluit dubia turbatus mente tyrannus,
Continuoque oculis nubes diſcuſſa, madenſque
Viſa ſub heſternam pectus movere quietem.
Jamque acres ſubeunt monitus, jam dira minantem
Funera præſentem vigilans auditque videtque.
Atque hinc ancipitem ſancti reverentia vatis,
Si ſcelus admittat, vulgique movenda tenebant
Corda, fides illinc ſancte promiſſa puellæ,
Et timor, aſtantum ne animos perjuria lædant.
Quid faciat? tanta num ſpe deturbet amantem,
Et devota neci, ſuppoſtaque victima ferro,
Quæ ſola infandum poterit lenire dolorem,
Incenſæ ſacram furiis non imbuat aram?
An meritas, ſancto fuſo det ſanguine pœnas,
Et certum exitium promiſſaque funera cernat?

Jam

Jam potuit vecors crudelia flectere juſſa,
Conciliiſque moram, certaſque innectere cauſſas,
Inclyta tum vatis pietas, ac viſa referre
In melius poterant nutantem inſomnia mentem;
Sanior at ſenſus tunc pectus liquerat ægrum,
Arbitrioque amens diræ pendebat amantis.
Agnoſcit quid cæca ſequi jubet ira, furorque,
Quidve nitens ratio, penitus ſed peſtis in artus
Deſcendens imum cogebat frigore pectus;
Quoque magis dirumque nefas propiuſque periclum
Impendens capiti, prædictaque funera noſcit,
Ingruit hoc torpor magis augeſcitque morando.
Qualis ad optatæ venturos gaudia terræ
Electos Pharaon populos quum carcere, & atro
Servitio premeret, magni jam mira videbat
Signa ducis, ſuperûmque minas, cæloque petita
Excidia, & diræ præſentia funera cladis:
Horrida ſed duro glacies in corde rigebat.
Et veluti canum ſi tollere fœda parentem,
Sive virum turpi promiſit adultera mœcho,
Atque atrum in promtu eſt ſceleris quod gnara venenũ
Miſceat incauto, facinus crudele, comeſque
Ante oculos culpæ pœna obverſatur, & anceps
Cuncta timens auſum exſequitur tandem impia dirum,
Pollicitis ſævum ne infandis fraudet amantem:
Haud ſecus Herodis dubiam ſententia mentem
Deterior movit, factumque immane petenti
Annuit; ignavus, qui pluris olentia duxit
Dicta merum impuræ non abjurare puellæ,
Tali cæde ſibi quam non accerſere mortem
Longe aliam, & nunquam delendum admittere crimen.
Sæva igitur vecors ſtatuens promiſſa tyrannus
Implere, immanemque animum ſatiare pudendæ
Conjugis, & recti hanc propter decedere cultu,
Dirum horrendum crudele ingens imperat auſum

Abſol-

Absolvi, atque atrum posita pietate ministrum
Criminis infandi tam sancti sanguine vatis,
Pro scelus, insonti crudeles sumere pœnas.
Jam laudum immenso, vates divine, tuarum
Exspatiata mari tenuis subit ostia puppis
Optata, & positis sinuantur carbasa ventis.
Jam penitus sacræ fixi vestigia silvæ,
Intacta referens lectos ex arbore ramos,
Felix quum tali præcingi tempora fronde
Et merear tantæ decerpere laudis honorem.
Hæc si digna piis habeantur carmina cœptis;
Atque tuos ortus, sanctæque insignia vitæ
Facta tuæ, digno extulimus si ad sidera cantu;
Deflemusque pie facinus crudele tyranni,
Qui sævo ante diem rapuit te funere terris.
O tantum his oculis largus ne tristibus humor
Desit, & hæc tales comitentur carmina fletus,
Mœsta tui comites sparserunt qualibus ora,
Quum caput ex humeris disco scelerata revulsum
Nata sacrum referens diræ lacrimabile matri
Offerret donum, tristesque cruenta viderent
Spectaclo immanem satiantem lumina tali;
Et stratum tellure tuum miserabile corpus,
Quo duce deserti, heu pietas, qualive magistro;
Exciperent sublime humeris tumuloque referrent,
Tam dignis cuperem lacrimis tua, maxime vatum,
Funera, & hoc diram questu deducere cædem;
Ni tua dura piis patribus mors læta tulisset
Gaudia, sub noctis feræ tabentibus umbra.
Quandoquidē superis post vitæ incommoda ab oris
Excedens, sine luce domos, sedesque subisti
Quas animæ insontes & fortunata colebant
Agmina, cælicolûm jam jam exspectantia regem.
Huic ut tu in terras venienti prævius isti,
Par fuerat vita te functum in cæca præire

Re-

Regna, oſtenſurum venturæ his gaudia lucis,
Illa quos tenus in tenebris traducere noctem
Antiqua impulerat primævi noxa parentis.
Paruit ergo atrox dicto, crimenque miniſter
Horrendum accelerans, ubi regis juſſa nefandi
Inſignis vates haud fracta mente ferebat,
Clauſtra adiit, ſtrictumque attollens impius enſem
Letiferum, toto pendentis pectore cælo,
Ah facinus, ſanctum ex humeris caput abſtulit: ille
Concidit exanimis, jacuitque in carcere truncus.

Jo. Matthæus Toſcanus Pepli Italiæ Lib. II.

LAMPRIDI, *Alcaïco tractas dum barbita plectro,*
Sola tuum teſtudo Appula vincit ebur.
At quum Pindaricus tibi pectora concutit horror,
Tum ſe ſubmittit Flaccus & ipſe tibi.
Quem victum pauci, victorem nullus at æquat;
Non poteras vinci, aut vincere nobilius.

Cremona LAMPRIDIUM, noſtri ſæculi miraculum, edidit. qui quod Horatius ſtultæ temeritatis eſſe exiſtimavit tentare, ſibi proclive admodum eſſe declaravit, Pindari imitationem, quem feliciſſime Latinis eſt verſibus æmulatus: ut Aurato, Poëtarum regi, & omnibus Græcæ linguæ peritis videtur. Nam Jovius quæ non aſſequitur, ea non probat. Ejus carmina (†) ab innumeris mendis vindicata nos ſemel recudenda curavimus, quæ poſt majore cura emendavimus, & de tertia editione cogitamus.

De LAMPRIDII Carminibus Jo. Aurati Poëtæ Regii judicium.

LAMPRIDIUS *vates inter non alter Homerus,*
Inter ſed Latios Pindarus alter erat.
Dum tamen & Latiis affectat Horatius alter
Eſſe, minor Grajâ eſt & Venuſina chelys:
Quantum Pindarico modulans aſſurgit hiatu,
Tantum deprimitur pectine, Flacce, tuo.
Sed quo deſperarat Horatius ipſe venire,
LAMPRIDIUS *venit:* LAMPRIDIO*que ſat eſt.*

De LAMPRIDIO conſule Vol. II. Cremonæ Literatæ Franciſci Ariſii pag. 95. An. MDXXXI.

(†) Primum edita ſunt Venetiis ap. Gabrielem Jolitum de Ferrariis. 1550. 8.

BE-

BENEDICTUS LAMPRIDIUS

NICOLAO LEONICO THOMÆO.

Carmen adhuc ineditum ex Schedis Bibliothecæ Ludovici Beccatellii Archiepiſcopi Raguſini in Jacobi Superantii Patricii Veneti inſignem Bibliothecam illatis.

I. QUID nunc, anus o Thebai, poſco deos?
Nil prius, quam rurſum ab ūbris Muſa canat,
Sed decus canat virorum
Muſa tui caritura obitu
Vatis mihi; namque ille diam
Perſephonen cecinit,
Prius relicta paullulum
Divite ſede piorum.
Nunc voluntas * non pepulit * fort. *nunc*
Meum animum, talis licet temporibus
Fortuna vexatis hominum
Generi tantum invidens
Corruperit florem Camœnæ.

II. Plutoniam hymnis Tartara ſed reſonent
Ima pulchris virginem, quæ molle Jovi
Manium accendit potenti
Pectus amoribus, & facie
Grata; unde mox præfecit aulæ
Horrificæ dominam,
Quærente nequicquam * ſuos * fort. *ſuæ*
Natæ oculos genitrice.
Montium hanc per ſumma Ceres
Juga vagans campoſque voce aſſidua
Fruſtra vocabat, ſollicito

Animum ſub pectore
Mordacibus curis fatigans.

III. Et licet mœſtam obvia turba deam
Lenibus mulcere ſonis ſtudioque
Niteretur blandienti,
Pone, dea, invenies;
Illa non cœptis tamen
Abſiſtere, lampada ſed ferens nitentem
Currere huc illuc ſub atro
Tegmine noctis, & humentem per umbram,
Quum fugiente dies clarus rota
Deſiiſſet candida lumina
Præbere pernicibus veſtigiis.

IV. Divæ ergo nullum tempus erat vacuum,
Mente ſed tota laborabat, quoties
Aut ſua oſtentaret aſtra
Ignibus aula nitens ſuperis,
Aut lucidum curru extuliſſet
Sol redeunte jubar.
Vincibat arctos tunc ſinus,
Auricomamque puellam
Inferi rector populi:
Deus enim noſtri caleſcens generis
Forma legentem florifero in
Spatio pellucidi
Prati corollas ungue pulchro

V. Proſerpinam vi corripuit ſubita.
Flebat, heu, matris vocans, heu, legiferæ
Dulce nomen, ſæpe flores
De gremio roſeos tenero
Mœrens volutos, prædo qualis
Neſcia vim attulerit
Viri figura ſub novi,

Im-

Imperiumque paratum
Esse, magnos quod placita
Mulier amplexus dei contereret.
At non eas propter lacrimas
Cupidus raptor minus
Laxas dabat rhedis habenas,

VI. Regiam in furvam celerans ubi dux
Ille mores & populos regit alma
Sceptriger vita carentes.
Ut tenuere igitur
Avios vivis locos,
Infernaque regna, statim oppidis frequentes
Rite dum suliginosis
Adveniunt, pretiosa & dona sponsæ
Quisque novæ approperat, oblivium
Afferentes matris, & aëris
Nostri, rosarumque projectarum humi,

VII. Fortuna mentes præsidio melior
Occupat nostras, & arcem pectorum habet
Sorte dejecta minore.
Lætitia ergo gerens animum
Dulci gravem regina, circum
Tempora dum reparant
Volventibus soles polis,
Audiit, esse coruscis
In locis cari leviri,
Fidicinem Phœboque carum, & superûm
Matri deorum, cui tenerum
Puero labrum favo
Prædulci apum Musæ replerant,

VIII. Quum somnus olim, & mollia strata tori
Solum haberent; quod sensit rediens
Mater, & dilecta nutrix:

Pæneque numina viſa oculis
Mortalibus digreſſu in ipſo.
Hujus ab ore dea
Arſit ſonari; at non prius
Quam peteret nigra vates
Regna, voti compos abit:
Canere ſed mox furva ſubter nemora
Vita jubebat caſſum. igitur
Cecinit Proſerpinam,
Et nuptias & ſceptra Ditis

IX. Luce functus; namque ſilente tibi
Nocte, vates Thebai, reddidit, oris
Viſus ab nigris adeſſe,
Carmina, quæ memori
Mane ſervans pectore
Mirantibus ipſa dediſti inuſitato
Civibus gaviſa dono.
Quale velim, o, mihi des, Dircee potor,
Carmine nam meditor dignum tuo
Diis amicum cælitibus virum
Donare verſu, & canoro tibiæ

X. Acris ſono mulcere animum, & fidibus
Experiri dulcibus laudes repere
Inſolentes ſæculi nunc
Prætereuntis. Ineſt veterum
Huic artium ſplendor, capacem,
Sidera quamdiu erunt,
Orbem pererrans, lampados
Inſtar Apollineæ; nam
Quo viam non Fama ſibi
Voluit alis pervolans cuncta citis
Munire? Virtus Niliacum
Caput extremos procul
Fontes adit: virtus remotos

XI. Defeſſa numquam tranſit Hyperboreos: 125
Ulla nec tam barbara eſt gens, nec tam Italo
Diſſidet ſermone quiſquam,
Cui, venerande ſenex, celebre
Lentas tuum oblectavit aures
Nomen, & ingenii 130
Divinum acumen, quo polos
Tu peragras, LEONICE,
Et deûm mirare choros
Supera ſcandens regna; cælumque, patet
Quo quo, levis volvens aciem 135
Animi e noſtra vides
Terra, & nitentem addiſcis aulam

XII. Conſcius veri: neque te, valeat
Ferre quid natura, eademque recuſet,
Præterit; quæ cuncta pulchro 140
Diſſeris eloquio
Nexa, ditans aureis
Nos muneribus ſapientiæ. quid? ulla
Ulla abeſt terra unde non ſit
Qui tibi commodet aures, atque puro 145
Pectore dicta bibat fingentia
Dogmatis mentes ſolidis rudes?
Namque ut meo ceteros cantu eximam,

XIII. Eſt cuncta longum dicere, quiſve poteſt?
At feram, Pacæ, te numquam tacitum, 150
Patrium qui nominaſti
Laude ſolum tereti; neque nunc
Obtundit aures nomine orbis
Barbarus inſolito
Noſtras. Repoſtos quam lubet 155
Ultima terra Britannos
Cingat ulnis cæruleæ
Thetidos, undoſumque late Oceanus

Oſtentet æquor, navigiis
Oneranti mercium
Summa gravatis pertimendum;

XIV. Obſtare claro non maria ulla queunt
Lumini, non multa telluris ſtadia:
Illa nunc volvit Platonem
Inſula, volvit Ariſtotelem,
Non hos rudi ſermone verſos,
Atque notham faciem
Præ ſe ferentes, Attica
Sed proprio ore ſonantes
Verba; tales namque legi
Jubet Ithomæus, viam præcipiens
Turamque, nec pronam in ſalebras,
Nequeunt ſtultam e quibus
Lapſi ſemel mentem referre.

XV. Suave quam veſtigia inire duce
Tuta certo! ſive viator habebis
Longum iter duras per alpes,
Album ubi frigidior
Bruma conſperſit jugum;
Seu remigio innumerum maris cachinnum
Excipis bacchante vento.
Quod ſi Heliconiadas miſcere chordis
Suaviloquis animus ſuadet virum
Quem cupido templa per ætheris
Sublima vexit rotis velocibus,

XVI. Quis dignior noſtro ſene? qui totiès
Arduam emenſus viam, notos potuit
Ceteris monſtrare calles.
Non erit ullus (opinor ego)
O crine præſignis decoro
Filia Mnemoſynes,

Ma-

Magnique patris cælitum,
Urania, Leonico
Quem velis præferre. tuum
Nebula non ullum impedit judicium,
Sed perſpicaci cuncta vides
Oculo, & quæ nunc vigent,
Et quæ fuere, & quæ trahuntur

XVII. Ventura. Noſti tu quoque præteritum,
Muſa, Fuſcum, quem colebant Romulidæ
Spendidum virtute rara.
Degener haud fuit ille: nigras
Heu nunc habet Fuſcus lacunas,
Cui Libitina oculos
Clauſit, nefas! eheu procul
A gremio ille parentum
Occidit terra in Latia.
Fuit Ithomæi ſecundum jubaris
Fuſcus decus. Fuſco lacrimas
Negat ullus? Fuſcum ego
Nunquam lyra tranſibo muta.

XVIII. Fervidi delent benefacta rogi,
Nec decentem gratia priſca colorem
Servat, humanuſque ponit
Pectore de memori
Grex bonas laudes, niſi
Pulchræ ſapientiæ, & ingenii vigentis
Flos lyræ aptetur loquaci.
Frater hic ejus erat, cui virentes
Perpetuis modo paſco floribus
Gratiarum hortos. Trahimur trahimur
Quo? Muſa, gentis vetus pandis genus,

XIX. Et me locas in nobilis arce levem
Summa Ithomes, quo Jovem fari tuleraut

Neſcium Curetes, eſſet
Faucibus ut puer a patriis
Tutus. Sacratum condidere
Hic populi memores
Templum. ſacerdos eligi
More ſolebat avito
Hic quotannis: cura Jovis
Data celebrandi eſt quotannis. pius pius hic
Cultum ſacerdos terrifici
Simulacrum numinis
Servat domi ſancto in receſſu:

XX. Meſſenii quod, feſta ubi lux rediit,
Efferunt pompa frequenti. illuc Pelopis
Inſulam omnem convenire
Fama fuit, cupidam celebres
Spectare ludos, muſicique
Egregium cupidam
Spectare certamen chori.
Quæ ſacra Juppiter ab ipſo
Dixit una cum tumulo
Veteri ab altricis ſuæ nomine, quod
Delere nullis temporibus
Queat ulla oblivio.
Eſt nonnihil magnis placere

XXI. Diis. Ithome clara erit uſque, genus
Unde ſtirps nomenque tulit, LEONICE,
Veſtra, quæ bacchante longùm
Marte coacta ſolum
Vertere, illabentibus
Muris patriæ nova quæſiit, ſequente
Civium Meſſeniorum
Ordine, mœnia. Meſſenem Lacæna
Agmine turba premens mavortio

Di-

Diruerunt ſunditus hoſtico
Ritu, impiis ſævientes modis.

XXII. Non cæca ſtat, ſed vertere docta vices
Mobili Fortuna nutu ſemper amat
Immerentes aut ſub aſtra
Tollere lucida, funeribus
Aut ſternere atris non probato
Ludo. Igitur fugiunt
Avitam Ithomæi domum:
Dyrrhachium ſtatione
Accipit fida. Herculeum
Subito ut illuc venerant depoſiti
Templum genu intrantes, placidam
Humili poſcunt deos
Cunctas per aras voce pacem.

XXIII. Atque Herculem in primis coluere, loci
Numen illius, petentes ut liceat
Dyrrhachî tutos in urbe
Eſſe. Deus facili profugos
Mente audiit. templum refulget,
Arteque & auro opulens:
Centum columnæ ſuſtinent.
Omnia mira videre eſt;
Sed nihil ſpectantum oculos
Mage tenebat, quam columna, in media
Fixa æde, nullo preſſa onere:
Simulacrum ſcilicet
Inſigne dextra clavam habente

XXIV. Deſuper ſpirabat, opus ſimili
Ære perfectum, artificis decus omnem
Dædali notum per orbem.
Fecerat idem etiam
In columna Dædalus

Armenta boum, Herculeamque vim per illas
Tranſeuntem litorum oras,
Dum redit ex Erythia. ſe obviam fert
Olli Epidamnius amplexans deum.
Expulit mox diſſidio gravem
Fratrum manum Dyrrhachius, Tyrinthiis

XXV. Adjutus armis. Exſtruitur tum alia in
Parte templum immane. id agnoſcunt facile
Eſſe erant in quo. Legebant
Singula, dum interea celeri
Motu vagatur gentem adeſſe
Fama novam: ſtudio
Accurrit omnis civitas
Illico, cauſſa fuiſſet
Quæ viæ, quinamve forent,
Petere. poſtquam cognita eſt res, hilari
Vultu Jovem cuncti eximium
Prece mulcentes pia,
Et præſidem Alcidam vocantes,

XXVI. In partem Ithomæos patriæ accipiunt
Urbis, & legum, domo & donant opibus.
At neque hanc ſedem volebant
Uſque manere deæ triplici
Stamen colo fatale nentes,
Temporibus quoniam
Labentibus regem impium
Fata dabant, ditione
Qui teneret divitias
Aſiæ, & omnem Thraciam, & Cecropidas,
Et Dorida, idem Biſtonio
Fremitu Buthrotium
Pyrrhi ferox regnum occuparet;

XXVII. Olim ut illuſtris cecinit proavus

No-

Noſtri idem retinens nomen LEONICI.
Namque prudens, & futuri
Providus ille fuit;
Quem Themis, conſultaque
Phœbi domus haud latuit. fugam ergo ſuadet,
Et novos fines petendos
Germen Apollineum. Linquenda tellus
Patria. proſpicio bella horrida
Bella: jam reges aderunt novi,
Jam dii novi. cerno fluentes
Vulgo neces. pandite vela mari

XXVIII. Ante Stultum poſt malas elades ſapere.
Fata quo ducunt, eundum.
Haud erit hic opus auxiliis:
Prodeſſe quicquam ſi liceret,
Haud dubitem hanc reliquam
Donare vitam patriæ,
Atque ſenilibus arma
Ferre membris. eſt animus
Mihi etiam vireſque. norunt juvenem,
Et noſcerent me prœlia nunc,
Aliquam ſi ferre opem
Poſſemus, obſiſtendo, rebus.

XXIX. Hæc fatus ille eſt, nec ſuus interiit
Vocibus fructus. mare intrant velivolum,
Et citi parent, vocatis
Imperium quibus eſt pelagi,
Diis. jam ſalum ſpirante verrunt
Hadriacum Zephyro,
Jamque Illyrim curſu legunt.
Tertius appulit oris
His dies. portum ſubeunt,
Venetûm & urbem. cuncta majora vident
Fama: domos mirantur aquis

Poti-

Poſitas ſalſis, iter
Mirantur & quod præbet unda,

XXX. Quodque tellus, ambiguaſque vias.
Magna quid palatia, fanaque? turres
Navium quid? quid tabernas
Mercibus atque opibus
Exteris plenas loquor,
Quas Indicæ & Heſperiæ vehunt carinæ?
Quid ſenatus? quid perenni
Imperium alite? Gaudebant obortis
Lætitia lacrimis, tandem datas
Eſſe fatales ſtabili ſolo
Terras, ubi jus poteſt ac fas pium.

XXXI. Hæc ſeparatim mandat ut ingenia
Urbs colantur diſciplinis, innumeros
Et facit ſumtus ut artes
Palladiis niteant ſtudiis.
Antenor urbem (eſt priſca fama)
Non procul hinc Pataví
Poſt patriæ cinxit rogos
Mœnibus, ante petiſſet
Arva quam Lavinia dux
Veneris Anchiſæque ſanguis. Veneto
Obtemperat gens imperio.
Locum in hunc doctæ ſacrum
Deductæ Athenæ, arteſque florent.

XXXII. Ergo * hic ſtetit ſentētia ferre pedes: * fort. *huc*
Hanc Ithomæi vocant terram patriam;
Illo ab ævo civitati
Quæ domus uſque tulit decora
Tantæ, nec ætas ulla gentis
Luminibus caruit;
Semperque Ithomæi ſupra

Cla-

Clarum alios micuere
Verticem: sed quidquid suos
Ferat olympo sæculum, nos colimus
Nostris viget qui temporibus
LEONICUM, quem nihil
Exempla majorum relicta

XXXIII. Arguerunt desidiæ, fuerint
Magna quamvis multaque: nam LEONICUM
Quid latet? laus unde vinxit
Hunc brevibus foliis?
Ille naturam undique
Fidens hominum superat: lyram, profundis
Rebus interdum remissis,
Accipit, edere nostros sive cantus,
Sive Pelasgûm, opus est. I, non apud
Hunc queréris, Musa, quod integat
Te pulvis invisus, & blattæ vorent.

FINIS.

NOI RIFORMATORI
dello Studio di Padova.

AVENDO veduto per la Fede di reviſione, ed approvazione del P. Fra Franceſco Antonio Mantova Inquiſitore Generale del Santo Officio di Padova, nel Libro intitolato *Jacobi Sannazarii Poemata. &c.* non eſſer coſa alcuna contra la Santa Fede Cattolica, e parimente, per atteſtato del Segretario Noſtro, niente contra Principi, e buoni coſtumi; concediamo Licenza a *Giuſeppe Comino*, Stampatore in Padova, che poſſa eſſere ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dato li 10. Gennaro 1750. M. V.

(Giovanni Alviſe Mocenigo II. Rif.
(Giovanni Querini Proc. Rif.
(

Regiſtrato in Libro a carte 39. al num. 412.

Michel' Angelo Marino Segretario.

PATAVII. CIↃ IↃ CC LI.
EXCUDEBAT JOSEPHUS COMINUS.

VA1
1555378

Jnclusa col mandato di
Lavorazione all'Ufficio
Ispezione verificato
a 28. Novembre 1851 =
Ant.° Chiesa